UVA. BHSC. BV 00661

BIBLIOTECA
DE LA UNIVERSIDAD DE VALLADOLID.
Estante n.º 109
Tabla 4
Número 5672

Ant. sign.: 13.962

UVA. BHSC. BU 00661

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? dicebat quondam Vates Regius (Pſ. 115, 12.) me de poſt fœtantes accepit in ſervum ſibi, & in Regem inunxit, tot victoriis me cumulavit, è tot vitæ periculis miſericorditer eripuit, ingentibus divitiis locupletavit, vitam hucuſque conſervavit, neque, dum in præſentiſſimo æternæ damnationis ſtatu verſabar, me à facie ſua projecit, &c. Quid ergo Domino ac DEO meo dignum retribuam? Audi reſponſum: *Præbe, fili mi, cor tuum mihi.* Prov. 23. hoc eſt: quod à nobis requirit DEus: *Dilige.* Et in hunc finem, ut ignem charitatis in nobis denuo accenderet, dilectus animæ noſtræ Sponſus Sanctiſſ. COR ſuum totum inflammatum nuper oſtendere voluit. Conſid. 2.

Dom. 18. poſt Pent.

Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Matth. 9, 2.

Admirabatur quondam Joab ſupremus militiæ Dux nimiam Davidis manſuetudinem, dum illi in faciem objecit: *Diligis odientes te.* 2. Reg. 19, 6. Quid non dixiſſet, ſi immenſam illam hodie ſpectaſſet Sanctiſſimi CORDIS JEſu manſuetudinem, dum hominem peccatorem & paralyticum filium vocavit; *Confide fili?* O quantùm hoc debet eſſe ſolatium omnibus in hac mortali vita afflictis & tribulatis, imò & peccatoribus! O miſeri! ite, ite ad manſuetiſſimum COR JEſu, & invenietis requiem animabus veſtris. Conſid. 16. & 42.

Dom. 19. poſt Pent.

Mittite eum in tenebras exteriores. Matth. 22, 13.

Hodiernus impudentiſſimus Conviva, quia in regalibus illis nuptiis non habuit veſtes nuptiales, (hoc eſt: quia fidem quidem habuit, ſed bonis operibus deſtitutus fuit) abſque ulla miſericordia in tenebras exteriores, & in æternum damnationis barathrum projectus eſt. Felices econtra ſunt illæ animæ, quæ igni purganti à Divina Juſtitia ad tempus adjudicantur, quarum ſpes ſumma redemptionis Sanctiſſ. COR JEſu eſſe ſolet. Conſid. 48.

Dom. 20. poſt Pent.

Incipiebat enim mori. Jo. 4, 27.

Coſmophile! quid aliud vita tua eſt, quàm continuus curſus ad mortem? Velis, nolis, moriendum tibi

UVA. BHSC. BU 00661

661

UVA. BHSC. BV 00661

UVA. BHSC. BV 00661

UVA. BHSC. BU 00661



UVA. BHSC. BV 00661

SPECULUM
AMORIS ET DOLORIS
IN SACRATISSIMO AC DIVINISSIMO
CORDE JESU
INCARNATI, EUCHARISTICI, ET CRUCIFIXI,
ORBI CHRISTIANO PROPOSITUM:

Et nunc ex occasione Celeberrimæ Congregationis sub Titulo SS. CORDIS JESU authoritate Summi Pontificis CLEMENTIS XI. in Ecclesia Cathedrali Augustæ Vindel. recèns erectæ, & per eandem latissimam Diœcesin imposterum propagandæ, per quinquaginta Considerationes, totidem Sacra Emblemata æri incisa, Figuras Scripturæ quàmplurimas, Conceptus prædicabiles, SS. Patrum Sententias, Doctrinas morales, raras Historias, & pios ad SS. COR JEsu affectus illustratum.

Es de la librería del Coll.º de S.n Ygnacio de Valladolid

OPUS

Omnibus SS. COR JESU amantibus, prædicantibus, aut meditantibus apprimè utile ac proficuum.

Cum triplici Indice Considerationum, Rerum memorabilium, & Concionatorio, formandis per Annum Concionibus opportuno.

Operâ & Studio

A. R. D. ANTONII GINTHER, SS. Theol. Lic. Camer. ac Paroch. ad SS. Crucem in Biberbach.

Cum Permissu Superiorum.

EDITIO III.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
Typis & Sumptibus JOANNIS JACOBI LOTTERI, ANNO MDCCXXXI.

UVA. BHSC. BU 00661

S. Paulus Apoſt.

Et Ego, cùm veniſſem ad vos, Fratres, veni non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ, annuntians vobis teſtimonium Chriſti: non enim judicavi, me ſcire aliquid inter vos, niſi JESUM Chriſtum, & hunc Crucifixum.

1. *Corinth.* 2, 1.

UVA. BHSC. BU 00661

SERENISSIMO AC REVERENDISSIMO

PRINCIPI

AC

DOMINO, DOMINO

ALEXANDRO SIGISMUNDO

DEI GRATIA

EPISCOPO AUGUSTANO,

Comiti Palatino Rheni, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ & Montium Duci, Comiti Veldentiæ, Sponhemiæ, Marchiæ, Ravenſpergæ & Mörſæ, Domino in Ravenſtein, &c. &c.

DOMINO, AC PRINCIPI SUO CLEMENTISSIMO.

UVA. BHSC. BU 00661

Serenissime et Reverendissime Dux ac Princeps!



Immensus DEus ac sapientissimus totius Universi Architectus, essentiâ Unus, sed Personis Trinus, postquam Macrocosmum, seu Mundum hunc magnum ex nihilo sui produxit, Cœlum Empyreum Intelligentiis, Firmamentum sole, lunâ & stellis, terram autem innumeris pecudibus, aërem pennatis, & mare piscibus replevit, tandem ad creationem Microcosmi seu Hominis (qui parvus Mundus haud immeritò nuncupatur) transivit, quem non ad imaginem duntaxat & similitudinem suam creare placuit, sed & cor ejus sigillatim ac mirâ sapientiâ formavit: *Qui finxit sigillatim corda eorum. Ps.* 32, 15.

Est autem Cor origo vitæ per membra omnia diffusæ, ita, ut sine illo nullum omnino vivere posset, sicut Rex in Regno suo, & Sol inter sidera, sic cor in suo Microcosmo præsidere assolet. Forma ejus pyramidalis est, infernè in cuspidem desinens, quasi parùm ista curet terrena, & in puncto duntaxat attingat: supernè verò cœlum versùs amplum & cavosum existit, ut exinde pleno sinu cœlestem influxum recipiat. Motus ejus est assiduus, unde & principium motûs dicitur, dum intra spatium unius quadrantis in homine sano millies pulsum repetit. Duos insuper in se fonticulos continet, in cujus dextro sanguis purissimus generatur, éstque fons ille venarum ac sanguinis, quem per omnes arterias protrudit, & quia Cor in perpetuo versatur motu, hinc desumunt Medici, omnem totius corporis sanguinem ad summum intra duarum horarum spatium per circulationem (ut vocant) cor transire, unde novum semper vigorem, incrementum & motus vitales, ne computrescat, recipit. Alter in corde & sinister fonticulus propriè sedes vitæ & respirationis est, in quo spiritus vitales generantur ad conservandum & vivificandum totum hominem. Hinc meritò à Philosophorum principe Cor *primum vivens & ultimum moriens* nuncupatur, quia sedes est animæ, vitæ, voluntatis, amoris, imò & ipsius Dei: & si symbolicè ejus litteras libeat interpretari, COR, juxta Cornelium à Lapide, est *Camera Omnipotentis Regis.*

Verùm ad quid ista enarro, Serenissime ac Reverendissime PRINCEPS? paucis me explico. Cor nostrum Serenitas Tua est, Cor, inquam

UVA. BHSC. BU 00661

quam, totius corporis mystici, hoc est, latissimæ ac celeberrimæ tuæ Diœceseos jure merito Serenitatem Tuam appellamus; ab hoc enim Serenissimo Corde nos indigna membra tua non pendemus duntaxat, sed & ab illo omnem nostrum influxum, vigorem & calorem spiritualem, atque assiduum gratiarum motum participamus: *Nos autem populus tuus & oves pascuæ tuæ.* Et si cor Regis ad regendos populos in manu Dei esse dicitur (*Prov.* 21, 1.) ut illud ad arbitrium suum regat atque inflectat: multò magis & Cor tanti Pontificis ac Principis avito Regum & Imperatorum sanguine prognati, & vices Dei in his terris gerentis, in manu Dei erit, ut illud tum in prosperis & adversis, tum in pace & bello providè regat, atque gubernet, & contra quoscunque hostiles tueatur assultus. Proinde non abs re dictum illud Cornelii Tuo Serenissimo Cordi adscribimus: *Camera Omnipotentis Regis.*

Plus dico. Enimverò placuit Divinæ Majestati Suæ Serenitatem Tuam sibi in peculiare instrumentum deligere, per quod honor ac debitus cultus Sacratissimi ac Divinissimi CORDIS JESU, Eucharistici & Crucifixi, non tantùm in Ecclesia tua Principali, sed & per universam amplissimam Diœcesin Augustanam maximo animarum emolumento etiam inter ipsos medios belli tumultus mirificè propageretur. Non equidem ignoro, quòd olim DEus T. O. M. in omni sacrificio cor seu pectusculum sibi reservârit, quod Aaron summus sacerdos in altum elevatum Deo consecrabat, & sic consecratum in partes Sacerdotis cedebat: *Sacrificabis illud elevatum coram Domino, & cedet in partem tuam. Exod.* 29, 26. O fortunate PRINCEPS! Elevâsti SS. COR JESU Tuo Exemplo, Tuâ Authoritate, Tuâ Munificentiâ, quod nunc longè meliori jure in partem tuam optimam cedit, quam nemo ampliùs à Serenitate Tua tollet in æternum; verè *optimam partem elegisti.*

Et si quondam Fernandus Lusitaniæ Rex (ut author est Typotius L. 1. symb.) pro suo familiari symbolo duo corda habuit, videlicet SS. COR JESU saucium ac ferro crudeliter perfossum, & juxta hoc divinissimum Cor ex parte læva cor suum sine vulnere collocatum, cum inscripto lemmate: *Cur non utrumque?* Per quod Emblema prudentissimus Rex se ipsum in adversis solebat animare, ut cuncta, quæ in hac mortali vita possunt accidere, eò generosiore animo perferret, si SS. COR JESU vulneratum

UVA. BHSC. BU 00661

intueretur. Sic PRINCEPS Sereniſſime, videtur & mihi Sereniſſimum Cor Tuum juxta SS. COR JESU, velut ſignaculum collocatum, cum prædicto lemmate: *Cur non utrumque?* Hinc ex conſideratione hujus dulciſſimi CORDIS JESU in hoc luctuoſo bello omnem temporalem jacturam æquo ſemper ac generoſiſſimo animo tuliſti, forte poſteris, nobísque omnibus præbens exemplum, quomodo pariter in omni fortuna ſemper cor noſtrum cum SS. CORDE JESU oporteat eſſe conjunctiſſimum.

Et hoc eſt, Sereniſſime PRINCEPS, quod me ad hunc Tractatum de SS. CORDE JESU ſcribendum commovit, quem nunc omni jure Tuæ Serenitati in omni humilitate & ſubjectione tranſcribo. Excipe igitur Clementiſſime DOMINE, viles has meas lucubrationes illo benigniſſimo vultu, quo jam Anno 1685. Romæ in Aula Innocentii XI. Pont. Max. me indigniſſimum ac ſubjectiſſimum ſervulum tuum beâſti, à quo Summo Chriſti in his terris Vicario tuâ, quâ jam tunc pollebas, Principali authoritate, pro Eccleſia Sanctiſſimi ac Thaumaturgi Crucifixi in Biberbach (in quo Templo & primum fundamentalem lapidem ponere dignatus es) plura SS. Martyrum Corpora cum aliis Pontificiis gratiis feliciſſimè impetrâſti, pro qua ſumma gratia Tuæ Serenitati in æternum manebo obſtrictiſſimus, DEum bonorum omnium largitorem humilibus votis quotidie exorans, quatenus Serenitatem Tuam pro ſua gloria, Eccleſiæ incremento, & Sereniſſimæ Domûs Tuæ perpetuo ornamento adhuc diu diutiſſimè conſervet incolumem. Vive igitur COR noſtrum! Vive Principum Sidus, ævi noſtri Decus, Virtutis & Pietatis aſylum! Vive, & in SS. CORDE JESU, tanquam in centro amoris Tui, Vive.

SERENITATIS
TUÆ

Humillimus, ſubjectiſſimus, ac devinctiſſimus
Servus & Capellanus

ANTONIUS GINTHER,
SS. Theol. Lic. Cam. ac Paroch. ad
SS. Crucem in Biberbach.

UVA. BHSC. BU 00661

APPROBATIO.

PRæsens *Amoris & Doloris Speculum* ab Authore suo eruditè, zelosè, ac cum magno devotionis affectu elaboratum, quia non tantùm fidei orthodoxæ, bonísque moribus non adversatur, sed & animos in DEI, potissimùm verò in Divinissimi CORDIS JESU cultum amorémque suaviter inducit, ut in lucem prodeat, omnino dignum censeo. Ex Officio Vicariatûs Augustæ Vindel. 16. Junii 1705.

JO. CASIMIRUS RÖLS, SS. Theol. D. SS. Can. Licent. Eccl. Cath. Canon. Capitular. Sereniss. Princip. August. Consil. Eccles. & in Spirit. Vic. Gen.

CENSURA.

SPeculum istud *amoris & doloris* in Sacratissimo ac Divinissimo CORDE JESU propositum non solùm ab omni hæresis labe, morúmque corruptela purum, & immaculatum, sed & piissimis eruditionibus excultum, utillimum pariter ac amœnissimum, ideóque publicâ luce dignum censet.

JO. MICHAEL SEMBLER, SS. Theol. Doctor. Reverendiss. ac Sereniss. Princip. & Episc. August. Consiliar. & Pœnitentiarius.

UVA. BHSC. BV 00661

Ad Benevolum Lectorem & SS. Cordis Jesu Amatorem & Cultorem.

PRimus in orbe pictor, juxta Cantarinum Philodes pastor ovium fuit, qui, cùm sole à meridie declinante ovis umbram observâsset, baculo suo, quasi rudi penicillo juxta projectam umbræ ideam prima vice in sabulo ovem illam delineare non infeliciter conatus est, qui exinde ab hac ovis umbra ad alias delineationes, ac tandem ad vivos colores progressus, artem pictoriam invenit. Amice Lector! Pastor ovium pretioso Summi Pastoris sanguine redemptarum, & ego sum, indignúsque Plebanus; vidi hactenus SS. COR JESU, Divinissimi illius Agni in Ecclesia Summa & Cathedrali Augustana supra Tabernaculum Sanctissimi ad majorem exitandam fidelium devotionem erga Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum publicæ veneration expositum, quod illustrissimum Serenissimi ac Reverendissimi Principis ac D. D. Ordinarii exemplum mox & aliæ Ecclesiæ subjectæ in hac amplissima ac celeberrima Diœcesi Augustana ultrò secutæ sunt.

Verùm quia nullus Scriptorum hactenus (saltem quantùm mihi constat) de hoc SS. CORDE JESU aliquem Tractatum in usum Sacerdotum & Concionatorum conscripsit, amicorum consilio persuasus, & ope Divina fretus, tentavi cum Philode pro imbecillitate ingenii mei hoc Divinissimum COR JESU Incarnati, Eucharistici, & Crucifixi, vel in umbra saltem figurarum & Emblematum depingere, tuæ curæ ac solertiæ nunc relinquens, ut tu prudens Lector illud amabilissimum COR JESU vivis in te & in aliis exprimas ac pingas coloribus. Paravi hîc materiam primam & incultam, tu formam adde: *Et qui pingere curat*, ait Scriptura, *quæ apta sunt ad ornatum, exquirenda sunt.* 2. Mach. 2. 30.

Et quid, obsecro, dulcius, & ad animarum promovendam salutem utilius & efficacius esse potest, quàm sermocinari ac meditari de Sanctissimo ac Divinissimo CORDE JESU? Quærant alii, quæ sua sunt, quærant suum interesse, *meum ac tuum frigidum illud verbum*, quærant honores, opes, ami-

UVA. BHSC. BU 00661

amicitias, & hujus sæculi voluptates; quæramus nos, amice Lector! SS. COR JESU, hîc omnia habemus in uno: *Gazophylacium est bonorum omnium*, ita B. Petrus Damianus: *Pignus futuræ gloriæ*, ita S. Mechtildis: *Paradisus deliciarum*, ita S. Clara: *Lectulus animæ Deum amantis*, ita S. Gertrudis: *Porta, per quam intratur ad vitam*, ita S. Bonaventura: *Orientalis unio unice unicus, & pretii inæstimabilis*, ita S. Franciscus Salesius: *Locus refugii*, ita S Catharina Senensis: *Vena gratiarum omnium*, ita devotissimus Landspergius; & denique *Centrum divini amoris, omniúmque cordium*, ita Venerabilis M. Margaretha Allacoque. Et si Ecclesia illam lanceam, quâ SS. COR JESU quondam transfixum est, adeo in veneratione habet, ut peculiari illam Festo (prout Author est R. P. Hadrianus Lyræus) honoraverit, cur, obsecro, illud Divinissimum ac Sacratissimum COR JESU nullo apud nos dignum sit honore?

Age igitur: quisquis es, benigne Lector, & hunc meum qualem quarem laborem æqui boníque consule, in quo Tractatu non eleganti verborum apparatu & stylo crispato aures tuas titillare, sed potiùs humili, planâ, ac facili methodo Cor tuum reciproco in SS. Cor JEsu, quod in charitate perpetua dilexit te, ferire studui? *Non enim judicavi, me scire aliquid inter vos, nisi JESUM Christum, & hunc Crucifixum.* 1. *Cor.* 2. 1. Et si quidem placet iste modicus meus, germanus, ac sincerus mentis conatus, ecce, paratus sum, adjuvante Numine, & vitâ comite, ad plures adhuc similes Tractatus de Christo JESU docente & patiente, nec non de Beata Virgine ac Matre dolorosa MARIA proximè tibi communicandos. De reliquo omnia, quæ in hoc tenui opusculo meo continentur, censuræ Sanctæ Matris Ecclesiæ, *quæ est Columna & Firmamentum Veritatis*, nec non gratioso Superiorum meorum ac Doctorum Virorum judicio humiliter subjicio. Tu interim, optime Lector, vale, & in SS. CORDE JESU vale. O quàm felix tunc eris, si tandem in hoc amabilissimo CORDE Crucifixi JESU, & in dulci ejus amplexu ac osculo cum S. Edmundo & aliis SS. CORDIS JEsu amatoribus ultimum poteris efflare spiritum! O quàm felix! Plura Viro sapienti non addo.

UVA. BHSC. BU 00661

INDEX CONSIDERATIONUM.

PARÆNESIS ad Sodales Congregationis.

Consideratio I.

SS. COR JESU Liber Electorum est, in quo totum pondus scientiæ & meditationis nostræ vertitur.

Consideratio II.

SS. Cor JEsu inflammatum apparet, ut ignem charitatis erga SS. Eucharistiam & passionem suam denuo in cordibus nostris accendat.

Consideratio III.

SS. Cor JEsu Speculum est virtutum omnium, quod nos sæpius oportet inspicere, ut maculas animæ emendemus, & virtutem sectemur.

Consideratio IV.

SS. Cor JEsu perfectissimi amoris exemplar jam à primo vitæ suæ momento nobis extitit.

Consideratio V.

SS. Cordis JEsu in utero materno per novem menses inclusi, vita & actio, crux & passio consideratur.

Consideratio VI.

SS. Cordis JEsu Amor expenditur, nunc à Virgine in lucem nati, in pauperrimo præsepio ab illa reclinati.

Consideratio VII.

SS. Cor JEsu mox à nativitate sua opus redemptionis nostræ & patiendo, & exemplo docendo incipit.

Consideratio VIII.

SS. Cordis JEsu amor & dolor in circumcisione explicatur, in qua DEO Patri pro salute nostra primitias Sanguinis sui exsolvit.

Consideratio IX.

SS. Cor & Nomen JEsu, utrumque scutum est inexpugnabile contra omnes hostium insultus.

Con-

UVA. BHSC. BU 00661

Consideratio X.

SS. Cor JEsu paupertatis amantissimum, relicto auro & thure, à Magis oblato, solam sibi Myrrham reservavit.

Consideratio XI.

SS. Cor JEsu sub typo Agni Matutini se primò Patri in templo pro peccatis totius mundi in victimam offert.

Consideratio XII.

SS. Cordis JEsu Amor & Passio consideratur, à facie Herodis in Ægyptum fugientis, & cædi SS. Innocentûm intimè condolentis.

Consideratio XIII.

SS. Cor JEsu ex omnibus obedientissimum consideratur, & in vita tum privata, tum publica ad labores promptissimum.

Consideratio XIV.

SS. Cor JEsu licèt mitissimum, honoris tamen divini, in templo erga Patrem promovendi, zelosissimum fuit.

Consideratio XV.

SS. Cor JEsu etiam cùm iratum ob demerita nostra nobis videtur, misericordiæ tamen suæ recordabitur.

Consideratio XVI.

SS. Cor JEsu ex omnibus benevolentissimum ac sinceriſſimum, in quo peccatores omnes veniam & gratiam possunt invenire.

Consideratio XVII.

SS. Cor JEsu puteus aquarum viventium, ad quem Samaritana, hoc est, peccatrix anima gratiam & salutem consequitur.

Consideratio XVIII.

SS. Cor JEsu verum salutis ostium, per quod securè ac prosperè possimus intrare ad vitam æternam.

Consideratio XIX.

SS. Cordi JEsu salutis nostræ sitientissimo pro animæ lucro omnis labor levis & dolor dulcis videbatur.

Consideratio XX.

SS. Cor JEsu, amatoris nostri maximi, tanquam optimum objectum cordis nostri meditationi præfigitur.

UVA. BHSC. BU 00661

Consideratio XXI.

SS. Cor JEsu usque in finem nos diligens, parem quoque amorem & Dei & proximi à corde nostro requirit.

Consideratio XXII.

SS. Cor JEsu propter scelera nostra attritum, cor quoque contritum & humiliatum à nobis exigit.

Consideratio XXIII.

SS. Cor JEsu ex omnibus amabilissimum est, cujus immensa charitas præsertim ex institutione SS. Eucharistiæ mirè elucet.

Consideratio XXIV.

SS. Cordis JEsu singularis effectus fuit institutio SS. Sacrificii altaris, quod prorsus idem est cum Sacrificio aræ crucis.

Consideratio XXV.

SS. Cor JEsu ex omnibus purissimum, purum quoque cor à nobis requirit, præsertim in administratione & susceptione SS. Eucharistiæ.

Consideratio XXVI.

SS. Cor JEsu prævidit omnes injurias, sibi in SS. Eucharistia inferendas, & tamen amor vicit, & instituit.

Consideratio XXVII.

SS. Cor JEsu Eucharistici ab indignè cum Juda communicantibus summâ injuriâ afficitur, & de novo in mortem traditur.

Consideratio XXVIII.

SS. Cor JEsu Eucharistici est verus ille Cypri Botrus in torculari amoris & crucis in salutem sitientium animarum expressus.

Consideratio XXIX.

SS. Cor JEsu Eucharistici & Patientis est verus thesaurus absconditus omnium gratiarum & benedictionum.

Consideratio XXX.

SS. Cor JEsu Eucharistici & Patientis nostra idea proposita est, ad quam omnis nostra actio & intentio dirigatur.

Con-

UVA. BHSC. BU 00661

Consideratio XXXI.

SS. Cor JEsu hortum sibi eligit, in quo in oratione ad DEum effunditur, & ob peccata nostra usque ad mortem tristatur.

Consideratio XXXII.

SS. Cor JEsu cum voluntate Patris semper conjunctissimum, hinc unicè cor nostrum ad divinam voluntatem paratum esse desiderat.

Consideratio XXXIII.

SS. Cor JEsu in horto olivario in sanguineum imbrem sese diffundit, ut nostras eluat peccatorum maculas.

Consideratio XXXIV.

SS. Cor JEsu nil magis aversatur, quàm propriam cordis nostri voluntatem, unde eam acerbè in Petro castigat.

Consideratio XXXV.

SS. Cor JEsu patientissimum, & in cruenta flagella, ut nos ab æternis redimeret flagellis, paratissimum.

Consideratio XXXVI.

SS. Cor JEsu per omnem vitam in se spineam coronam portavit: in passione verò etiam sacrum caput spinis redimitum fuit.

Consideratio XXXVII.

SS. Cor JEsu consideratur, imposito funesto crucis patibulo, & nostrorum peccatorum pondere gravatum.

Consideratio XXXVIII.

In SS. Corde JEsu cur Crux implantata cernitur? Et cur ad redimendum orbem non aliud remedium, quàm crucem elegit?

Consideratio XXXIX.

SS. Cor JEsu est balsamum deficientibus, neque vindictam, sed indulgentiam peccatoribus à Patre postulat.

Consideratio XL.

SS. Cor JEsu Crucifixi fons est in horto paradisi, irrigans omnem terram, & lætificans civitatem Dei.

Con-

UVA. BHSC. BU 00661

Consideratio XLI.

SS. Cor JEsu vera propitiatio peccatorum, ad quod amandum & colendum omnes hominum status invitantur.

Consideratio XLII.

SS. Cor JEsu ex omnibus summè pacificum, in cruce pacem universalem cœlum inter & terram composuit.

Consideratio XLIII.

SS. Cor JEsu refugium nostrum & virtus in tempore tribulationis, & munimen forte in tempore tentationis.

Consideratio XLIV.

SS. Cor JEsu centrum amoris nostri esse debet, ad quod, tanquam ad metam omnes amoris nostri sagittas dirigamus.

Consideratio XLV.

SS. Cor JEsu Magnes cordium humanorum, cor quoque nostrum sibi exposcit cum omnibus affectibus præbendum.

Consideratio XLVI.

SS. Cor JEsu verum regenerationis Lavacrum, in quo anima à peccatis purgata in vitam regeneratur æternam.

Consideratio XLVII.

SS. Cor JEsu infirmorum salus, & vita morientium, in quo dulce est vivere, ac tandem securum mori.

Consideratio XLVIII.

SS. Cor JEsu Spes summa animarum purgantium, idcirco post mortem aperiri voluit, ut mortuum mortuis prodesset.

Consideratio XLIX.

SS. Cor JEsu justis ac piis in Judicio summum solatium, injustis verò, qui per illud intrare noluerunt, summus terror erit.

Consideratio L.

SS. Cor JEsu ingens Angelorum, omniúmque Sanctorum gaudium, & paradisus animarum delicioſissimus.

EPILOGUS.

SS. Cor JEsu omnibus fidelibus Christianis universale & ultimum in vita & in morte perfugium.

INDEX

UVA. BHSC. BU 00661

INDEX
CONCIONATORIUS.
In Dominicas & Festa per Annum.

Dominica I. Adventûs.

Respicite, & levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Luc. 21, 28.

Duplex est Adventus Christi, quem nunc celebrat S. Mater Ecclesia, primus fuit in carne, dum pro nobis Homo factus est. Secundus erit in judicio, cùm judicabit orbem terræ. De primo adventu si vis disserere, consule NB. hîc Considerationem 4. totam. Si de secundo? vide Consid. 49. de SS. Corde JEsu. Quod piis tunc summo solatio, impiis summo terrori erit.

Dominica II. Adventûs.

Joannes cùm audisset in vinculis opera Christi. Matth. 11, 2.

SS. Cor JEsu etiam in carcere & in vinculis uteri materni per novem illos menses incluſum, salutem nostram operabatur. Conſ. 4. tota.

Dominica III. Adventûs.

Tu quis es? Joan. 1, 19.

Si ignoras te ô homo Christiane, quinam sis? Ecce præsento tibi speculum minimè fallax, SS. Cor JEsu, intuere illud, ut nævos tuos corrigas. Conſ. 3. tota.

UVA. BHSC. BU 00661

Dominica IV. Adventûs.

Prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Luc. 3, 3.

SS. Cor JEſu ob ſcelera noſtra attritum, cor quoque noſtrum à nobis requirit contritum & humiliatum. Conſ. 22. tota.

Dominica infra Octavam Nativit. Chriſti.

Ecce poſitus eſt hic in ſignum, cui contradicetur. Luc. 2, 34.

Hoc ſignum à Simeone præviſum, crux fuit, quod SS. Cor JEſu jam tunc & à primo conceptionis ſuæ inſtanti deſponſavit ſibi, & jugiter in ſe portavit. Conſ. 7. tota.

Dominica I. poſt Epiph.

Et erat ſubditus illis. Luc. 2, 51.

SS. Cor JEſu ex omnibus obedientiſſimum fuit, atque ad labores à juventute uſque ad mortem crucis promptiſſimum. Conſ. 13. tota.

Dominica II. poſt Epiph.

Vinum non habent. Joan. 2, 3.

Felices nos, qui conqueri non poſſumus? *Vinum non habemus.* En SS. Cor JEſu verè Botrus Cypri in ſolatium omnium expreſſus, nobis ſuaviſſimum conſolationis vinum præbet. Conſ. 28. tota.

Dominica III. poſt Epiph.

Domine ſi vis, potes me mundare? Matth. c. 8. *v.* 2.

Quàm prudenter egit ille leproſus, quòd cor ſuum voluntati Divinæ penitùs ſubjecerit, quia SS. Cor JEſu nil magis averſatur, quàm propriam cordis noſtri voluntatem. Conſ. 34. tota.

Dominica IV. poſt Epiph.

Et ecce motus magnus factus eſt in mari. Matth. 8, 24.

Omnia in hoc mundo ſunt inſtabilia & periculis plena, quæramus ergo ſecurum refugium & munimen in tempore tribulationis & tentationis, quod eſt SS. Cor JEſu. Conſ. 43. tota.

Domi-

UVA. BHSC. BU 00661

Dominica V. post Epiph.

Qui seminat bonum semen in agro suo. Matth. 11, 24.

Bonum semen in agro est bona intentio in agro cordis, quam, ut actiones nostræ apud DEum sint meritoriæ, & optatum fructum afferant, oportet juxta ideam SS. Cordis JEsu ad cor Patris dirigere. Conf. 30. tota.

Dominica VI. post Epiph.

Fit arbor, ita ut volucres cœli veniant, & habitent in ramis ejus. Matth. 13, 32.

Granum Sinapis minimum quidem est ex seminibus, cùm autem crescens fit arbor, commune refugium avibus fieri assolet. Sanctiss. COR JEsu verè minimum granum sinapis in utero materno fuit, tandem excrevit in arborem, omnibus peccatoribus præbens tutum refugium. Conf. 16. tota.

Dominica Septuagesimæ.

Dicit illis: ite & vos in vineam meam. Matth. 20, 7.

Quis non miretur summam hodierni Patrisfamilias clementiam, dum omnes tam benignè ad vineam suam invitavit. Ad Sanctiss. COR JEsu, tanquam ad veram salutis vineam omnes peccatores & hominum status invitantur. Consid. 41.

Dominica Sexagesimæ.

Et aliud cecidit inter spinas. Luc. 8, 7.

Bonum semen inter spinas est Sanctiss. COR JEsu spinis per omnem vitam circumdatum. Consid. 36.

Dom. Quinquagesimæ.

Et illudetur, & flagellabitur, & postquam flagellaverint, occident eum. Luc. 18, 32.

Bis hodie Salvator mentionem de flagellatione fecit, ut mundanorum stulta gaudia refrænaret, supra quod S. Bernardus: *Non Filium Dei rursus flagellemus per delectationem peccati.* Vide de Sanctiss. Corde JEsu, quæ ac quanta sustinuerit tormenta per flagellationem. Consid. 35.

Dom. I. Quadragesimæ.

JEsus ductus est in desertum à spiritu. Matth. 4, 1.

Sanctiss. Cor JEsu, antequam ad Evangelicam prædicationem se accingeret, priùs in deserto per 40. dies in oratione mentali se exercuit, nobis forte per hoc exemplum præ-

UVA. BHSC. BU 00661

bens, quomodo utiliter de hoc Sanctiſſ. Corde JEſu poſſimus meditari. Conſid. 20.

Dom. II. Quadrageſimæ.

Ecce apparuerunt illis Moyſes & Elias cum eo loquentes. Matth. 17, 3.

Qualem inter ſe diſcurſum habuerint JEſus, Moyſes & Elias, declarat S. Lucas: *Dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Jeruſalem.* *Luc.* 9, 31. Hoc eſt: loquebantur de paſſione, anguſtiis & tormentis Sanctiſſ. Cordis JEſu, ubi commodè poteris agere de triſtitia continua Sanctiſſ. Cordis JEſu, ac præſertim de illa, ubi in horto paſſioni initium dedit. Conſid. 31.

Dom. III. Quadrageſimæ.

Et cùm venerit, inveniet eam ſcopis mundatam & ornatam. Luc. 12, 25.

Bene mundandum eſt cor illud, quod Deum ſuum ac vivum Sanctiſſ. COR JEſu in Sanctiſſ. Euchariſtia deſiderat accipere. Conſ. 25. tota.

Dom. IV. Quadrageſimæ.

Accepit ergo JEſus panes, & cùm gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus. Jo. 6, 11.

Majus benevolentiæ & divini in nos amoris ſignum ac pignus Sanctiſſ. Cor JEſu exhibere nobis non potuiſſet, quàm cum in Sanctiſſ. Euchariſtia ſe ipſum nobis in cibum & potum reliquit. Conſid. 23.

Dom. Paſſionis.

Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum. Joan. 8, 59.

Judæi quondam ut Moyſen lapidarent, jam accincti erant. Exod. 17. Hodie ut Chriſtum lapidarent, pariter Judæi paratos ſe ſiſtebant, en typum illorum, qui indignè communicant, hi in veritate Sanctiſſ. COR JEſu de novo lapidant, & in mortem tradunt. Conſid. 27.

Dominica Palmarum.

Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus. Matth. 21.

Mirabiles elationes maris, ſed longè mirabilius Sanctiſſ. Cor JEſu, verè mare omnium gratiarum, quod, licèt præviderit omnes injurias ſibi in Sanctiſſ. Euchariſtia uſque ad finem mundi inferendas, tamen amor vicit & inſtituit. Conſ. 26.

Pro

UVA. BHSC. BU 00661

Pro Cœna Domini.

Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Luc. 22, 44.

Cùm Christum Judæi ad sepulchrum Lazari lacrymantem vidissent, intra se dicebant: *Ecce quomodo amabat eum!* Vide JEsum tuum in horto olivario hodie non ex oculis solùm sed etiam omnibus corporis membris sanguineas lacrymas fundentem, & collige exinde, quomodo Sanctiss. Cor JEsu amaverit te. Consid. 33. tota.

In die Parasceves.

Crucifixerunt eum. Matth. 27, 35.

O cruentum, ô lugubre, ô inauditum spectaculum DEus tuus amore tui Crucifixus. Consid. 36. cur SS. Cor JEsu pro redemptione mundi crucem elegerit, Vel Consid. 37. de bajulatione crucis.

Dominica Resurrectionis.

Surrexit, non est hîc. Marc. 16, 6.

O quàm immensum erat gaudium omnium tum Angelorum, tum Beatarum animarum, dum in Christo SS. Vulnera glorificata ac præsertim apertum Sacratissimum Cor ejus in illa glorioſa resurrectione intuiti sunt. Consid. 50.

Dominica in Albis.

Ostendit eis manus & latus. Jo. 20, 20.

Solent generosi Victores dilectis amicis suis accepta in prælio vulnera ostendere, ut ex illorum intuitu de trophæo lætentur, & ad paria audenda animentur. Sic Christus dilectis Discipulis suis manus ac pedes perforatos ac præsertim Sanctiss. COR suum vulneratum monstravit, in quo divino lavacro & Thomam incredulum in novam vitam regeneravit. Consid. 46.

Dom. 2. post Pascha.

Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Joan. 10, 11.

En veri Pastoris ideam in Christo JEsu, dum non tantùm vitam, sed & ultimam Sanguinis stillam ex Sacratiss. Corde suo pro salute animarum obtulit. Consid. 19. tota.

Dom. 3. post Pascha.

Quid est hoc, quòd dicit nobis modicum? Joan. 16, 18.

UVA. BHSC. BU 00661

Omnia in hoc mundo sunt vana, fluxa, & modica, præter amare DEum, & quem misit Filium suum D. N. JEsum Christum, cujus SS. Cor Deificatum pro centro amoris nobis proponitur. Consid. 44. tota.

Dom. 4. post Pascha.

Tristitia implevit cor vestrum. Jo. 16, 6.

Carolus V. alioquin Vir strenuissimus cunctis artubus contremiscebat, cùm ad arma conclamaretur, verùm ubi pugnæ initium datum est, ut leo pugnavit. Sic SS. Cor JEsu ante cruentam pugnam sibi timere visum est, &c. ubi plura de tristitia hujus SS. Cordis. Conf. 31. n. 4. &c.

Dom. 5. post Pascha.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Jo. 16, 23.

Elias cùm in cœlum aëreum raperetur, Elisæo dixit: *Postula, quod vis, ut faciam tibi, antequam tollar.* 4. Reg. 2. Hoc idem hodie ante ascensum suum Christus suis Discipulis intimavit: *Usque modò non petistis quidquam in nomine meo, petite, & accipietis.* O quàm bene conveniunt SS. Nomen & Cor JEsu, si illud Patri in oratione nostra offeramus? Conf. 9.

Dom. 6. post Pascha.

Sed hæc locutus sum vobis, ut, cùm venerit hora, eorum reminiscamini. Jo. 15.

Recordatio seu reflexio mentis magnam vim seu ad bonum seu ad malum habet, hinc monet hodie Veritas, ut eorum reminiscamur, quæ ipsa toties nobis prædixit, in quem finem Sanctiss. Cor JEsu nobis pro libro sæpius legendo proponitur. Conf. 1.

Dominica Pentecostes.

Pacem meam relinquo vobis. Joan. 14.

Quòd Spiritus Sanctus sit Amor Patris & Filii, de fide est, hinc osculum inter utrumque, hinc & pax nostra, quam nobis promeruit Sanctiss. Cor JEsu. Consid. 42.

Dom. 1. post Pent.

hoc est:

In Festo SS. Trinitatis.

Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Rom. 11.

Plura

UVA. BHSC. BU 00661

Plura SS. Trinitatis sunt symbola: Iris tricolor, Sol, Oculus, Trifolium, triangulum, ovum, ac præsertim Cor nostrum, quod trinum & unum est; Pinge, si placet, in mensâ cretâ cor tuum, & exinde per medium illius digito duc lineam, & habebis Trinum & Unum. Hinc merito Sanctiss. Cor JEsu Sanctiss. Trinitatis palatium appellatur. Vide plura de natura cordis in Dedicatione & Præfatione.

Dom. 2. post Pent.

Homo quidam fecit cœnam magnam. Luc. 14, 16.

Ad cœnam magnam te hodie invito, Anima Christiana! magna est, quia à magno Deo & Homine Christo præparata, magna, quia infiniti & immensi pretii est; magna, quia ferculis instructa pretiosissimis, Corpore videlicet, Animâ & Divinitate Christi, in qua etiam Sanctiss. COR suum nobis in escam proponit: O prodigium amoris! O quàm magna igitur requiritur præparatio ad hanc cœnam magnam! Consid. 23. & sequent.

Dom. 3. post Pent.

Quia hic peccatores recipit. Luc. 15, 2.

O mitissimum COR JEsu! in hoc tuam Omnipotentiam quàm maximè manifestare soles, quòd peccatores & titiones inferni in Seraphinos transmutes, quia in veritate cor contritum & humiliatum non despicis. Consid. 22.

Dom. 4. post Pent.

Cùm turbæ irruerent in eum. Luc. 5, 1.

Si Christus hodie pecunias in populum conjecisset, si taurum integrum assum, si panes, si vinum album & rubrum, si pannum ad vestes, si alia utensilia populo distribuisset, (prout Anno 1690. Augustæ Vind. in Electione & Coronatione Josephi I. Rom. Regis præsentes spectavimus) non equidem mirarer, quòd tanta populi multitudo in eum irruisset; Et quæ causa tanti accursûs? Ecce Sanctiss. COR JESU Magnes amoris fuit, &c. Consid. 45. tota.

Dom. 5. post Pent.

Vade priùs reconciliari fratri tuo. Matth. 5, 23.

Errare humanum, sed in malo & in odio perseverare, prorsus diabolicum est, unde monet Apostolus,

UVA. BHSC. BU 00661

lus, Ephes. 4, 26. *Sol non occidat super iracundiam vestram*, & hodie Christus: *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum, & vade priùs reconciliari fratri tuo.* Exemplum habes luculentissimum à Sanctiss. Corde JEsu, quomodo ignoscendum & condonandum sit omnibus ex corde. Consid. 39.

Dom. 6. post Pent.

Misereor super turbam. Marc. 8, 2.

Vide, & considera mitissimum COR JEsu, quomodo alienis compatiatur miseriis, verè *misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Ps. 102. Sed ad escam & panem requiritur & haustus; En Sanctiss. COR JEsu fons est & puteus aquarum viventium, bibite ex eo omnes. Consid. 17. & 40.

Dom. 7. post Pent.

Qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Matth. 7, 21.

Non nostra, sed Dei voluntas in omnibus adimplenda est, hinc David oravit: *Doce me facere voluntatem tuam.* Ps. 142. Hanc veritatem, ex qua salus nostra dependet, hodie à Sanctiss. CORDE JEsu cum Patris voluntate semper conjunctissimo addiscamus. Cons. 32.

Dom. 8. post. Pent.

Facite vobis amicos. Luc. 16, 9.

Rectè Ecclesiasticus cap. 6. v. 14. *Amicus fidelis, protectio fortis, qui autem invenit illum, invenit thesaurum.* Nullus autem amicus fidelior & fortior est, quàm Sanctiss. COR JEsu, qui hoc Diviniss. COR invenit, in veritate pretiosissimum reperit thesaurum. Consid. 29.

Dom. 9. post Pent.

Videns civitatem, flevit super illam. Luc. 19, 41.

Agar deflevit filium suum Ismaël in deserto morientem, David filium suum Absalonem in quercu suspensum & occisum, Jeremias vastitatem Populi Judaici, &c. Et hodie Christus deflet civitatem Jerusalem, & simul inter misericordes lacrymas ei interitum comminatur: *Venient dies in te, &c.* O dulcissimum

UVA. BHSC. BU 00661

mum COR JEsu! etiam cùm iratum nobis videris, tamen misericordiæ tuæ recordaberis. Conf. 15. tota.

Dom. 10. post Pent.

Duo homines ascendebant in templum, ut orarent. Luc. 18, 10.

Licèt in omni loco bonum sit orare, specialiter tamen sibi Deus templum elegit, in quo à nobis coli, & in spiritu adorari desiderat, hinc Salomoni dixit: *Sanctificavi domum hanc, quam ædificâsti, ut ponerem Nomen meum ibi in sempiternum, & erunt oculi mei & Cor meum ibi cunctis diebus.* 3. Reg 9, 3. Vide, quali zelo & Sanctiss. COR JEsu honorem templi zelaverit, de quo Consid. 14. tota.

Dom. 11. post Pent.

Et suspiciens in cælum, ingemuit. Marci 7, 34.

Josaphat, cùm in gravi necessitate esset constitutus, populum adhortatus est, ut intentionem suam ad DEum unicè dirigeret: *Cùm ignoremus*, inquit, *quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* 2. Paral. 20, 12. Hoc hodie & Christus fecit: *Et suspiciens in cælum, ingemuit.* Supra quod B. Albertus Mag. in Marcum. *Docet nos ad cælum dirigere intentiones nostras, cùm aliquid volumus impetrare.* Imitemur & nos hoc pulcherrimum Christi Exemplum, & ad illius Divinissimum Cor omnem nostram intentionem & actionem dirigamus. Consid. 30. tota.

Dom. 12. post Pent.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde .... & proximum, sicut teipsum. Luc. 10, 27.

Hodie Christus perfectissimam ad cœlum viam ostendit, dum Legisperito, scripturam de dilectione Dei & proximi proponenti, benignè annuit: *Recte respondisti*, in his enim duobus mandatis universa lex pendet, *& plenitudo legis est dilectio.* Rom. 13, 10. Hoc non tantùm docuit, sed & fecit Sanctiss. Cor JEsu. Consid. 21. tota.

Dom. 13. post Pent.

Mundati sunt. Luc. 16, 14.

Quemadmodum lepra hominem fœtidum facit, sanis intolerabilem & civiliter mortuum, ita peccatum hominem fœtidum facit, justis abominabilem, & Deo spiritualiter

UVA. BHSC. BU 00661

mortuum: sed benignus Dominus ac Redemptor noster Sanctiss. Cor suum in salutare regenerationis lavacrum ordinavit, in quo à peccati lepra anima poterit de novo purgari. Consid. 46.

Dom. 14. post Pent.

Quærite ergo primùm regnum Dei & justitiam ejus. Matth. 6, 33.

Nihil in hoc mundo animam nostram satiare potest, nisi solus DEus, qui solus finaliter est quærendus, unde tritum illud S. Augustini: *Creasti nos Domine ad te, & inquietum est Cor nostrum, donec requiescat in te.* In hunc finem Sanctiss. COR JEsu consulamus, quod est verum salutis ostium, per quod ad illud beatitudinis regnum securè possumus intrare. Consid. 18.

Dom. 15. post Pent.

Ecce defunctus efferebatur. Luc. 7, 12.

En finem deliciarum, opum & honorum! Effertur hodie ad sepulchrum quis? Filius unicus, & unigenitus Matris suæ, dives juvenculus, & in pulcherrimo annorum flore constitutus: O mors, quàm amara est memoria tua! Olim mors, dum homines per plures centurias annorum vivebant, per orbem pedes circumibat: *Ante faciem ejus ibit mors.* Habac. 3, 5. Sed nunc in novo testamento à S. Joanne visa est in equo pallido per orbem viam suam accelerare: *Ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi mors.* Apoc. 6, 8. Cave, quisquis es, nec horâ nec momento securus vivis, &c. Si ergo desideras bonam mortem ac felicem sortem, cole Sanctiss. COR JEsu, quod est tuta salus ac vita morientium. Consid. 47. tota.

Dom. 16. post Pent.

Et ecce, homo quidam hydropicus erat ante illum. Luc. 14, 2.

Pereleganter observat in hodiernum Evangelium Venerabilis Beda, quòd proprium sit hydropici, quantò magis abundat humore inordinato, tantò eum ampliùs sitire; sic nihil in hoc mundo immundo nostram poterit explere sitim, proinde alius fons est quærendus, qui in medio paradisi exortus est, totámque lætificat civitatem Dei, hoc est Sanctiss. COR JEsu. Consid. 40.

Dom. 17. post Pent.

Diliges Dominum DEum tuum ex toto corde tuo. Matth. 22, 37.

Quid

UVA. BHSC. BU 00661

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? dicebat quondam Vates Regius (Pſ. 115, 12.) me de poſt fœtantes accepit in ſervum ſibi, & in Regem inunxit, tot victoriis me cumulavit, è tot vitæ periculis miſericorditer eripuit, ingentibus divitiis locupletavit, vitam hucuſque conſervavit, neque, dum in præſentiſſimo æternæ damnationis ſtatu verſabar, me à facie ſua projecit, &c. Quid ergo Domino ac DEO meo dignum retribuam? Audi reſponſum: *Præbe, fili mi, cor tuum mihi.* Prov. 23. hoc eſt: quod à nobis requirit DEus: *Diliges.* Et in hunc finem, ut ignem charitatis in nobis denuo accenderet, dilectus animæ noſtræ Sponſus Sanctiſſ. COR ſuum totum inflammatum nuper oſtendere voluit. Conſid. 2.

Dom. 18. poſt Pent.

Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Matth. 9, 2.

Admirabatur quondam Joab ſupremus militiæ Dux nimiam Davidis manſuetudinem, dum illi in faciem objecit: *Diligis odientes te.* 2. Reg. 19, 6. Quid non dixiſſet, ſi immenſam illam hodie ſpectaſſet Sanctiſſimi CORDIS JEſu manſuetudinem, dum hominem peccatorem & paralyticum filium vocavit; *Confide fili?* O quantùm hoc debet eſſe ſolatium omnibus in hac mortali vita afflictis & tribulatis, imò & peccatoribus! O miſeri! ite, ite ad manſuetiſſimum COR JEſu, & invenietis requiem animabus veſtris. Conſid. 16. & 42.

Dom. 19. poſt Pent.

Mittite eum in tenebras exteriores. Matth. 22, 13.

Hodiernus impudentiſſimus Conviva, quia in regalibus illis nuptiis non habuit veſtes nuptiales, (hoc eſt: quia fidem quidem habuit, ſed bonis operibus deſtitutus fuit) abſque ulla miſericordia in tenebras exteriores, & in æternum damnationis barathrum projectus eſt. Felices econtra ſunt illæ animæ, quæ igni purganti à Divina Juſtitia ad tempus adjudicantur, quarum ſpes ſumma redemptionis Sanctiſſ. COR JEſu eſſe ſolet. Conſid. 48.

Dom. 20. poſt Pent.

Incipiebat enim mori. Jo. 4, 27.

Coſmophile! quid aliud vita tua eſt, quàm continuus curſus ad mortem? Velis, nolis, moriendum tibi

UVA. BHSC. BU 00661

est, & aliò migrandum: *Statutum est hominibus semel mori, & post hoc judicium.* Hebr. 9, 27. Quare ergo non maturè in rem tuam vigilas? Si bene mori desideras, cur ergo tam malè vivis? Eja, anime mi, evigila tandem à peccati lethargo, & ad Sanctiss. COR JEsu in cruce pro salute tua morientis festina; En, ostendit tibi Sacratissimum Cor suum, in quo dulce est vivere, & securum mori. Consid. 43. & 47.

Dom. 21. post Pent.

Qui debebat ei decem millia talenta. Matth. 18, 24.

O quantum debitum, *decem millia talenta*, O quantum debitum! Supra quod Cornelius à Lapide hunc computum facit, quòd exacto calculo juxta Hebraica talenta servus ille Domino suo centum viginti milliones scutorum debuerit exsolvere. O quantum debitum! Sed tu, O peccator! nec minus fortasse debitum per peccata tua apud DEum contraxisti, & quomodo poteris esse solvendo? Ecce, ostendo tibi thesaurum planè immensum, Sanctiss. COR JEsu, quod solum est condignum pretium ad tua, & totius mundi solvenda debita. Consid. 29. vel 41.

Dom. 22. post Pentecosten.

Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Matth. 22, 21.

Quomodo possimus reddere Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Deo, quæ sunt Dei, luculentum exemplum in Daniele habemus, qui in aula Nabuchodonosoris Deo & Regi sine offensa inserviit, quod & primi Christiani tempore S. Pauli in aula Neronis fecerunt, unde de his Apostolus: *Salutant vos omnes Sancti, maximè autem qui de domo Cæsaris sunt.* Phil. 4, 22. Cæsari timorem debes & tributum: *Custodit te*, ait S. Ambrosius in Lucam, *Princeps tuus ab hostibus, vitam tuam pacatam facit, debes itaque ei pro his tributum.* Et Deo quid debes? Audi, quid à te exigat: *Præbe fili mi cor tuum mihi.* Prov. c. 23. Hoc illi da, & tributum reddidisti. Cons. 45. à Num. 5. & seq.

Dom. 23. post Pentecosten.

Et tetigit fimbriam vestimenti ejus. Matth. 9, 20.

Mirantur SS. Patres ingentem hujus infirmæ mulieris fidem, dum fimbriam vestimenti Christi tetigit: *Dum tangit fimbriam Christi*, ait San-

UVA. BHSC. BU 00661

Sanctus Chrysologus, *tunc Divini Pectoris pulsat arcanum.* Hinc & feliciter impetravit, quod plenâ fide petiit. *Audiant hoc Christiani*, pergit idem Sanctus Doctor serm. 34. *qui quotidie Corpus Christi attingunt, quamnam de ipso Corpore Christi possunt sumere medicinam &c.* Consid. 24. quomodo Sanctiss. Sacrificio missæ assistendum, in quo ipsum Divinissimum COR JEsu Patri æterno per manus Sacerdotum offertur.

Dom. 24. post Pentecosten.

Videbunt Filium Hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa & majestate. Matth. 24, 30.

O quantum solatium & immensum gaudium piis ac justis tunc in supremo erit judicio Sacratissimum Cor JEsu, qui illud per vitam amârunt, coluerunt & imitati sunt: *His*, inquit Sanctus Antistes Hipp. *copiosa redemptio data est in Vulneribus JEsu Christi Salvatoris nostri* (In Manual. c. 21. 22. 23.) Econtra quantus erit pavor ac tremor impiis ac sceleratis peccatoribus, qui in vita sua mortali per hoc Divinissimum COR JEsu noluerunt intrare! illis ait præfatus Sanctus Præses, *Vulnera demonstraturus est sua, ut convincens eos dicat: Ecce hominem, quem crucifixistis, videtis vulnera, quæ inflixistis, agnoscitis latus, quod pupugistis, quoniam per vos & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.* S. Aug. lib. 2. de Symbolo c. 8. Conf. 49. tota.

UVA. BHSC. BU 00661

INDEX CONCIONATORIUS pro Festis per Annum.

Festo S. Andreæ Ap.

Salve crux pretiosa! Ita Ecclesia. Consid. 37. & 38.

Festo S. Nicolai.

Intra in gaudium Domini tui. Matth. 25. Consid. 50.

Festo Conceptionis B. V. Mariæ.

De qua natus est JEsus. Matth. 1. Consid. 4. & 5.

Festo S. Thomæ. Ap.

Mitte manum in Latus meum. Jo. 20. Consid. 41. & 46.

Festo Nativitatis Domini.

Invenietis Infantem pannis involutum. Luc. 2. Consid. 6. & 7.

Festo S. Stephani Protomartyris.

Domine ne statuas illis hoc peccatum. Act. 6. Consid. 39.

Festo S. Joannis Evangelistæ.

Recubuit in cœna super pectus ejus. Jo. 20. Consid. 47.

Festo SS. Innocentium.

Fuge in Ægyptum. Matth. 2. Consid. 12.

Festo Circumcis. Domini.

Ut circumcideretur Puer. Luc. 2. Consid. 8.

Eodem Festo.

Vocatum est Nomen ejus JESUS. Luc. 2. Consid. 9.

Festo

UVA. BHSC. BU 00661

Festo Epiphan. Domini.

Obtulerunt ei myrrham. Matth. 2. Consid. 10.

Festo S. Sebastiani M.

Positus est hic in signum. Luc. 2. Consid. 44.

Festo Purificationis B. V.

Ut sisterent eum Domino. Luc. 2. Consid. 11.

Festo S. Matthiæ Ap.

Discite à me, quia mitis sum & humilis Corde. Matth. 11. Conf. 16.

Festo S. Josephi.

Joseph cùm esset Vir justus. Matth. 1. Consid. 12. & 19.

Festo Annuntiationis B. V.

Fiat mihi secundum Verbum tuum. Luc. 1. Consid. 4. & 5.

Festo S. Georgii M.

Ego sum vitis vera. Jo. 15. Conf. 28.

Festo SS. Philippi & Jacobi Ap.

Ego sum via, veritas & vita. Jo. 14. Consid. 18.

Festo Inventionis S. Crucis.

Emit agrum illum. Matth. 13. Consid. 39. & plures alias.

Festo S. Joannis Baptistæ.

Benedictus Dominus DEus Israël. Luc. 1. Consid. 30.

Festo SS. Petri & Pauli Ap.

Tu es Petrus. Matth. 16. Conf. 34.

Festo Visitationis B. V.

Unde hoc mihi, ut Mater Domini mei veniat ad me. Luc. 1. Conf. 5.

Festo S. Mariæ Magdalenæ.

Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? Luc. 7. Conf. 3. & 17.

Festo S. Jacobi. Ap.

Calicem, quem ego bibiturus sum? Matth. 20. Conf. 20.

Festo S. Annæ.

Simile est Regnum Cælorum Thesauro. Matth. 13. Consid. 29.

Festo S. Laurentii. M.

Si mortuum fuerit, multum fructum affert. Jo. 12. Consid. 47.

Festo

UVA. BHSC. BU 00661

Festo Assumptionis B. V.

Optimam partem elegit. Luc. 10. Consid. 20.

Festo S. Bartholomæi. Ap.

Virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Luc. 6. Consid. 16.

Festo Nativitatis B. V.

Liber generationis JEsu Christi. Matth. 1. Conf. 1.

Festo S. Matth. Ap.

Misericordiam volo, & non Sacrificium. Matth. 9. Consid. 19.

Festo S. Michaëlis.

Semper vident faciem Patris mei. Matth. 19. Consid. 50.

Festo Simonis & Judæ Ap.

Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. Jo. 15. Consid. 21.

Festo Omnium Sanctorum.

Beati, qui esuriunt & sitiunt justitiam. Matth. 5. Consid. 40. & 50.

In Commentatione Fidelium Animarum.

In Sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu. Zachar. 9. Consid. 48.

Festo S. Martini.

Non sub modio, sed super candelabrum. Luc. 11. Consid. 2.

Festo S. Catharinæ V. M.

Domine, Domine aperi nobis. Matth. 25. Consid. 18.

Festo Dedicationis.

Venit Filius Hominis quærere & salvum facere, quod perierat. Luc. 19. Consid. 19.

PARÆ-

UVA. BHSC. BU 00661

PARÆNESIS

Ad CONFRATRES Sanctissimi ac Diviniſſimi CORDIS JESU.



Quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas.
Matth. 23, 37.

1. SEmper fidelis amoris ac felicis tutelæ Symbolũ gallina fuit, dum proles ſuas præ aliis avibus non tam ferventi amore ſub corde ſuo fovet, quàm & ſtrenuè contra inſidiantes hoſtium incurſus protegit. Hoc Symbolum ſibi elegit celeberrima illa Confraternitas ſub Titulo SS. ac Diviniſſimi CORDIS JEſu, Año à Chriſto nato 1705. ipſo SS. Trinitatis Feſto Authoritate Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis XI. Pontificis Maximi, & Sereniſſi-

UVA. BHSC. BU 00661

mi ac Reverendiſſ. D. D. Alexandri Sigismundi, Epiſcopi Auguſtani, Comitis Palatini Rheni, Bavariæ, Juliæ, Cliviæ, & Montium Ducis, &c. in Eccleſia Cathedrali Auguſtana erecta, & ſolenniſſimè ibidem inſtituta, dum pro Scuto Gentilitio exhibet Urbem Auguſtam, poſt exantlatas belli calamitates ſub umbra ejusdem Divini Cordis placidè quieſcentem, cum adjecto Lemmate ex Pſalmis Davidicis mutuato:

Sub umbra alarum tuarum.

Pſ. 16, 8. Per quod Symbolum dicta Confraternitas pulcherrimè alluſit ad illud dulciſſimum & amabiliſſimum COR Domini Servatoris noſtri, quod ob amorem noſtri non in Cruce duntaxat ſe exinanivit, & quodammodo eviſceravit, ſed & in Auguſtiſſimo Sacratiſſimi Corporis & Sanguinis Sacramento inexplicabilis in nos amoris ac mortis ſuæ memoriale reliquit. Proin S. Auguſtinus loco illorum verborum: *Sub umbra alarum tuarum protege me*, ita legit: *In munimento charitatis & miſericordiæ tuæ proteges me*, munimentum autem charitatis in CHRISTO JESU nihil aliud eſt, quàm Diviniſſimum COR ejus, quod in aſſidua charitate dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis: *Omne ergo noſtrum*, pergit idem Sanctiſſimus Antiſtes, *id eſt, ſpem noſtram ſub alis illius gallinæ ponamus*, dum in ſinum & in SS. COR ſuum omnes vult recipere, & contra quoscunque hoſtiles tutari incurſus. *Et ſi gallina*, ſunt verba ejusdem Eccleſiæ Doctoris, *protegit pullos ſuos ſub alis; quantò magis tu ſub alis Dei tutus eris, & adverſùs diabolum & angelos ejus, quæ aëreæ poteſtates, tanquam accipitres circumvolitant, ut infirmum pullum auferant?*

S. Aug. in hunc loc. & le Blanc. hic.

Idem in Pſal. 90.

Primus, qui huic Confraternitati nomen dedit, ipſe altè præfatus Sereniſſimus Princeps extitit, cujus exemplo permoti cæteri Reverendiſſimi, Illuſtriſſimi, Prænobiles, Adm. Reverendi, Religioſi, Clariſſimi, ac Doctiſſimi Domini Sacerdotes, & quàmplurimi de Sæcularibus etiam primariis fulgentes dignitatibus, aliiſque ex utroque ſexu ad plura millia jam excurrentes, cùm ſe agnoſcerent, Sacratiſſ. CORDI JEſu modis infinitis eſſe obſtrictos, elegerunt idem

SS.

UVA. BHSC. BU 00661

SS. COR Euchariſtici & Crucifixi JEſu peculiari amore, religione, ac pietate venerari. Faxit benignus DEus, ut hoc divinum Sinapis granum, diu ſub agro militantis Eccleſiæ abſconditum, in ampliſſimam arborem excreſcat, in cujus ramis omnes fideles animæ tutò quieſcant.

De Antiquitate hujus Confraternitatis SS. CORDIS JESU.

2. NEmo autem exiſtimet, hanc Confraternitatem SS. CORDIS JEſu, nunc etiam Pontificio oraculo & Indulgentiis ſtabilitam, novam eſſe devotionem, hactenus Eccleſiæ DEI incognitam, cùm & antiquitate & dignitate cæteras omnes in hoc longè videatur antecellere, quia ab ipſo CHRISTO JESU CRUCIFIXO in Calvario jugo fundata, ac tunc potiſſimùm confirmata eſt, dum diviniſſimum COR ſuum, velut inexhauſtum omnium gratiarum & meritorum fontem nobis poſt mortem ſuam in pignus ſinceriſſimi in nos amoris legavit, unde melliſluus Bernardus: *Perforatum latus eſt tuum, ut nobis pateſcat introitus: ad hoc vulneratum Cor tuum, ut in illo & in te ab exterioribus perturbationibus abſoluti habitare poſſimus: nihilominus & propterea vulneratum eſt, ut per vulnus viſibile vulnus amoris inviſibile videamus.* *S. Bern. cit. à Lyr. l. 7. c. 1. fol. 539.*

Prima cultrix hujus Sacratiſſ. ac Diviniſſ. CORDIS JEſu B. Virgo MARIA & Mater dolorosa extitit. O quis dicet, quâ animi teneritudine, amore & religione hæc piiſſima Mater Diviniſſimum iſtud COR JEſu jam à primo Incarnationis ejus inſtanti venerata ſit, Prophetiſſa quippe fuit, imò & plus quàm Prophetiſſa, jam tunc prænoſcens hujus SS. CORDIS JEſu dolorem & amorem, anguſtias & cruciatus, paſſionem & mortem. Heu! quoties hoc ſuaviſſimum PECTUSCULUM, pro ſalute generis humani aliquando crudeli lanceâ transfodiendum, amaris rigavit lacrymis, præſertim quando ex ejus collo pependit Filius, & inter ubera virginea hæſit Parvulus! O quoties tunc ingeminavit: *Faſciculus myrrhæ Dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* *Cant. 1, 12.*

Et quid dico de hac afflictiſſima Matre, cùm ſtans juxta Crucem

UVA. BHSC. BU 00661

hoc amabiliſſimum COR JEſu militis ferro transfodi conſpicata eſt? Audi ipſam Virginem ac Matrem tuam ad B. Birgittam loquentem: *Cùm extraheretur lancea, apparuit cuſpis ejus rubea, tunc mihi videbatur, quòd quaſi Cor meum perfoderetur, cùm vidiſſem mei Filii Cor chariſſimi perforatum.*

Lib. 1. Rev. c. 10.

O ſi vidiſſemus eandem afflictiſſimam Dei Matrem, cùm exanime ac dilaceratum Corpus JEſu de ligno depoſitum, in ſinum ſuum excepit! Ubi obſervat S. Germanus, quòd præ vehementia doloris & amoris etiam ſanguineis lacrymis hunc Dilectum ſuum deplorârit, non ceſſans, Sacratiſſimum COR ejus piiſſimis oſculis venerari: *Oſculabatur*, ait idem S. Germanus, *PECTUS lanceâ perforatum, &c.* Et Hadrianus Lyræus ſic eam loquentem introducit: *Sed & PECTUS ſauciatum conſpicor, ſanctiſſimum illud Divinitatis Sacrarium diſſipavit lancea, quo pretium redemptionis humanæ flueret uberiùs, ſed & Matrem torqueret abundantiùs: ſine, ah ſine te plenè exoſculer, ſuper te caput reclinem, nuſquam tutiùs ac ſatiùs quieturum.*

S. Germ. in Theoria. Hadr. Lyr. de imit. Jeſ. pat. l. 5. c. 7. fol. 290.

Hanc doloroſiſſimam Dei Matrem comprimis ſecutus eſt non degener Filius & dilectus Chriſti Diſcipulus S. Joannes, qui non in ultima cœna duntaxat ſuper PECTUS JEſu recubuit, ſed & antequam emortuum Corpus ejus tumulo inferretur, recto impetu ad hoc SS. & deificatum COR JEſu, nunc hiulco vulnere reſeratum, advolavit, ita S. Anſelmus: *Tunc accurrens Joannes Evangeliſta ſuper PECTUS JEſu plorans, & dicens: heu, heu! de iſto PECTORE heri potabam dulcia, hodie triſtia & lamentabilia, &c.* Quem juxta eundem S. Antiſtitem & Div. Petrus Apoſtolus ſecutus eſt: *Tunc Petrus advenit, & quod ipſum negaverat, amariſſimè flere cœpit, &c.*

S. Anſelm. tract. de paſſ. & Finetti de paſſ. f. 815.

Acceſſit & Maria Magdalena, quæ cùm præ nimio compatientis animi dolore linguam in voces ſolvere non poſſet, Corde ad COR JEſu locuta eſt: *Subverſum eſt Cor meum in memetipſa, quoniam amaritudine plena ſum*, dum cruenta Vulnera tua, ac præſertim Diviniſſimum COR tuum amore mei ſaucium, O mi Dilecte! intueor,

Thren. 1, 20.

UVA. BHSC. BU 00661

tueor, hîc deficit caro mea & Cor meum: *Et factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens*, quod indicant oculi, ex quibus copioſi emanant lacrymarum rivuli: *Poſtea*, ſunt verba doloroſæ Matris ad Beatam Birgittam: *Maria Magdalena & aliæ ſanctæ Mulieres venerunt, nec non etiam multi Angeli ſancti, quaſi atomi ſolis, affuerunt, obſequium exhibentes Creatori ſuo &c.* *Pſ.21,15.* *Revel.l.2. c.21.*

Mitto hîc Nicodemum, & Joſephum Arimathæum non tam genere quàm virtute Nobiles, Centurionem & Longinum, Mariam Jacobi, Salome, Veronicam, Joannam, cæterósque Sanctos, qui morienti JEſu, & transfixioni illius SS. CORDIS adſtiterunt, de quibus nemo prudens ambigat, quin maximo affectu & ſincerâ fide, utpote ſuperiori lumine illuſtrati, SS. Vulnera ac peculiariter SS. COR JEſu devotiſſimis oſculis ad exemplum Doloroſæ Matris venerati ſint: quorum veſtigiis poſt glorioſam Chriſti Reſurrectionem & cæteri Apoſtoli inſiſtebant, quibus mitiſſimus orbis Reparator apparens, non tam manus ac pedes perforatos, quàm & SS. COR ſuum exhibuit: *Oſtendit eis manus & latus:* ut ſic eos ad amorem reciprocum Diviniſſimi CORDIS ſui non tam invitaret, quàm etiam in fide reſurrectionis ſolidaret: *Ab illo PECTORE*, ait S. Thomas Villanovanus, *arcana cœleſtia Joannes hauſerat dormiendo: In illo Thomas grandes theſauros reperit ſcrutando; grandis illa ſchola, quæ tales Diſcipulos facit.* *Jo. 20, 20.* *S. Thom. de Villa Nova in Joan.*

Atque hi fuerunt primi Duces ac Principes hujus celeberrimæ Devotionis & Confraternitatis de SS. CORDE JEſu, quos longâ ſerie primævi Chriſtiani, quorum Cor unum & anima una erat, ſecuti ſunt: *Multitudinis credentium*, inquit S. Auguſtinus, *erat illis anima una & cor unum in DEum.* O ſi & nunc ſimile Cor unum inter Chriſtianos foret cum SS. CORDE JEſu unitum! *Act.4,32.* *S. Aug. tr. 14. in Joan.*

De Dignitate hujus Confraternitatis SS. CORDIS JESU.

3. NIhil ſanctius olim in lege habebant Judæi, quàm Arcam fœderis, quæ ex lignis incorruptibilibus fabricata coronâ aureâ per circuitum ornabatur: hæc Arca, quaſi ſedes & thronus *Exod. 25, 10.*

UVA. BHSC. BU 00661

ipsius supremi Numinis in his terris fuit, per quam exoratus DEus propitium sese, placabilémque populo exhibere, oracula quoque & responsa, cùm in rebus dubiis per Pontificem interrogaretur, reddere solebat; supra hanc & Propitiatorium ex auro purissimo à duobus Cherubinis sustentatum collocabatur; quæ causa fuit, ut hæc Arca Domini ab Hebræis profundo & humillimo obsequio adoraretur, profanisque capitale esset, eam vel manibus tangere, vel prope illam stare, vel etiam solùm oculis intueri. Tanta quondam hujus Arcæ Domini Religio, cultus & æstimatio fuit.

Ex his colligite, quantò sublimior cultus & adoratio competat Sacratissimo ac Divinissimo CORDI JEsu, per hanc Arcam quondam adumbrato? Si enim Ecclesia DEI, & quidem meritissimò, quinque sacrosancta Christi Vulnera adorat, imò & cultu latriæ respectivo etiam ejusdem Redemptoris nostri passionis instrumenta veneratur, ut sunt columna, spinæ, Crucis Dominicæ particulæ, Sudarium Veronicæ, Sacra Sindon, Titulus, clavi, lancea, &c. Quo igitur cultu ac veneratione dignum erit ipsum divinissimum COR JEsu, totius SS. Trinitatis Sacrarium, in quo Divinitas Verbi thronum ac sedem habuit, in quo Spiritus Sanctus ultimatò quievit: *Et requiescet super eum Spiritus Domini &c.* à quo omnis plenitudo benedictionum, gratiarum, ac meritorum in genus humanum promanavit?

Isa. 11, 2.

Hujus SS. CORDIS JEsu dignitatem prima inter omnes, ut dictum est, agnovit ipsa B. Virgo & Mater intemerata, quæ S. Mechtildi inter alia revelavit, nullam salutationem sibi gratiorem esse, quàm si per SS. COR JEsu diligentissimè salutaretur.

Nadasi in Anno Cæl. 15. Aug.

Agnovit & Magnus ille Aurelius Augustinus, qui non tam ab ubere Virginis, quàm à Vulnere Lateris & SS. CORDIS JEsu pastus, exclamare solebat: *Longinus aperuit mihi Latus Christi lanceâ, & ego intravi, & ibi requiesco securus.* Agnovit S. Bernardus de illo dulcissimo CORDE JEsu mellifluam suam scientiam & eminentem hauriens sanctitatem. O S. Bernarde! dic nobis, quid suxisti? dum laxavit Crucifixus brachia sua, & blandè te ad SS.

S. Aug. Manual. cap. 23.

Matth. Camph. S. J. de pass. D. f. 318.

Latus

UVA. BHSC. BU 00661

Latus ac COR ſuum adſtrinxit? Ah unicam guttulam hujus dulcedinis etiam nobis miſellis! Agnovit & Elzearius Comes Ariani, qui ordinarium ſuum domicilium in hoc SS. CORDE JEſu poſuit; hinc Dalphinæ ſcripſit: *Quære me in Vulnere Lateris Chriſti, illic enim habito, & ibi me poteris invenire.* Agnovit & S. Franciſc. Borgia Soc. JEſu Tertius Generalis, qui quotidie inter Miſſarum ſolemnia poſt adorata quinque SS. Chriſti Vulnera demum ſeipſum in SS. COR JEſu Crucifixi ſolebat immergere: *Lateris Vulnus*, ait Lyræus, *ſibi ſervabat, in quod ſeipſum recipiens peccatorum veniam, atque in neceſſitatibus ſuis auxilium flagitabat.* Agnovit & S. Mechtildis, quæ ex SS. CORDE JEſu flammas Sacri Amoris, ceu ex ardenti camino erumpentes, conſpexit. Agnoverunt denique & S. Catharina Senenſis, S. Gertrudis, S Birgitta, S. Lydwina, ac plurimæ aliæ Religioſæ mentes, quæ erga hoc SS. COR JEſu ſemper tenerrimum affectum conceperunt, in cujus honorem (ut referunt Annales Minorum ad Annum 1288. & ex illis P. Paulus de Barry Soc. JEſu) Monaſterium COR JEſu dictum, fuit ædificatum.

Ex vita S. Elz.

Hadr. Lyr. de imit. Jeſpat. l. 5. c. 7.

Lib. 1. Gratiæ Spir. c. 34. & l. c. 22.

P. Paul. de Barry S. J. in An. Mar. 17. Ap.

Utilitates hujus Confraternitatis de SS. CORDE JESU.

4. Piſcis ille, cujus Tobias junior in ſe inſilientis hortatu Angeli branchiam apprehendit, & exenteravit, varia illi contulit beneficia: *Cor ejus, & fel, & jecur repone tibi, ſunt enim hæc neceſſaria ad medicamenta utiliter.* Per hunc piſcem S. Auguſtinus Chriſtum JEſum & hunc Crucifixum intelligit, qui non tam cibus, quàm & medicina nobis in Sanctiſſima Euchariſtiâ factus eſt, dum per SS. COR ejus in paſſione divini amoris igne aſſatum, *fugatus eſt diabolus, & per amaritudinem fellis afflatus eſt cæcus, & illuminatus eſt mundus.* Audi & Raphaëlis Archangeli monitum ac vaticinium: *Cordis ejus particulam ſi ſuper carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum.*

Tob. 6, 5.

S. Aug. ſerm. 4. de Petro & Paulo.

Tob. 6, 8.

Attende pulcherrimam figuram Sacratiſſimi CORDIS JEſu, ut inflammatum hîc & ſuper Tabernaculum Sanctiſſimi expoſitum cernitur. Ex qua facilè intelliges, qualis ac quanta ex hac Confra-

ter-

UVA. BHSC. BU 00661

ternitate SS. CORDIS JEsu promanet utilitas, ac commoda longè maxima, planéque immensa. Proinde haud immeritò illam Archi-Confraternitatem primam dixeris, dum ab illo Divinissimo CORDE JEsu (si hanc veritatem attentiore intellectu perpendimus) omnes ferè Sodalitates cæteræ ac Confraternitates suam traxerunt originem, virtutem, & authoritatem.

De Moyse referunt Sacræ Paginæ, quòd ope virgæ suæ iter per mare rubrum in Palæstinam sibi & cuncto populo Israëlitico aperuerit: *Tu autem eleva virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & divide illud, ut gradiantur filii Israël per siccum.* *Exod.* 16, 14. Longinus per virgam lanceæ non tantùm sibi, sed & nobis omnibus rubrum gratiarum mare, quod est SS. COR JEsu, vitámque cœlitem (qui per illud intrare desiderat) reseravit. Ille mox ab hoc Divinissimo CORDE baptismum fluminis & sanguinis, imò & flaminis accepit, nobis autem ope illius virgæ apertum fuit gazophylacium, ex cujus pretio omnia nostra debita DEO Patri possumus exsolvere, &c.

Vide igitur, quisquis es, Christiane Lector! quanta ex hac Confraternitate Divinissimi CORDIS Sodalibus tum in vita, tum in morte efflorescat utilitas. Et quid est, quod non habes ex illo? *S. Amar. lib. 3. de Virgin.* *Si Vulnus curare desideras*, (verbis utor S. Ambrosii) *medicina est: si febribus æstuas, fons est: si gravaris iniquitate, justitia est: si auxilio indiges, virtus est: si mortem times, vita est: si cœlum desideras, via est: si tenebras fugis, lux est: si cibum quæris, alimentum est &c.*

Quid igitur restat, nisi ut magno animo ad hunc gratiæ thronum accedamus? Eja Christiani! si Cor vestrum rectum est cum SS. CORDE JEsu, date manum, & adjungite vos currui huic. *Ascendite in palmam, & apprehendite fructus ejus, &c.* *Cant.* 7, 8. O Domine JEsu! transfige Cor nostrum, ac medullas animæ nostræ suavissimo amoris & CORDIS tui Vulnere, qui COR tuum amore nostri passus es vulnerari; Imprime, ah! imprime benedicti CORDIS tui formam Cordibus nostris, ignémque charitatis tuæ in eis accende, ut præter te imposterũ nil aliud amemus, nil aliud desideremus, & quæramus, qui es super omnia benedictus DEUS in sæcula. CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO I.

SS. COR JESU Liber Electorum est, in quo totum pondus scientiæ & meditationis nostræ vertitur.



Ecce manus missa ad me, in quâ erat involutus Liber. Ezech. 2, 9.

1. VErbum ad te habeo, Christiane Lector! Dic, cur DEus & Homo Christus, cùm in hac vitâ mortali inter homines mortales versaretur, non ipse librum aliquem conscripserit, in quo legem suam Evangelicam propriâ manu posteritati consignaret? An non in veteri quondam lege ipsemet Decalogum proprio digito in duabus lapideis tabulis exarare dignatus est: *Dedítque Dominus Moysi in monte Sinai duas Tabulas testimonii lapideas, scriptas digito Dei?* Quare non etiam Legem gratiæ in aliquo volumine conscripsit? O quantùm non fuisset honoratus, & ab or- *Exod. 31, 18.*

UVA. BHSC. BU 00661

be Christiano adoratus iste liber? Ad quid ergo JEsus omnem doctrinam suam Evangelicam, sine quâ non intratur ad vitam, Sacris Scriptoribus tanquam suis Amanuensibus tradidit calamo consignandam?

Unicâ tantùm vice lego, quòd ad defendendam Mulierem in flagranti deprehensam, paucos quosdam caracteres in pulvere & in pavimento templi scripserit: *JEsus autem inclinans se deorsùm digito scribebat in terrâ.* De aliâ Scripturâ aut libro à Christo conscripto, altum est omnium Hagiographorum silentium. O Bone JEsu! cur adeò parcus in hac re fuisti? quare non pariter Legem gratiæ sicut quondam Decalogum divino digito tuo exarâsti?

Joan. 8. 6.

Suspende hîc judicium, prudens Lector, & tuam paulisper differ sententiam, interim considerans, quidnam Ezechieli contigerit, de quo Propheta referunt Sacræ paginæ, quòd à Divinâ manu librum acceperit, infinitis amaritudinibus repletum, cum hoc mandato, ut quantocyus hoc volumen comederet: *Aperi os tuum, & comede, quæcunque ego do tibi. Et ecce, manus missa ad me, in quâ erat involutus liber: & expandit illum coram me, qui erat scriptus intus & foris, & scriptæ erant in eo lamentationes, & carmen, & væ.* Qualis, obsecro, hic liber mirabilis fuit? amarus & dulcis? & qui Prophetæ, ubi illum degustavit, in optatam dulcedinem conversus est: *Et factum est in ore meo sicut mel dulce.*

Ezech. 2, 9.

Ezech. 3.

S. Hieron. Epist. de verâ circumcis.

Adverte, Liber hic, prout observant SS. Hieronymus, Bernardus, Laurentius Justinianus, & plures alii SS. Patrum, nil aliud præsignavit, quàm Christum JEsum & hunc Crucifixum, ac præsertim Sacratissimum & divinissimum COR ejus, quod est Liber vitæ, & omnium Electorum: *O liber super omnem librum*, exclamat doctissimus Salmeron, *hunc expedit nocturnâ versare manu, versare diurnâ. Hoc sit nostrum Enchiridion, Verbum abbreviatum, contemptus mundi, soliloquium, stimulus amoris, &c.*

Salmer. tom. 10. text. 37. de Crucifixo.

2. Est autem scriptus hic Liber *intus & foris*: Intus per suam Divinitatem & immensum amorem, quo nos divinissimum COR JEsu usque in finem constantissimè dilexit, unde Apostolus: *Di-*

Gal. 2, 20.

lexit

UVA. BHSC. BU 00661

lexit me, & tradidit semetipsum pro me: Et foris scriptus est stilo ferreo, clavis durissimis, & lanceâ crudeli, &c.

Scriptor hujus Libri Spiritus sanctus fuit, quia *conceptus est de Spiritu sancto;* Dictator autem Pater Æternus extitit, qui ab æterno *eructavit Verbum Bonum.* *Ps. 44, 2.*

Charta Virginea seu Papyrus ejus immaculata Humanitas fuit, à purissimo Corde Beatissimæ Virginis submini strata & assumpta, Ligatura verò Unio Hypostatica, Naturam Divinam cum humanâ uniens.

Sectus est hic Liber, *postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer.* *Luc. 2, 21.* Atramentum supplevit purpureus ille Sanguis, pro salute nostrâ toties in amarissimâ Passione effusus. Caracteres seu litteræ in hoc mystico Libro tot extiterunt, quot vulnera & cicatrices in Passione recepit, hoc est, secundùm probabilem quorundam SS. Patrum opinionem, integram legionem.

Impressio hujus Voluminis in Monte Golgothæo sub Torculari ponderosæ Crucis facta est, unde Isaias: *Torcular calcavi solus, & de Gentibus non est vir mecum.* *Is. 63. 3.*

Denique hic Divinus Liber apertus, & publicè lectus fuit, quando in Cathedrâ Crucis per crudelem militis lanceam Sacratissimum COR JEsu transfixum est: *Unus militum lanceâ latus ejus aperuit.* *Joan. 19.* Supra quod S. Laurentius Justinianus: *Librum hunc DEus publicè exposuit, ut ab omnibus legeretur.* *S. Laur. Just. lib. de Triumph. agon. cap. 20.* Unde pro Lemmate illud S. Augustini inscripsimus:

Tolle, Lege.

3. Vides hîc, Benigne Lector, genuinam causam, quare mitissimus Servator JEsus in hac terrâ cum hominibus conversatus, Librum aut Volumen nullum conscripserit, quia ipse videlicet *Liber erat scriptus intus & foris.* *Apoc. 5, 1.* Ex quo Divinissimo Libro omnem sapientiam & cœlestem doctrinam poteris haurire, ita S. Chrysologus: *Christus est Liber*, inquit, *quem Joannes in suâ Apocalypsi conspexit, scriptus intus & foris: foris Christi vulnera cernimus,* *S. Chrys. serm. 1. de Resur.*

UVA. BHSC. BU 00661

sed intus immensi ejus erga nos amoris incendia contemplamur; hunc docti & indocti videant; hunc omnes legant.

Et quemadmodum corpus humanum in aliquâ anatomiâ dissectum & apertũ Medicis ac Chirurgis, cæterísq; spectatoribus magìs ad veram medicinæ notitiam ac genuinam humani corporis dignoscendam constitutionem inservit, quàm mille alii libri: sic Christus in Cruce suspensus, vulneratus, & crudeli lanceâ in SS. CORDE saucius, si unico pio intuitu aspiciatur, plùs Christiano homini ad animæ salutem, verámque sapientiam, quàm cuncta Doctorum volumina inservit: *Hæc mea*, ait S. Bernardus, *sublimior philosophia est, scire JEsum, & hunc Crucifixum.* Et licèt hic liber tibi ab initio ob infinitos in Cruce exantlatos dolores & amaritudines amatus videri posset, per devotam tamen lectionem ac seriam meditationem animæ tuæ in optatam dulcedinem vertetur: *Et factum est in ore meo sicut mel dulce.*

S. Bern. serm. 43. in Cant.

Ezech. 3, 3.

4. In hoc libro ut plurimùm meditatus est Gentiũ Dr. Paulus, unde huic nobilissimæ ac suavissimæ scientiæ omnes cæteras longo intervallo postposuit; hinc dicere solebat, quòd nihil in hoc orbe sciret, nisi solũ Christum Crucifixum: *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi JEsum, & hunc Crucifixum.* Neque sufficiebat huic Viro illuminatissimo, & usque in tertium cœlum rapto vel obiter scire Crucifixum, sed per scientiam suam verè admirandam usque ad divinissimum COR JEsu penetravit, cum quo sæpius dulces miscebat sermones, & ad quod tanquam ad vitæ librum omnes suas referebat actiones; hinc tam ingenti zelo desideravit, ut omnes hanc veritatem agnoscerent, & pariter in hoc SS. CORDE JEsu inhabitarent: *Testis est mihi DEus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Christi:* hoc est, in SS. CORDE JEsu, &c.

1. Cor. 2, 1.

Phil. 1, 8.

Ex vita. 23. Aug. & Paoletti in conc. de hoc Sancto.

Ex hoc libro S. Philipp. Benitius supremum sanctitatis apicem conscendere didicit, in quem ferè assiduò oculos conjecit, illius SS. vulnera, ac præsertim amabilissimum COR JEsu Crucifixi, amore nostri, & lanceâ militis saucium amoris deplorans lacrymis. Et cùm jam in extremo morbo atque in agone constitutus, eundem librum

UVA. BHSC. BU 00661

brum suum à circumstantibus sæpius postulâsset: *Date mihi librum meum;* hi verò nunc Breviarium, nunc aliud volumen illi porrexissent, Crucifixum oſculis attritum digito & oculis monstravit: *Hic*, inquiens, *est liber meus*, quem facie mirè ad lætitiam compositâ, denuo devotissimè exoſculans, ad Cor suum adstrinxit, & sic nobilem animam suam DEO reddidit.

Ex eodem libro S. Bonaventura S. R. E. Cardinalis omnem suam eruditionem & Seraphicam sanctitatem excerpsit, qui, cùm aliquando ab Angelico illo Doctore Divo Thomâ Aquinate visitaretur, & de suâ Bibliothecâ rogaretur, ex quâ eminentem suam doctrinam collegisset, ei in aliud conclave inducto non codicem Justiniani, nec Decretorum aut Canonum libros, nec Augustinum, Ambrosium, aut Chrysostomum, sed devotam quandam imaginem Crucifixi JEsu, lacrymis signatam, & oſculis in aperto latere benè attritam ostendit: Hic, inquiens, est unicus liber meus & universa mea Bibliotheca, quidquid enim scio, ex hoc Vitæ libro habeo. *Ex vitâ Lyræo, & aliis.*

5. Recordor hîc illius libri, quem quondam DEus mandavit ab Habacuc Prophetâ in publicis, apertis, & expansis ligneis tabulis conscribi, ut sic non clausus, sed apertus ab omnibus legi posset: *Scribe visum*, inquit, *& explana eum super tabulas, ut percurrat, qui legerit eum.* O mirabilis liber in tabulis ligneis conscriptus, & publicè ad legendum omnibus mortalibus expositus! *Habac. 2, 2.*

Hic liber, ait Lyræus, *est Christus in cruce distentus:* Ex quo libro omnes, etiam rudes & sumi idiotæ, si illum meditando legerint, viam æternæ salutis, verámque vivendi & moriendi normam possunt edisscere, præsertim si ad SS. ac diviniſſimum COR JEsu attenderint, de quo omnes sapientiæ & scientiæ thesauri promanant: de quo mystico libro & S. Joannes: *Et scriptum est in Prophetis: Et erunt omnes docibiles DEI.* *Lyr. de imitat. Jes. pat. lib. 6. c. 10.* *Joa. 6, 45.*

Audi de hac veritate memorabile exemplum. Duo eodem tempore austeram quandam ingressi sunt religionem, literatus unus, & variis scientiis apprimè excultus, alter idiota & laicus. Successu temporis literatus ob vitam austeram hactenus illi insuetam, ut ad sæ- *P. Andr. Span. in Polyant. Sac. Tit. 42. §. 6. p. 1.*

UVA. BHSC. BU 00661

culum denuo rediret, graviter ab hoste generis humani tentatus est, quam gravissimam tentationem cùm socio suo Novitio & laico candidè aperiret, firmis ab illo ac solidis rationibus, ut in proposito sancto usque ad finem vitæ constans permaneret, seriò admonitus est: *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Mirabatur literatus insolitã hujus laici sententiam, unde hanc sublimem Philosophiam didicisset? Ad quod laicus luctuosam Crucifixi JEsu effigiem de pectore suo produxit: *Ecce,* ait, *liber meus!* O bonus liber Crucifixus JESUS!

Apoc. 2. 10.

Vid. R.P. Bernard. Sonnenberg. S. J. & alios RR.

6. Verùm ad quid ista enarro antiqua, cùm etiam recentiora ad manum sint? A. 1690. die 17. Oct. piissimè è vivis ad Sponsum suum abiit venerabilis Maria Margaritha Alacoque ex Ordine Visitationis B. Virginis, cui benignissimus Salvator Christus in festo S. Joannis Evangelistæ (qui quondam ex eodem Sanctissimo CORDE JEsu fluenta Evangelii sui hausit, & qui hunc librum vitæ in cruce vidit adaperiri) manifestè apparuit, monstrans ei in igneo throno diviniissimum COR suum, velut crystallum pellucidam, immiti vulnere saucium, & coronâ spineâ redimitum, ex cujus SS. CORDIS superiori latitudine crux dira in altum surgebat. Per quam visionem Christus Dominus, velut in quodam libro immensum illum amorem, quô à primo Conceptionis suæ instanti usque ad vitæ finem erga nos indignos ferebatur, voluit indicare. Unde etiamnum hoc SS. COR suum non tam in cœlo, quàm etiam in SS. Eucharistiâ omnibus apertum esse voluit, ut securum ibidem invenirent auxilium mortales omnes: *Christus in cruce suspensus,* ait Dionysius Carthusianus, *liber est, in quo omnium virtutum perfectiones, omnium contemplationum sublimitates, & quidquid ad salutem pertinet, mirabiliter, ineffabiliter, & supernaturaliter leguntur, discuntur, resplendent.*

Dionys. Carthus. cap. 26.

7. Age ergo Christiane Lector, quisquis es, erige te ipsum in spem, & ab hoc SS. CORDE JEsu Crucifixi & Eucharisti obtinebis, quidquid ad salutem tuam postulaveris. Si Pastor animarum es, &

Ver-

UVA. BHSC. BU 00661

Verbi divini præco, ecce hìc habes, quod populo Christiano statutis temporibus annunties, dum tibi pro objecto concionum non aliud ab Apostolo, quàm Christus JEsus & hic Crucifixus præscribitur: *Nos prædicamus Christum Crucifixum.* In hunc finem Majores nostri prudenter curârunt, ut in cathedrâ imago quædam devota Crucifixi JEsu collocaretur, ad admonendum Concionatorem, quem populo Christiano intimare ac prædicare debeat, & tanquam efficacissimum omnium virtutum exemplar proponere: nihil enim obturata hominum corda magìs movere, mentésque efficaciùs ferire solet, quàm sermo devotus de amabilissimo CORDE JEsu, Amatoris nostri optimi ac maximi: *Vivus enim est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ & spiritûs, &c.* 1. *Cor.* 1, 23. *Hebr.* 4, 12.

Econtrà væ illis Prædicatoribus, qui omnino à Crucifixo JEsu deflectunt, ac magìs se ipsos, quàm Christum Crucifixum prædicant. Audi, quisquis hac legatione pro Deo & salute proximi fungeris, quid non ita pridem cuidam Concionatori in Hispania acciderit. Hic bracteatâ suâ eloquentiâ magìs se ipsum, quàm JEsum Crucifixum quæsierat. Monebatur quidem ab amico fideli hic vanus verborum blaterator, ut secundùm mentem Apostoli Christum & hunc Crucifixum Christiano populo annuntiaret; sed ratus, ab invidiâ & æmulatione hanc procedere admonitionem, protervè eam contempsit. Moritur tandem vanissimus hic Concionator, ac paulò pòst suo monitori coram SS. Crucifixo pro defuncti hujus animâ oranti apparet, de cujus Salvatoris aperto SS. CORDE igneus fluvius egrediebatur, miserum hominem penitus obruens, & circumquaque comburens, in quo igneo fluvio manus in cœlum jactans, lamentabili voce exclamavit illud Regii Vatis: *Operuit confusio faciem meam;* Ad quem Christus de cruce illud Isaiæ fulminavit: *Nónne silui? Nónne tacui? Nónne dissimulavi? Tu verò projecisti omnes sermones meos. Nunc autem sicut parturiens loquar, dissipabo, & absorbebo simul.* *Alphons. de Andrade in duce virtut. lib. 1. c. 35. §. 3.* *Psal.* 68, 8. *Is.* 42, 14.

8. Habet

UVA. BHSC. BU 00661

8. Habet & Religiosus in SS. CORDE JEsu, quam sequatur ideam: sicut enim pictor, qui ex alio prototypo imaginem exprimere, & imitari satagit, exemplar suum continuò respicit, juxta quod lineas suas format, ducit & componit: Ita Sacerdos tum Sæcularis, tum Regularis SS. ac divinissimum COR JEsu Crucifixi & Eucharistici, velut perfectissimam suarum actionum ideam & regulam quotidie intueri debet, juxta quam vitæ suæ normam dirigat:

Hebr. 12, 2. *Aspicientes in Authorem fidei*, ait Apostolus, *& consummatorem JEsum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.*

Ex vita S. Franc. Salesi. & aliis. Hoc verbo & exemplo docuit (ut mittam plures alios) S. Franciscus Salesius, divinissimi CORDIS JEsu amator & cultor planè eximius; qui, cùm die quâdam ad frequentem populum, totus amoribus in Crucifixum Redemptorem suum incensus, sermonem faceret; ecce subitò cœlestibus radiis ex sacris Vulneribus JEsu prodeuntibus, mirificè coram omni populo illustratus apparuit; neque imposterum hic Divus SS. COR JEsu aliter, quàm suam gemmam & unionem orientalem pretiosissimum appellare consuevit.

9. Habet denique & homo sæcularis exemplar in monte Golgothæo monstratum, quod in vitâ, & in morte imitetur. Et sicut ille, qui in mari periculoso navigat, ad aliquod cœli sidus solet attendere, juxta quod cursum suum dirigit, ne à portu sibi proposito aberret: sic homo Christianus in tot corporis & animæ periculis constitutus, si in hoc mari magno & spatioso hujus mundi immundi à vero beatitudinis portu aberrare non velit, pro Cynosurâ SS. COR JEsu sibi proponat, in quo perfectè addiscet declinare à malo & facere bonum, cujus quoque ope & gratiâ protectus, in omni tum vitæ, tum mortis discrimine intrepidus stabit: *Ubi tuta*, quærit S. Bernardus, *firmáque securitas, nisi in Vulneribus Salvatoris?* Addamus nos: Et in SS. CORDE JEsu? *Tantò illic securior habitas, quantò ille potentior est ad salvandum. Fremat Mundus, premat corpus, diabolus insidietur, ne time, quia in foraminibus Petra secura es.* O anima! quàm suave tunc erit, in amplexu Crucifixi, & in dulci Osculo SS. CORDIS JEsu supremum efflare spiritum!

S. Bern. serm. 61. in Cant.

Hoc verò ut certo certiùs consequaris, ad hunc sæpius, dum spiras, recurre Librum, COR, inquam, Redemptoris tui cœlestibus doctrinis, & spiritualibus solatiis refertissimum: ut illi celeberrimo Pictori, ita longè magis tibi nulla dies, imò nulla hora, &, si fieri posset, nullum horæ momentum sine linea prætereat, id est, sine memoria, cultu, & amore amantissimi CORDIS JEsu tui. Hinc assuesce ad horæ pulsum pulsare Cor tuum, & elicito divini amoris actu dicere:

COR JESU ego amo Te,
Nam antè Tu amasti me!

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO. II.

SS. COR JESU inflammatum apparet, ut ignem Charitatis erga SS. Eucharistiam, & Passionem suam denuo in cordibus nostris accendat.



Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur? Lucæ 12, 49.

1. CLementissimus DEus, cujus misericordiæ non est numerus, & bonitatis ejus infinitus thesaurus, sæpius in Veteri Testamento miseris mortalibus in igne apparere dignatus est.

Cùm Decalogum promulgare vellet toti terrarum orbi servandum, in monte Sinai in igne fulgurante apparuit: *Totus autem mons Sinai fumabat, eò quòd Dominus descendisset super eum in igne.* Exod. 19. 18.

Danieli viro desideriorum idem Dominus in igneo throno spe-

UVA. BHSC. BU 00661

Dan. 7, 9. ctandum se præbuit: *Aspiciebam, donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit: vestimentum ejus candidum quasi nix, & capilli capitis ejus quasi lana munda: thronus ejus flammæ ignis, &c.*

Tribus illis Pueris Babylonicis, Sidrach, Misach, & Abdenago in
Dan. 3, 92. medio ignis ardentis se spectabilem reddidit: *Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis Filio Dei.*

Moysi & universo populo Israelitico, de Ægypto exeunti, in columna nubis & ignis apparuit, in qua igneum suum thronum collocans, Pharaonem fulminavit, & Israelitas per mare rubrum feliciter
Exod. 14, 24. in Palæstinam traduxit: *Et ecce, respiciens Dominus supra castra Ægyptiorum per columnā ignis & nubis, interfecit exercitum illorū.*

Imò & inter pungentes spinas idem mitissimus DEus thronum suum ponere non abhorruit, dum in rubo ardente, & incombusto Moysen ad se vocare, eúmque cum omni populo electo, tunc sub immiti jugo Pharaonis tyranni imaniter presso, mirè consolari di-
Exod. 3, 2. gnatus est, *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.*

Ad quid, obsecro, DEus infinitæ Majestatis in antiqua lege in igneo throno comparuit? & ad quid sedem in igne flammescente,
Dan. 7, 9. & corruscante toties collocavit: *Et thronus ejus flammæ ignis.*

In promptu causa est: *Hic thronus ignis*, ait Philippus Diez, *est Amor, quoniam in amore DEUS sedem habet*; proinde appellari
Deut. 4, 24. voluit: DEUS IGNIS. *Dominus DEus tuus ignis consumens*, ut per hunc igneum thronum vehementissimum suum in nos amorem
Isa. 54, 8. indicaret, quo jam in charitate perpetua dilexit nos: *In misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit Redemptor tuus Dominus.*

2. Et ecce novum immensi hujus amoris prodigium! Idem be-
Hebr. 1, 1. nignissimus DEUS, qui *multifariam, multisque modis olim loquens Patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio*, dum hic pretiosissimus orbis Redemptor, ut pari ratione infinitum suum erga nos amorem demonstraret, venerabili Sorori Mariæ Margarithæ Alacoque ex Ordine Visitat. B. V. à S. Francisco Salesio fundato, sacratissimum ac divinissimum COR suum, in igneo

throno

UVA. BHSC. BU 00661

throno reclinatum, cruce signatum, ferro transfixum, ac spinis coronatum ostendere, & exhibere dignatus est, ut per ejusmodi amabile objectum languida hominũ corda magis magísque ad sui amorem pelliceret, & ea de novo divini amoris igne quodammodò inflammaret: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Luc. 12. 49.

Finis autem hujus devotionis erga SS. COR JEsu hic est, ut per ejusmodi cultum ac venerationem gravissimæ illæ injuriæ & ingratitudines, quæ à Gentilibus, Paganis, Judæis, Hæreticis, malis Christianis, atque ab ipsis nonnunquam Orthodoxis, præsertim sacrilegè communicantibus, Christo JEsu optimo Redemptori nostro inferuntur, à piis fidelibus, divinum honorem SS. CORDIS JEsu Eucharistici ac Crucifixi zelãtibus, aliquo modo resarcirentur; in quem finem fer. 6. post Fest. Corp. Christi pro hac devotione determinata fuit, ut eo die SS. COR JEsu Eucharistici & Crucifixi (quia idem Sacrificium altaris cum Sacrificio Crucis est, solâ ratione offerendi diversâ) singulari quodã cultu & adoratione à populo fideli coleretur.

Neque dubium est, hanc devotionem Christo JEsu Crucifixo pergratam esse, atque ejusmodi animam abundè ab eo diversis gratiis cumulandam, remediúmque facillimum esse, quo mediante Sacerdotes ac Religiosi ad statûs sui perfectionem possint venire, curatores animarum etiam perversissimos ad frugem reducere, fidelésque omnes indubitatam in eo salutis habere tesseram, per quam facili conatu passiones suas vincant, & de virtute in virtutem transeuntes tandem ad optatum salutis portum perveniant.

Quam integerrimã devotionem comprimis Ven. P. de la Columbiere S. J. Vir Apostolico zelo & sanctitatis famâ nominatissimus, postquam in omnibus hujus prædictæ Servæ Dei spiritum probaverat, justam, piam, sanctam, totíque Ecclesiæ Dei summè proficuam invenit, hinc meritò per plurimas jam Diœceses, ac præsertim per Augustanam, fructu animarum planè maximo propagata est. Faxit benignus DEus, ut, quod jam suo tempore de hoc SS. CORDE JEsu veritatis Apostolus, & Prædicator gentium Paulus

UVA. BHSC. BU 00661

optavit, etiam nostro ævo in omnium fidelium animis adimpleatur:
Phil. 1, 8. *Testis*, inquit, *est mihi Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus JEsu Christi, & hoc oro, ut Charitas vestra magis ac magis abundet.*

3. Reminiscor hîc illius sacri Ignis, quem quondam DEus Aaroni Summo Sacerdoti, in altari à Moyse fabricato primum sacrificium offerenti, de cœlo submisit, qui ignis ab illo tempore semper novis fomentis, & additis lignis conservatus est, donec tandem Chaldæi urbem Solymæam cum altari & templo destruxerunt, ubi Sacerdotes sacrum illum ignem in valle, & in puteo absconderunt. Et ecce rem summâ admiratione dignam! Cùm post annos plurimos denuo sacrum ignem inquirerent Judæi, non quidem ampliùs dictum ignem, sed loco illius aquam crassam in puteo invenerunt, quâ nihilo seciùs Nehemias hauriri jussit, & sacrificia in altari novo illâ aquâ aspergi. Et ecce hîc novum portentum! cùm sol, qui priùs obnubilatus fuerat, nunc pulsis nubibus radios suos super altare, & aquam illam crassam vibrare cœpit, mox ingens ignis accensus est, qui non tantùm aquam in flammam convertit, sed & in momento
2. Mach. 1, 22. victimas in altari consumpsit: *Et tempus affuit, quo sol refulsit, qui priùs erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita, ut omnes mirarentur.* Unde Lemma nostrum:

Extinctos suscitat ignes.

S. Greg. M. lib. 21. Moral. c. 7. Ignis hic de cœlo submissus juxta S. Gregorium Mag. Amor Dei est: per altare Cor nostrum præsignatum fuit, in quo ignis ille divinus jugiter ardere debet. Sed proh dolor! Ignis ille Amoris Dei in multorum Christianorum Cordibus versus est in aquam crassam. Et ecce mitissimum COR JEsu! ut affulsit ille Sol mysticus, qui hactenus erat in nubilo, cùm pauci admodùm de hoc divinissimo CORDE JEsu recordarentur, nunc denuo his novissimis temporibus ignis devotionis accensus est magnus, &c.

Et quemadmodum tempore S. Francisci Seraphici mitissimus Salvator orbis per SS. Vulnerum suorum impressionem in corpore hujus S. Patriarchæ memoriam sacratissimæ Passionis suæ magna

ex

UVA. BHSC. BU 00661

ex parte tunc in Ecclesia Dei ob calamitosa tempora oblitteratam, in Cordibus fidelium mirum in modum renovavit, unde canit Ecclesia: *Domine JEsu Christe, qui frigescente mundo, ad inflammandum Corda nostra tui amoris igne, in carne Beatissimi Francisci Passionis tuæ sacra stigmata renovâsti, &c.* Sic his ultimis temporibus (ubi *abundavit iniquitas & refrigescit charitas multorum*) Divinæ bonitati placuit, per divinissimum, & inflammatum COR Unigeniti Filii frigescentem ac senescentem mundum denuo ad meliorem frugem reducere, & ignem sui amoris de novo in Cordibus nostris accendere, ut hunc ipsum dilectissimum Redemptorem nostrum, qui præ nimio amore SS. COR suum nobis tradidit, pariter ex toto Corde diligamus: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto Corde tuo.* Ecce hic finis hujus devotionis erga SS. COR JEsu est, ut ex aspectu, & contemplatione hujus divini ac vulnerati CORDIS objectum habeas, altiùs mente in DEUM ac Redemptorem tuum ascendendi, eúmque ex tota cordis tui latitudine amandi, *objecta enim movent sensus.*

Ecclesia in festo stigmat. S. Franc.

Matth. 24, 12.

4. Hanc pulcherrimam, sanam, ac longè utilissimam devotionem erga SS. COR JEsu sapientissimi Salomon jam suo ævo elegantissimè adumbravit, dum pretiosum sibi ferculum de lignis Libani, omnis corruptionis expertibus fieri curavit, quod columnis argenteis, & aureo reclinatorio cum ascensu purpureo adornavit, & quod prorsus admirandum nobis videri debet, illud est, quod medium ejus charitate constraverit: *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani: columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum: media charitate constravit propter filias Jerusalem.* Bone DEUS! quàm mirabile hoc ferculum sapientissimi Regis in Israël fuit? quid singula hæc sibi volunt, & quid indicant? & cur media illius ferculi charitate constravit?

Cant. 3, 9.

Attentam te esse cupio, anima Christiana, per *Salomonem* Christum JEsum, qui plus quàm Salomon est, subaudi: per *Ferculum* Humanitatẽ ejus de purissimo Virginis sanguine, omnis corruptionis experto, assumptam intellige, hæc enim Humanitas ejus Divini-

UVA. BHSC. BU 00661

tatis ferculum fuit, in quo quasi in lectica Deitas VERBI recubuit. Per *columnas argenteas* ejus virtutes, humilitas, patientia, mansuetudo, puritas, zelus, immensa scientia, & obedientia usque ad mortem, &c. insinuantur. Per *reclinatorium aureum* septem Spiritûs
Isa. 11, 2. S. dona, quæ super ipsum Isaiâ attestante requiescebant: *Et requiescet super eum Spiritus Domini*, adumbrata agnoscimus. Per *ascensum purpureum* assidua ejus passio, sanguineus sudor, cruenta flagellatio, coronatio, crucifixio, vulnera, mors, & martyrium fuerunt præsignata.

Denique quòd hoc Divinitatis ferculum, seu Humanitas Christi in medio charitate constratum fuerit: Textus Hebraicus legit: *Medium ejus incensum charitate*, peraccomodè, & rectè juxta Cornelium Sacratissimum COR JEsu, utpote pars Corporis Christi nobilissima, ac media, amore nostri ardens, & incensum indicatur: in hoc enim SS. CORDE propria amoris sedes Christi JEsu
Cornel. à Lap. hic in Cant. fuit, unde Syrus habet? *Medium ejus stratum amore* & dictus Cornelius à Lapide, cujus laus est in omni Ecclesia: *COR CHRISTI*, inquit, *erat quasi fornax ardentissima charitatis, unde ipse magis nostri amore, quàm dolore assus, & tostus fuit in cruce, atque in cruce quasi in ferculo in medio manuum, pedum, & lateris quinque plagis per clavos, & lanceam transfixus; & cruentatus, velut quinque purpureis, & ardentibus pyropis constratus, ac de peccato, & morte triumphans resplenduit.*

5. Collige ex his prudens Lector, quòd in veritate Christus Dominus nihil unquam in hac terra fecerit, quod non priùs in umbra figurarum jam in veteri testamento præsignavit. Sta hîc, & cum Esdra pondera mihi pondus ignis hujus infiniti amoris, quo SS. COR JEsu, antequam esses, te amavit, & etiamnum non cessat amare te,
Sim. Cas. l. 13. licèt omni amore indignissimum: ideo, ait Simon de Cassia, lanceâ latus suum aperiri voluit, *ut aperto latere cognoscamus dilectionem CORDIS JEsu.*

Hoc SS. COR JEsu amore nostri inflammatum præfiguravit pretiosum illud altare thymiamatis ex ligno Setim inaurato constructum,

UVA. BHSC. BU 00661

ctum, in quo DEUS suavissimos odores per manus Sacerdotum sibi quondam in lege voluit adoleri: *Facies quoque altare ad adolendum thymiama, &c.* Quale autem thymiama suavius, ac gratius SS. Trinitati offerri, & adoleri potest, quàm SS. ac divinissimum COR JEsu in SS. Sacramento reconditum? *Exod 30, 1.*

Hoc SS. COR JEsu ardens, & incensum præsignavit illud thuribulum aureum, de quo in Apocalypsi: *Accepit Angelus thuribulum, & implevit illud de igne altaris, & misit in terram.* Per hunc Angelum, illum magni consilii Angelum Christum JEsum intellige *cujus COR*, inquit S. Bernardinus, *propter ardentissimum charitatis amorem thuribulo ignis carbonibus pleno comparatur*, dum se se ex sacro altari suo in quatuor cornibus in se distincto, hoc est de cruce per reseratum latus in nos plenissimè effudit: *Et implevit illud de igne altaris, & misit in terram.* *Apoc. 8, 5.* *S. Bernardin. tom. 2. serm. 56.*

6. Hoc SS. COR JEsu adumbravit aureum illud Propitiatorium supra arcam fœderis inter duos Cherubinos collocatum: erat autem hoc Propitiatorium locus placationis, ubi DEus populo suo olim mirè propitium se demonstrare solebat: hinc etiam thronus seu sedes Dei appellabatur, in quo summo Sacerdoti in Sancta Sanctorum ingredienti responsum, & oracula dabat DEUS: *Cúmque ingrederetur Moyses tabernaculum fœderis, audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio.* *Num. 7, 89.*

Plus hîc in SS. CORDE JEsu, nam umbram fugat veritas, & noctem lux eliminat: quid enim aliud hoc SS. COR JEsu in his terris fuit, & etiamnum in cœlis, & in SS. Eucharistia est, quàm verum illud Propitiatorium, ad quod omnes peccatrices animæ tutò à facie irati Numinis confugiant? O peccatores! O cæci mortales, quid agitis? quare in peccatis vestris computrescitis? cur, obsecro, ad infernum magnis quotidie passibus acceleratis? dicite, per salutem vestram vos rogo: *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? nam finis illorum mors est.* Eia igitur charæ animæ, rumpite moras, & ad amabilissimum COR JEsu Salvatoris ac Mediatoris vestri optimi, maximi ac unici, velut cervus sitibun- *Rom. 6, 21.*

UVA. BHSC. BU 00661

sitibundus, & vulnere saucius ad fontem aquarum viventium properate, hîc, hîc indubitatum asylum, delictorum veniam, & securam animarum quietem invenietis: *Accedamus*, ait Simon de Cassia, *ad COR JEsu, cor altum, cor secretum, cor omnia sciens, cor diligens, & per apertam portam fiamus saltem in amoris vehementia CORDIFORMES. Proinde sibi ad negligentiam imputet, qui non ingreditur, si apertum novit introitum.*

Simon Cas. lib. 13.

Quid nunc restat, animæ Christianæ, nisi ut ad hoc divinissimum COR JEsu vulnere saucium, & igne perpetuæ charitatis in nos inflammatum, totum quoque Cor nostrum convertamus? imitemur S. Ignatium Episcopum Antiochensem, & Martyrem glorioßissimum toto mentis affectu SS. COR, & Nomen JEsu amantem; quod ex eo patet, quòd JEsum non aliter, quàm *amorem suum* appellare consueverit. Eventus rei Cordis ejus desiderium, & amorem erga JEsum comprobavit, dum enim ut electum Christi frumentum dentibus bestiarum objectus, & à leonibus (prout ipse summis optaverat votis) usque ad ossa in amphitheatro devoratus fuit, solum Cor ejus intactum remansit, in quo aureis litteris hoc SS. Nomen JEsu inscriptum inventum fuit: *in cujus Corde*, ait Nadasi, *particulatim dissecto, in singulis particulis JEsu Nomen aureis litteris inscriptum, repertum fertur, &c.*

Cornel. in Ezech. c. 26. v. 26.

Jo. Nadas. in anno caelesti. 1. Febr.

O utinam Cor nostrum erga SS. COR & Nomen JEsu simili amoris affectu, & interni ignis ardore feratur! O bone JEsu! verifica & nunc illud, quod olim Ezechieli Prophetæ intimâsti: *Et dabo vobis Cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri: & auferam Cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis Cor carneum.* Ecce Cor nostrum durum, & in vitiis obfirmatum est, ah! emolli illud in Sanguine Sacratissimi CORDIS tui, ut te agnoscat, & præter te nil aliud imposterùm quærat. Cor nostrum, O mi JESU! lapideum est, & voluntas nostra, licèt libera, refractaria, ac vitiis assueta, ah! da nobis Cor carneum, docile, ac tractabile, quod mandata tua in omnibus observet, & in te solo DEO unicè delectetur. Cor nostrum frigidum ac tepidum est, ah! accende in eo tuæ charitatis ignem, ut amore tui ardeat, donec penitus in cineres redigatur. Cor denique nostrum inconstans est, & velut molendinum in continua agitatione, ah! mi JEsu! corrobora, ac firma illud tuâ sanctissimâ gratiâ, donec tandem superatis hujus vitæ difficultatibus æternùm requiescat in Te.

Ezech. 36, 26.

(O)

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO III.

SS. COR JESU Speculum virtutum omnium est, quod sæpius nos oportet inspicere, ut maculas animæ eluamus, & virtutem sectemur.



Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius. Sap. 7, 26.

1. TRia communiter solent dari speculorum genera: prima *plana* vocantur, & sunt illa, quæ objectum aliquod per species ad oculos videntis reflexas perfectè, prout in se est, exhibent. Secunda appellantur *concava*, & sunt illa, in quibus ima ac summa ordine inverso apparent. Tertia nominantur, *convexa*, & ex parte etiam combustoria, quæ, dum solares radios intra sinum suum colligunt, paulò pòst vivas flammas parturiunt; sic Archimedes & Psoilus per similia specula ustoria integram hostili-

Zonaras in vita Athanasii.

UVA. BHSC. BU 00661

um navium classem accenderunt; unde ejusmodi speculo, in imo corde suo ardentes flammulas colligenti, & exinde passim in opposita objecta diffundenti, pro Lemmate inscribes: *Recipit, & Reddit.* Vel ut magis ad intentum nostrum collimemus:

Ignis ab imo.

Et quid sanctissimum ac divinissimum COR JEsu aliud est, quàm limpidissimum, purissimum, lucidissimum, ac minimè fallax speculum? *Planum*, quia fallere nescium, dum cuilibet intuenti suos nævos ac maculas, prout sunt, commonstrat, docétque, quâ ratione possint abstergi, & emendari. Est & speculum *concavum*, quid enim, obsecro, magis inversum & paradoxum fuit, (prout loquitur S. Bonaventura) *quàm DEum nasci, pati, crucifigi, mori? Et convexum*, seu ustorium: sicut enim ejusmodi speculum solares radios in unum punctum colligit, & ad reflexionis centrum cogit, ut sic eò fortiùs urat, & accendat; sic tota SS. Trinitas omnes gratiarum radios ac splendores in SS. COR JEsu effudit, ut per hoc speculum ustorium corda nostra fortiùs ureret, & igne charitatis suæ accenderet, hinc à Sapiente vocatur: *Candor lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis, &c.* Cui divino & inflammato speculo meritò inscribis: *Ignis ab imo.*

S. Bonav. apud Cornel. in Sap. c. 7. v. 26.

Sap. 7, 26.

2. Olim in veteri lege mandavit DEus, ut labrum æneum ex purissimis speculis mulierum confectum, ante tabernaculi fores collocaretur, ut Sacerdotes sacrificaturi, aut in tabernaculum Dei ingressuri, priùs in eo se inspicerent, & si quid maculatum, aut incompositum invenirent, in labro lavatorio abstergerent, atque componerent: *Fecit & labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum.*

Exod. 38. 8.

Per hoc speculum æneum ac nitidissimum rectè SS. COR JEsu intelligas, in quo velut in limpidissimo speculo omnes refulgent virtutes, & in quo omnes tuos nævos, animæque maculas non tam coràm intueri, quàm & in Sanguine ejus abstergere poteris: *Et Sanguis JEsu Christi, Filii ejus emundat nos ab omni peccato.*

1 Jo. 1, 7.

Hoc Speculum (divinissimum COR JEsu) cùm aliquando S. Catha-

UVA. BHSC. BU 00661

Catharina Senensis propensiùs intueretur, & econtra Cor suum tot adhuc imperfectionum maculis obnoxium consideraret, dilectissimum animæ suæ Sponsum impensè rogare cœpit, quatenus dignaretur Cor suum sibi auferre, & loco illius immaculatum COR JEsu in eadem corporis sede collocare. Placuit Christo hæc virginis petitio, qui mox Cor illi exemit, & suum vicissim ei tradidit, unde imposterum ad Christum orans dicere solebat: *Commendo tibi Domine Cor tuum, non meum.* *Cornel. à Lap. in Ezech. c. 36. v. 26.*

In idem Speculum cùm V. Catharina Raconisia, SS. CORDIS JEsu amantissima, oculos mentis conjiceret, & in eo velut in lucidissima crystallo maculas Cordis sui contemplaretur, à Christo humiliter flagitavit, ut Cor sibi auferret, & in Sanguine suo mundatum restitueret; Ad quod mitissimus Redemptor illi Cor è corpore rapuit, & purius ac sanctius, quàm antea fuerat, ei reddidit: quod quinquies per ejus vitæ cursum factum est. *R. P. Jo. Weyer S. J. in Filio Dei Adopt. tom. 2. l. 1. c. 10.*

In illud mysticum Speculum (SS. COR JEsu) pariter oculos suos intendit Venerand. ille P. Martinus Guttieres S. J. qui, cùm tempore vespertino rationes conscientiæ suæ exigeret, manifestè quandam lancem argenteam, quasi in pellucido speculo, sibi præsentari vidit, in qua ex una parte Cor positum erat perexiguum, deforme, rugísque contractum, quod à binis sanguinis stillis mox absorptum fuit: ex altera verò lancis parte Cor amplum jacere vidit, vastum, purpureum, vividum, atque ad quascunque decoquendas difficultates paratum. Et ecce! dum ex hac visione attonitus hæret, divinitus edocetur, Cor primum Cor suum esse, eíque ad instructionem ita fuisse exhibitum, alterum verò esse COR JEsu, quod mortalium, quæ per universum orbem quotidie committuntur, sceleribus non obruitur, sed potiùs magnâ, & longanimi patientiâ peccatores ad pœnitentiam expectat, quod & ipse imposterum studeret in se exprimere, & charismata meliora æmulari. *Idem Tom. 3. lib. 1. c. 6. §. 6.*

O Christiane Lector! inspice & tu vesperi, cùm conscientiam tuam discutis, in hoc Divinitatis speculum, (SS. COR JEsu) & mox sufficientem tuæ propriæ confusionis materiem invenies: Intuere

UVA. BHSC. BU 00661

admirandam illius humilitatem, quomodo ad pedes Judæ se prosternat, Barabbæ homicidæ se postponat, & inter infames latrones in patibulario ligno suspendatur. O quanta hæc fuit humilitas SS. CORDIS JEsu! perpende vicissim, quænam tua sit humilitas Cordis, dum cupis ubique appretiari, æstimari ab hominibus, doctus videri, &c. (NB. sic poteris per omnes virtutes, v. g. patientiam, puritatem, sobrietatem, paupertatem, mortificationem, resignationem, &c. transire, & ubique objectum increpationis, imperfectionum, & negligentiarum tuarum reperies) Confundere igitur ob hæc tui Cordis vitia, & à SS. CORDE JEsu gratiam ex intimo affectu postula, ut ea imposterum seriò possis emendare.

Lyræus in Marial. fol. 349.

3. Sed progredior ad alia. De Carolo V. gloriosissimæ memoriæ Imperatore refert Hadrianus Lyræus, quòd in suo regio conclavi hinc inde in parietibus lucidissima specula appendi curaverit, quæ, quocumque Imperator se vertebat, per occultam reflexionem radiorum lucis ipsi luctuosam imaginem Crucifixi JEsu repræsentabant, ut sic semper in recenti Cæsaris memoria versaretur, qui pro omnium salute pependit in Cruce. Pulcherrimũ hoc fuit exemplum, quod Magnates Christiani & Illustres meritò imitentur.

R. P. Knittel S. J. Dom. 1. Quad. tom. 4.

Inservit hîc ad propositum, quod de S. Rosalia Regis Sinibaldi Quisquinæ & Rosarum Domini Filia probati referunt Authores, quæ dum se comebat, poliebat, crines in cirrum contorquebat, & ad parentis sui genium se regio ornabat amictu, semel appensum in conclavi speculum consuluit, ut in hoc illusionis magistro formæ suæ gratiam, vultúsque venustatem liberaliùs specularetur. Et ecce! dum speculum inspicit, quid, obsecro, vidit Rosalia? Stat hæc muta sine voce, nimio terrore percussa, nec seipsam ob insolitum prodigium potest capere. Accedit iterum, de novo intuetur speculum mulierum, & quid vidit? Adverte, & obstupesce: In fundo ejusdem permagni, & tersissimi Speculi clarè intuita est, quid? non seipsam, sed Christum JEsum vivum, recenti Sanguine perfusum, horrido spineto redimitum, toto corpore plagatum, & in ligno crucis ferreis clavis suffixum, audiítque ex ore Redemptoris sui

hanc

UVA. BHSC. BV 00661

hanc fractam vocem: *Vide hominem, quem crucifixisti: Vide Vulnera, quæ inflixisti: Vide Latus, quod transfixisti.*

Ad quam lamentabilem vocem, & visum tam lugubre spectaculum hæc tenera, & regia Virgo adeò in corde commota fuit, ut absque ulla mora mundo, regno, opibus, deliciis regalibus, honoribus, ipsisque paternis laribus valedicens, antrum horridum in asperrima rupe elegerit, ubi reliquum vitæ curriculum, velut columba in foraminibus petræ, & caverna maceriæ (hoc est in SS. CORDE JEsu) in assidua contemplatione hujus sui Crucifixi Amoris, & sanguinum Sponsi defixa, usque ad beatam mortem constanter traduxit: unde asperrimo huic antro sequentem propriis manibus inscripsit epigraphen: *Ego Rosalia Senibaldi Quisquinæ, & Rosarum Domini filia, amore Domini mei JEsu Christi in hoc antro habitare decrevi.* Cujus sacrum Corpus, cùm sub Urbano VIII. Pont. Max. An. Jubilæi 1625. fuisset repertum, mox Siciliam à vehementissima peste liberavit. Tantùm profuit Rosaliæ, vel semel hoc divinum Speculum inspexisse, cui pro epigraphe hos senarios Jambos R. P. Carducii non incongruè inscribes.

Fidele vitrum lucet, ut sordes fuget:
Speculare JEsum; hic fœda pellet omnia.

4. O mulieres, O Virgines, O domicellæ? ad vos nunc sermo meus est. Ecce habetis hîc in S. Rosalia nobilissimum exemplar, quod imitemini. Olim DEus per Prophetarum Principem Isaiam vobis comminatus est, quòd propter intolerabilem vestram superbiam ac arrogantiam omnia superflua, ac pretiosa corporis ornamenta, & inter illa etiam specula vestra, velit auferre; Audite Verbum Domini: *In illa die auferet Dominus ornamenta calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specula, &c.* Et quid sequitur? Arrigite aures: *Et erit pro suavi odore fœtor, pro zonâ funiculus, & pro crispanti crine calvitium.* O qualis est hæc mutatio, & quàm admiranda rerum metamorphosis! Olim

Is. 3, 17.

Faber in Sanct. in Festo Epiph.

UVA. BHSC. BU 00661

Olim Bonifacius. VIII. P. M. Serenissimæ Reginæ magnæ Britanniæ nitidissimum, & auratum speculum cum pretioso pectine in singulare donum submisit. En offero, & vobis simile, imò longè fidelius speculum, sacratissimum, & augustissimum COR JEsu, cruce signatum, & sentibus cinctum; hoc, inquam, divinissimum Speculum in vestris conclavibus appendite; Hoc sæpius de die consulite, & in hoc animæ vestræ maculas deterigit: Et siquidem indigent capilli vestri, ut pectine disponantur in ordinem, en & pectinem subministro, pungentes scilicet spinas, quibus SS. COR JEsu per omnem vitam punctũ fuit. *Inspice, & fac secundùm exemplar.*

Exod. 20. 4.

5. De Tigride ferocissimo animali recenset S. Ambrosius, quòd sequenti modo illi catuli surripiantur. Solent venatores, dum tigris ad prædam egreditur, celeri interim cursu in equo ad antrum illius ferri, ubi captâ tam optatâ occasione catulos omnes surripiunt, & cum hac præda rursus rapido cursu in fugam se conjiciunt. Quod ubi advertit tigris, absque mora vestigiis raptorum insistit, ex odore catulorum perfectissimè cognoscens, quò & per quam viam venatores cum illis se proripuerint. Quid hîc in arena consilii? audi: speculum dicti venatores tigridi insequenti in via objiciunt, ad quod ubi ferocissima hæc fera pervenit, seipsam in illo conspicata, catulos suos intra hanc sphærã vitream delitescere existimat; dum mox à cœpto cursu desistit, furorem deponit, catulis in speculo blanditur, osculatur, amplexúq; stringit; interim cũ præda evasêre venatores.

S. Ambr. lib. 6. Hexam. & alii.

O anima Christiana! si hactenus in feram, crudelem, & iratam tigridem degenerâsti; en speculum tibi objicio, SS. dolorosissimum, & afflictissimum COR JEsu Eucharistici & Crucifixi, cum hoc inscripto lemmate: *Inspice, & emenda*, quod hactenus contra DEum, te ipsum, & proximum tuum deliquisti. Inspice, inquam, non more virorum, qui obiter & in transitu duntaxat *considerant vultum nativitatis suæ in speculo, & statim obliviscuntur, quales fuerint*: unde nec suas eluere maculas, nec incomposita componere student; sed inspice potiùs more virginum, ac mulierum, quæ dum se ipsas in speculo considerant, cunctas maculas, ac nævos etiam minimos

Jacob. 1. 23.

UVA. BHSC. BV 00661

nimos in facie extergunt, omnésque gestus, & motus corporis juxta formam hujus speculi componunt. Ita, inquam, & tu, ô anima Christiana, hoc mysticum speculum, SS.COR JEsu intuere, & disce ab eo cum tigride omnem inordinatam iram, ac furorem deponere, mansuetudinem exercere, patientiam, castitatem, obedientiam, amorem Dei, & proximi &c. pro viribus imitari, & omnia in divinam voluntatem resignare: *exemplum enim dedi vobis, ut, sicut ego feci, ita & vos faciatis.* Jo. 13, 15

6. Reminiscor hîc illius Venerandi Sacerdotis Hippolytia Glatini, qui, cùm Florentiæ versaretur, in vicinia suâ prostituti pudoris fœminam observavit, cujus animæ interitum cùm intimè deploraret, ut eam denuo ad frugem reduceret, hoc pio, & ingenioso astu usus est. Curavit is loco speculi sibi fieri tabellam, in qua afflictissimus Redemptor JEsus cruentum in modum flagellatus, & plexo ex acutissimis spinis serto coronatus, profluente ex vulneribus undique sanguine, eleganti penicillo expressus erat. Hanc piissimam tabellam in morem pretiosi speculi elaboratam, ad fenestram more mulierum suspendit, coram quo pio speculo ferè assiduò stans, & nunc capillos, nunc galerum disponens, nunc maculas vultûs abstergens videbatur. Insania dicto prostibulo visa est, ubi virum opinione Sanctitatis celebrem toties ante speculum observavit, quare cum risu, & cachinno ab eo petiit, quatenus hoc suum sibi speculum ad tempus commodaret. Gratum hoc accidit Hippolyto nuntium; solvit igitur de fenestra hoc lugubre speculum, vultûque serio, atque ad pietatem composito illud procaci lupæ commonstrat, quæ ad insolitum spectaculum attonita, & intus in animo perculsa, cùm vix una alteráve vice oculos in triste speculum conjecisset, mox relicto sæculo ad sacra claustra transvolavit, vitámque piissimam per reliquum vitæ circulum duxit. Nulla sanè fœmina melius in speculo se contemplata est. O utinam & nostro ævo plures simili speculo uterentur. O utinam! O utinam! *Hadr. Lyr. de imit. Christi pat. l. 3. c. 6.*

Et ecce! appendo & ego vobis ejusmodi speculum, in quo, quidquid in vobis indecorum, quidquid vitiosum, quidquid probro-

UVA. BHSC. BU 00661

brosum est, non tam videre, quàm & emendare potestis. Socrates Philosophus voluit, ut discipuli sui sæpius in speculo se contemplarentur, & ex illo compositionem corporum, morum, & actionum ediscerent. O quàm bonum, quàm fidele, quàm amabile speculum est COR JEsu! quod meritò omnibus Christianis tanquam Christi discipulis in exemplar omnium actionum morum, & virtutum in Ecclesia Dei proponatur. Inspice igitur assiduè hoc divinum speculum, ut illud in mente tua exprimas: *Feci*sti, ait S. Drogo Hostiensis, *O Domine JEsu, de corpore tuo speculum animæ meæ.*

S. Drogo Host. cit. à Lyræo f. 288.

7. Pro dictorum coronide audiamus, quid Ludovicus Vives, & alii de basilisco recensent, qui venenum adeò lethale, & exitiosum à se spargit, ut hominem solo visu interimat, unde lemma: *Aspiciendo necat.* Solent autem venatores, ut hanc cruentam, & reipublicæ summè noxiam bestiam è medio tollant, grandius speculum ante se ferre, quod cùm ille intuetur, venenati specierum visibilium radii ex oculis basiliski egressi, ad ipsum vi speculi reflectuntur, & sic ipsum non tam inficiunt, quàm & interficiunt.

Ludov. Vives in S. Aug. lib. 18. Civit. cap. 13.

Anno 1587. Warschavii in Polonia similis basiliscus inter ædificiorum combustorum rudera observatus est, qui solo aspectu plures homines necavit, & quia nullus audebat cum illo in certamen descendere, placuit ejus loci magistratui, hominem quendam mortis reum, & nunc post triduum suspendendum eò ablegare, qui lætus conditionem acceptans, de speculis sibi ex medicorum consilio providit, quibus undique circumdatus illi venenatæ bestiæ obviam processit. Et ecce dum basiliscus pestifero halitu, & visu venenum suum in hominem effundit, per repercussionem specierum venenatarum à glabritie speculorum in ipsum reflexarum, mortuus concidit, quem exinde liberatus in pertica sublimem triumphantis in morem circumtulit.

Laur. Lemmer in Laur. Mariali. fol. 271.

Quid aliud peccatum est, quàm ejusmodi pestifer basiliscus, solo halitu, & visu animam necans? *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Et in alio loco, *Peccatum cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Quid ergo consilii contra hunc exitiosum basiliscum omnibus mortalibus exitium struentem? Audi consilium meum: si salutem tuam amas, provide tibi de Speculo sine macula, quod est SS. COR JEsu, hoc, inquam, gratiosum speculum ante oculos tum mentis, tum corporis affige, hoc sæpius inspice, hoc in omni tentatione consule, *& erit tibi quasi vita tua pendens ante te*, ac tunc præsertim, quando tibi cum tota æternitate decertandum.

Ezech. 18, 4. Jac. 1, 15.

Deut. 28, 66.

CON-

UVA. BHSC. BV 00661

CONSIDERATIO IV.

SS. COR JESU perfectissimi amoris Exemplar jam à primo vitæ suæ momento nobis extitit.



Et Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis. Joan. 1, 14.

1. INter omnia opera mirabilia, ac Divinæ Potentiæ prodigia nullum majus est, quàm quod DEUS T. O. M. pro homine indigno dignatus sit homo fieri. Erat tunc, antequam VERBUM incarnaretur, humanum genus non absimile illi Paralytico, qui ad piscinam probaticam languens, atque ab omnibus desertus per triginta & octo annos jacebat, hominem non habens, qui, cùm aqua ab Angelo moveretur, ipsum in piscinam demisisset. Tandem advenit benignissimus JEsus, ejúsque miseriis ex intimo corde condolens, hunc ægrum verbo vitæ à tam diuturna paralysi non tam sanavit, quàm & animam ejus perfectissimæ saluti restituit:

UVA. BHSC. BU 00661

Joan. 5, 8. *Dixit ei JEsus surge, tolle grabatum tuum, & ambula, & statim sanus factus est homo ille.*

En hîc typum & imaginem humani generis, priusquam VERBUM incarnaretur! languebat tunc temporis mundus totus insanabili peccati paralysi jam à quatuor aut quinque annorum millibus contabescens. Erat tunc orbis plenus idololatris & impiis peccatoribus, tanto Incarnationis beneficio omnino indignis. Cùm ergo in tanta ac propemodum jam desperata miseria nullus aut Angelorum, aut mortalium opem ferre posset, assumpsit VERBUM naturam humanam, & cum ea COR mitissimum, quo nostris condoleret, & succurreret miseriis.

Judic. 6, 37. Inspice Emblema, & Vellus Gedeonis in area expansum considera, in quod quietâ ac serenâ nocte ros cœlestis pleno sinu se demisit, cui rori pro lemmate inscribes: *Fœcundat ab alto.* Vel illud ex symbolo Nic. mutuatum:

Descendit de Cœlis.

S. Aug. serm. 10. de Nat. Dom. S. Bern. serm. 2. sup. miss. est. S. Petr. Chrysol. serm 3. de Annunt. *Ad hoc*, ait S. August. *descendit Christus in uterum Virginis, ut exinde acciperet membra, quæ traderet cruci.* Et S. Bernardus: *Ros in vellere, & Christus in Virgine.* Quibus annecto Div. Petrum Chrysol. *Cœlestis imber*, inquit, *virgineum in vellus placido se fudit illapsu, & tota Divinitatis unda bibulo se nostræ carnis velavit in vellere, donec per patibulum Crucis expressum, terris omnibus in pluviam salutis se effunderet.* Considera vel ex hoc immensum illum amorem diviniss. CORDIS JEsu, & finem, ob quem is venerit in mundum; non enim omnia Vet. Testamenti sacrificia DEum Patrem neque ex parte offerentis, neque ex parte rei oblatæ placare poterant. Descendit ergo ipse-Unigenitus Dei Filius, & quid fecit? seipsum, ac SS. COR suum à vitæ primordio Patri in propitiationem pro peccatis nostris, & in primam victimam obtulit. O

Hebr. 10, 5. gratum munus! *Ingrediens mundum dicit: Hostiam & oblationem noluisti, Corpus autem aptâsti mihi: Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt: Tunc dixi: Ecce, venio, in capite libri scriptum*

UVA. BHSC. BU 00661

ptum est de me, ut faciam, DEus, voluntatem tuam. Psaltes addit: *DEus meus volui, & legem tuam in medio CORDIS mei.* *Ps. 39, 8.*

2. Hîc non immeritò quæres pie Lector, quomodo Incarnatio Verbi in utero SS. Virginis facta sit? Adverte: sicut purissima Margarita in concha ex cœli rore & fulgore conflari solet; sic quoque Christus ex Deitate & Humanitate per unionem hypostaticam à Spiritu S. in castissimo Virginis utero ex purissimo ejus sanguine conceptus, perfectè in instanti organizatus, & animatus fuit, dum B Virgo hoc unicum verbum ad Angelum effata est: FIAT. *Cornel. in Luc. 1, 38*

Hæc autem Corporis Dominici forma non major tunc fuit, quàm quantitas unius formicæ, vel apis, vel, ut vult S Bernardinus, adinstar tenuissimi vermiculi. Habuit tamen præter plenissimum rationis usum omnia attributa divina, & idem tunc DEus erat in tempore, qui nunc est, & fuit in æternitate: O VERBUM BREVIATUM! *S. Bern. Tom. 3. Dom. 2. serm. 20. art. 2 c. 7. Rom. 9, 28.*

Addit B. Albertus M. quòd ex sententia Anatomistarum in fonte sanguinis CORDIALIS cujuslibet hominis reperiantur quatuor rivuli in modum Crucis in Corde humano distantes, ex quibus quatuor Cordis rivulis, in formam Crucis sibi invicem oppositis, censet idem Author celeberrimus, quòd Spiritus S. purissimum Virginis sanguinem sumpserit, ex quo divinissimum COR JEsu, totúmque ejus corpusculum in instanti formaverit. Nunc sta, & pensa amorem SS. CORDIS JEsu, quantùm pro te jam tunc se exinanierit. Considera & dolorem hujus innocentissimi CORDIS, quid pro te jam tunc sustinuerit: *Volve*, inquit S. Bernardus, *& revolve vitam boni JEsu, & non invenies eum, nisi in Cruce, ex quo enim carnem assumpsit, semper in pœna fuit.* Et tu Christiane hoc SS. COR JEsu non ames? non æstimes? non colas? imò & offendas? *B. Alb. Magn.* *S. Bern. serm. 3. de pass.*

3. Contigit autem hoc summè admirandum, omniúmque miraculorum longè maximum (quòd DEUS HOMO factus sit) die 25. Martii, quâ luce DEus etiam hominem ex limo terræ formavit: Isaacum ad victimam destinatum, à gladio patris eripuit: Hebræos per mare rubrum feliciter in Palæstinam traduxit, & Pharaonem *Manst in festo Annunt. B. V. disc. 1. &c.*

UVA. BHSC. BU 00661

cum exercitu suo in profundo maris submersit: quo die & Dei Filius tandem post expletos triginta quatuor annos pro salute generis humani pati, Cruci affigi, & mori voluit. En mirandam divinæ Providentiæ dispositionem!

Si olim Israelitæ in tantam admirationem rapti sunt, quando prima vice illud Manna, seu panem illum cœlestem, omne delectamentum in se habentem, de cœlo in terram pluere viderunt, ut præ admiratione tanti prodigii unanimiter in castris suis exclamârint? *Exod. 16, 15.* *Manhu, quid est hoc?* Quis non miretur immensam tuam bonitatem, O mi JEsu! quòd tu ipse, tanquam panis verus & vivus, de cœlo descendere dignatus sis? An tanta res erat salus peccatricis animæ meæ, ut propter eam de cœlesti throno descenderes, homo fieres, & tandem in Cruce morereris? Et, quod plus est, etiam post mortem SS. COR tuum immiti lanceâ transfixum in scopum amoris relinqueres? O immensus amor hujus Sanctissimi CORDIS tui! Quid tibi, O mi Salvator, rependam? *Tob. 12, 11.* *Quid possumus dare Viro isti sancto?* dicebat quondam Tobias, *aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus?* Et ego dico: Quid dabimus beneficentissimo CORDI JEsu, pro nostra salute jam tunc temporis tam indigna passo, ac tandem pro nobis in Cruce aperto? *Quid dignum poterit esse beneficiis ejus, &c.*

4. Obstupuit quondam Jacob, ubi per scalam illam mirabilem Angelos Dei de cœlo in terram descendentes conspexit: *Gen. 28, 11.* *Vidítque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen ejus tangens cœlum, Angelos quoque Dei ascendentis & descendentis per eam, &c.*

O Vir sancte! quid adeò demiraris descendentes de cœlo Angelos? quin potiùs obstupesce amorem JEsu adeò humiliati, ac de sinu Patris descendentis, & nunc in utero Virginis quiescentis, ubi cœlestia terrenis; & ima summis conjungebat. O pientissime JEsu! an non poteras Angelum quendam de cœlo in hanc terram ablegare, ut per illum universalem amnistiam miseris mortalibus publicares? Sed quid audio? qui olim Centurioni dixit: *Matth. 8, 7.* *Ego veniam, & curabo eum:* Ipse quoque ad nos venire dignatus est, *visitans*

nos

UVA. BHSC. BU 00661

nos oriens ex alto, ut à peccati jugo, & servitute diaboli nos redimeret, & æternùm bearet: O abyssum bonitatis SS. CORDIS JEsu! Et ego non amem te? *Luc.* 1, 78.

5. De Elia refert Scriptura, quòd nec pedem quidem in gratiam Regis Ochoziæ tunc graviter ægrotantis movere voluerit, in quem finem submisit ei Rex duas militum cohortes, ut dignaretur de monte Carmeli descendere: *Homo Dei, hæc dixit Rex, festina, descende*: quid ad hoc zelosissimus Elias? *Si homo Dei ego sum, descendat ignis de cælo, & devoret te, & quinquaginta tuos.* Quod & ita juxta vaticinium Prophetæ accidit. O COR durum, & inexorabile! 4. *Reg.* 1, 11.

A Magistro ad discipulum me converto. Venerat ad Elisæum Prophetam Naaman Princeps militiæ Regis Syriæ, vir potens, & dives, humiliter eum rogans, quatenus dignaretur ad se descendere, & à lepra infectam carnem curare: *Venit ergo Naaman cum equis, & curribus, & stetit ad ostium domûs Elisæi.* Quid ad hoc Elisæus? Nuntium solùm ad Naaman misit, qui ipsi indicaret, ut in Jordanem se demitteret, septiésque carnem ablueret, & sic à lepra esse mundandum, ipse verò Propheta, licèt rogatus, ad hunc leprosum Principem non descendit, unde etiam indignans abiit: *Iratus Naaman recedebat, dicens: putabam, quòd egrederetur ad me, & stans invocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu suâ locum lepræ, & curaret me.* En alterum COR durum! 4. *Reg.* 5, 9.

Ita & Sacerdos ille, ac Levita, licèt peregrinum illum Jeruchuntinum expoliatum, semivivum, multisque plagis confectum vidissent, præteribant tamen in via, & neuter dignabatur ad hunc misellum, & ab omnibus derelictum descendere: *Accidit autem, ut Sacerdos quidam descenderet eâdem viâ, & viso illo præteriit, similiter & levita, cùm esset secùs locum, & videret eum, pertransiit.* O CORDA indurata! O corda adamantina! *Luc.* 10, 31.

Considera in his typis prudens Lector imaginem ægrotantis, leprosæ, & vulneratæ animæ hominis, quæ tunc cum Ochozia ægrotavit, cum Naaman lepra infecta fuit, & cum misero illo Jeruchuntino

UVA. BHSC. BU 00661

tino in latrones incidit, dum per peccatum justitiam originalem amisit, ad quam animam tuam sanandam nullus Angelorum, nullus Patriarcharum, nullus Prophetarum, aut alius quispiam Sanctorum dignatus est descendere, imò verò nec omnes Sancti simul, & collectivè sumpti eam à perditione poterant revocare. Hinc Jeremias ait: *Insanabilis est dolor tuus propter multitudinem iniquitatis tuæ.* Quid ergo in re tam ardua consilii?

Jerem. 30, 15.

O infinitam, O immensam bonitatem pretiosissimi Redemptoris tui JEsu! verè in misericordia sempiterna, & in charitate perpetua dilexit te? venit ergo optimus Samaritanus: *Et videns nos, misericordia motus est:* venit, inquam, de sinu Patris in uterum Virginis, & descendens de summo cœlo deorsum usque in hanc lacrymarum vallem, carnem humanam, infirmam, passibilem assumpsit, ut salvos faceret, quos ex nihilo condidit. O verè magnum, imò maximum divinæ Pietatis Sacramentum! *Nullum majus donum,* sunt verba S. Augustini, *præstare DEUS posset hominibus, quàm ut VERBUM suum, per quod condidit omnia, faceret illis caput, & illos ei tanquam membra coaptaret, ut esset Filius Dei, & filius hominis, & unus DEus cum Patre, unus homo cum hominibus.*

S. Aug. sup. Psal. 85.

6. Amorem hactenus hujus divinissimi CORDIS Jesu jam à primo ejus vitæ momento explicavimus. Nunc & hujus suavissimi CORDIS dolorem consideremus. Dixi superiùs sententiâ SS. Patrum suffultus, SS. Corpusculum optimi JEsu in primo Incarnationis instanti quantitatem unius formicæ non excessisse. Considera, quæso te prudens Lector, acervum formicarum, earúmque labores, & curas lustra, & videbis, quòd tenuissima formicula mirâ prorsus alacritate longè majora, ac graviora onera, quàm ipsa est, in se suscipiat, & ad acervum suum comportet: hinc cernes in earum acervo plures bacillos confractos, & in modum crucis hinc & inde dispositos. Finge pro symbolo formando tibi ejusmodi formiculam, similem bacillum in modum crucis dispositum alacriter in se suscipientem, cui pro lemmate inscribes: *Excedunt pondera vires.*

O bo-

UVA. BHSC. BU 00661

O bone JEsu! Tu in Incarnatione tua similis ejusmodi laboriosæ, ac sedulæ formicæ factus es, dum crucem à Patre oblatam summo gaudio jam tunc in SS. CORDE tuo suscepisti, usque ad vitæ finem jugiter portandam. Ad scripturam.

7. De Juda Patriarcha recensent sacræ litteræ, quòd ex Thamar genuerit Phares, & Zaram: *Judas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar.* Cùm itaque tempus partûs adesset, & hi duo gemelli fratres pro primogenitura non segniter decertarent, quisnam eorum prior de utero materno in hunc mundum exiret, prævenit tandem Zara, qui in ipsa effusione, & eruptione manum suam priùs per uterum matris protendit, *in qua obstetrix ligavit coccinum*, seu rubicundum quendam funiculum; quod ubi advertit Zara, manum rursus per uterum matris ad se retraxit, & alteri fratri suo Phares primogenituram ultrò concessit. *Matth.* 1, 3. *Gen.* 38, 27.

Miror, quoties hanc pulcherrimam figuram perpendo, quæ singulari non caret mysterio; & quid, obsecro, sibi vult hoc coccinum, quod Zara infans ad se in uterum matris attraxit? Audi S. Paschasium, qui per Zaram Christum JEsum in purissimo utero Virgineæ Matris suæ existentem intelligit, *Zara* enim hebraicè vocatur *Oriens*, & Christus pariter est *Sol oriens ex alto.* Zara autem infantulus coccinum ad se per ventrem maternum retraxit: *Hoc coccinum*, ait idem Sanctus Paschasius, *erat dominicæ passionis indicium*, quam amarissimam passionem mellifluum COR JEsu Infantuli jam tunc à primo formationis suæ momento inchoavit: *Tota vita Christi*, ait Robertus Cardinalis, *perpetua passio crucis dici potuit, siquidem ab ipsa conceptionis hora cognovit, sibi crucem esse paratam, & semper eam ante oculos sic habuit, ut verè dici possit, toto vitæ suæ tempore in cruce pependisse.* *S. Pasch. in cap.* 1. *Matth.* *Robert. Bellar. de gemitu columbæ l.* 2. *c.* 3.

8. O anima Christiana considera, vel ex hoc infinitum amorem, & dolorem SS. CORDIS JEsu. Adamo quondam DEus Pater pro domicilio dedit paradisum, locum amœnissimum, largissimum, deliciis plenum: & unigenitus Filius ejus eligit sibi locum angustum, & obscurum ergastulum, Virginis scilicet uterum: *Tu ad*

UVA. BHSC. BU 00661

ad liberandum susceperturus hominem non horruisti Virginis uterum. Hìc quæres, cur Ecclesia dicat: *Non horruisti Virginis uterum?* An non hæc SS. Deipara ipsis Angelis, & cœlis purior erat? omnino: *nec primam similem visa est, nec habere sequentem:* quomodo ergo purissimum COR JEsu potuisset ab immaculato hoc Virginis utero abhorrere?

Adverte: non abhorruit COR JEsu ab hoc intemeratæ Virginis utero, quin imò pro summis deliciis illi fuit, in hoc ipsis Seraphinis puriore Tabernaculo inhabitare: sed Ecclesia solùm admiratur SS. CORDIS JEsu planè immensam charitatem, quòd propter nos, & propter nostram salutem ipse summus Dei Filius dignatus sit homo fieri, & per novem menses in utero Virginis, tanquam in ergastulo includi, ac tam stupenda, & insolita pro indignissimis hominibus, & peccatoribus, qui nec unquam tantam illius bonitatem agnituri essent, statim à vitæ primordio pati. Ex quibus pulcherrimè infert Cardinalis Bellarminus; *Ex hac tam continua Crucis bajulatione collige Dominum tuum nullam quietam horam habuisse, sed assiduò dies ac noctes in salute tua operanda occupatum fuisse.* Et tu pro illo quid agis? Heu! stupendam, & amaris lacrymis non satis deplorandam mortalium ingratitudinem! pro modica præbenda, pro vilissimo lucro curritur, laboratur, agonizatur, & solus vilis est amor JEsu, & quidem JEsu jam in utero Virginis Matris pro nostra salute Crucifixi? Verè O mi JEsu, qui Te non amat, anathema sit, & qui SS. COR tuum non veneratur, brutum, non homo est: quis enim plùs pro nobis sustinuit, quàm divinissimum COR JEsu? Ah quanta cum patientia te hactenus exspectavit, ut aliquando redires ad COR?

Bellar. loco cit.

Pro coronide observa, quòd P. Laurentius Kepplerus de tepido quodam Religioso recenset, qui stans in choro ad hæc sacra verba, cùm in Missa cantarentur: *Et incarnatus est de Spiritus Sancto,* nec caput inclinare, nec pedem incurvare voluit, sed erecto collo, quasi truncus inter reliquos fratres, omnes se se profundè inclinantes, perstitit. Quid ad hoc dæmon licèt hostis humani generis capitalissimus? *O ingrate,* inquit, *quomodo sic stas erecto collo? cur non inclinas te cum fratribus? Nonne audis, quod cantatur, quòd DEus propter te factus est homo? si propter me miserum tantùm fecisset, ego ipsi me in perpetuum inclinarem.* Et inflictâ illi gravissimâ alapâ discessit. Heu nos miseros! vel ab ipso dæmone habemus, unde discamus, quomodo debeamus hoc summum Incarnationis mysterium venerari, ac præsertim SS. COR JEsu in SS. Sacramento. Heu quàm debiles hìc sumus, & quàm dormiunt multi? ah! quàm dormiunt multi!

Laur. Keppl. in sacris luminibus f. 273.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO V.

SS. CORDIS JESU in utero materno per novem menses inclusi, vita & actio, crux & passio consideratur.



In carcere eram, & venistis ad me. Math. 25, 36.

1. POstquam VERBUM incarnatum fuit, prima illius cura erat, ut non tam sibi, quàm & nostræ saluti viveret. Hinc sacratissimum COR JEsu jam tunc à primo formationis suæ momento cœpit thesaurizare, & virtutum maximarum merita congerere, quibus pauperiem nostram ditaret; proinde jam tunc in utero Virginis Matris salutis nostræ negotium disposuit, & veniam lapsuum promeruit. Et licèt tunc secundùm S. Bernardinum Senensem corpusculum JEsu, per Spiritum S. ex una, alteráve sanguinis virginei guttula (prout in priore consideratione insinuavi) efformatum, & in instanti perfectissimè organizatum ac animatũ, adeò

S. Bern. Sen. tom. 3. Dom. 2. serm. 20. art. 2. c. 7.

UVA. BHSC. BU 00661

adeò parvum & exile fuerit, ut vix oculis potuisse videri: *Cùm Christus*, inquit, *in uterum Virginis venit, carnémque assumpsit, tanta brevitate circumamictus est, ut, si positus fuisset super papyrum vel palmam manûs, vix eum humanus oculus percepisset.* Nihilominus ille DEus erat immensus, infinitus, maximus tunc in tempore, qui nunc est, & erat, & erit in omni æternitate, atque perfectissimo modo jam tunc in carcere materni uteri inclusus salutem nostram, & opus Redemptionis operatus est; non absimilis tenerrimo Bombyci, qui, licèt in calathisco, seu in globulo suo, velut in angusto carcere inclusus retineatur, otiari tamen id hoc obscuro ergastulo non solet, sed assiduò fila sua serica etiam ex propriis visceribus parat, unde Lemma non incongruè simili Bombyci impones:

Operior, & Operor.

De Tobia, qui secundùm nominis sui etymologiam *Bonus Dominus* interpretatur, refert Scriptura, quòd semper memor fuerit Domini in toto corde suo, ubi etiam in carcere, & in captivitate sub Salmanasar Rege Assyriorum constitutus, totum Cor suum pro honore veri DEI conservando, & pro salute fratrum suorum concaptivorum impendit, pro quorum liberatione, quàm maximè po-
Tob. 1, 2. tuit, allaboravit: *In captivitate positus viam veritatis non deseruit, ita, ut omnia, quæ habere poterat, quotidie concaptivis fratribus impertiret.*

Non Tobias, sed ipse DEI Filius, verè *Bonus Dominus*, tibi hodie, anima Christiana, in angustiis uteri materni, velut in obscuro carcere, per novem integros menses captivus sistitur, in quo virgineo carcere Sanctiss. ac Diviniss. COR JEsu constrictum, nullum momentum omisit, quin Divinæ Justitiæ satisfaceret, & gloriam Patris sui, atque salutem animarum jam tunc pro viribus quæreret, siqui-
Luc. 19, 10. dem hic ejus incarnationis unicus finis fuit, *quærere, & salvum facere, quod perierat.* Age, Amice mi! visitemus hoc Sanctiss. ac tenerrimum COR JEsu tanto tempore pro nostra salute in materno carcere inclusum, ne aliquando in extremo illo judicio nobis possit
Matth. 25, 24. objicere: *In carcere eram, & non visitâstis me.* 2. Ne-

UVA. BHSC. BU 00661

2. Nemo autem mortalium hîc existimet, quòd tunc primùm mitissimus JEsus pro nobis pati, crucémque ferre inceperit, cùm ad Montem Olivarium finitâ cœnâ se recepit, sed Crux jam à primo vitæ ejus momento SS. CORDI ejus implantata fuit; vel, ut meliùs dicam, jam ab æterno per prævisionem omnium ærumnarum ac pœnarum, quas pro redemptione mundi aliquando Christus perpessurus esset, Crux ab illo electa est. Et nunquid erat *Agnus, qui occisus est ab origine mundi*? Et nunquid ab æterno Servator noster se Patri promptum exhibuit, ut in plenitudine temporis nasceretur, & pro redemptione mundi in Cruce moreretur? Et nunquid omnes figuræ in Veteri Testamento hanc Crucis mortem præsignabant? *Ab initio sæculorum*, ait S. Paulinus, *Christus in suis patitur, & triumphat: In Abel occisus à fratre; in Noë irrisus à filio; in Abraham peregrinatus; in Isaac oblatus; in Jacob famulatus; in Joseph venditus; in Moyse expositus & fugatus, in Prophetis lapidatus & sectus, &c.*

Vid. R. P. Judocum Andries, S. J. de perpetua Cruce JEsu typo 1. Apoc. 13, 8.

S. Paulin. epist 27. ad Aprum.

Nunc collige, quid hoc SS. COR JEsu in utero Virgineæ Matris inclusum per novem illos menses, antequam nasceretur, senserit, & quid pro tua salute jam tunc ærumnarum sustinuerit. Erat certè Amor hujus divinissimi CORDIS intensissimus, ac desiderium longè maximum, hominem ab interitu redimendi: proinde existimat Guarricus Abbas, quòd hæc captivitas per novem menses huic SS. CORDI JEsu reverà non minimum, quem unquam per vitam sustinuit, causaverit dolorem; spes enim, quæ differtur, affligit animam. Audi ipsum Guarricum loquentem: *Omnium humanarum infirmitatum vel injuriarum, quas pro nobis pertulit divina Dignatio, sicut tempore primam, sic etiam humilitate ferè maximam existimo, quòd in utero concipi, in utero novem mensium tempore Majestas illa incircumscripta passa est contineri.*

Guarric. serm. 3. de Annunt. B. Virg.

Sciebat namque amantissimus Infantulus jam tunc intra Virginei ventris angustias constrictus, se esse illum magni Patris-familias Filium, ad excolendam vineam (hoc est, Ecclesiam) de cœlo missum, qui occisis & lapidatis jam tot Prophetis & Ministris Dei, tandem

UVA. BHSC. BU 00661

dem & ipse à perfidissimis colonis extra vineam & urbem Solymæam ejiciendus, in ligno Crucis perimendus, ac tandem consummatis omnibus secundùm SS. COR suum crudeli lanceâ esset transfigendus: *Agricolæ autem videntes Filium, dixerunt intra se: Hic est heres, venite, occidamus eum.* Sciebat insuper, se esse illum Jonam, pro salute cæterorum in mare rubrum passionis ejiciendum: *Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis.* Sciebat adhæc, se esse unicum orbis Redemptorem, humani generis Mediatorem ac Fidejussorem, qui, quod adversus nos erat, chirographum decreti erat deleturus, & illud Cruci affixurus, hinc desideria, & sacratiss. CORDIS ejus afflictiones internæ crescebant, citò pro homine patiendi, & pro lytro redemptionis ipsum COR suum æterno Patri offerendi: *Et nisi*, ait P. Nierenbergius, *divina dispensatione adjutus fuisset, illo ipso instanti, quo cœpit vivere, mortuus fuisset præ doloris magnitudine.* O anima mea! quantũ, ah quantum obligata es huic amabilissimo CORDI JEsu! quid æquale illi rependes?

Matth. 21, 38.

Jonæ. 1, 12.

Col. 2, 14.

Nierenb. l. 2. c. 5. de ador. in spirit. & verit.

3. Et adhuc dubitas, quòd Crux SS. CORDI JEsu à primordio ejus vitæ usque ad finem illius fuerit assiduò implantata? Consule cor B. Claræ de Monte Falco, cui aliquando Christus apparuit, prægrandem lassis humeris crucem bajulans, & hisce verbis eam alloquens: *Ave filia! summam gaudiorum tibi affero crucem hanc, quæ nullibi firmiùs figi potest, amplexare, & cor tuum mihi præbe, ut in hac cruce moriaris.* Ex quo tempore B. Clara intensissimum amorem & zelum erga JEsum Crucifixum in animo sensit, adeò, ut Sorori cuidam ultimo vitæ suæ die diceret: Si Christi Crucem quæris, Cor meum accipe, in quo nil aliud, nisi Christum Crucifixum invenies. Rem eventus probavit, nam post beatum obitum, cùm corpusculum hujus Virginis aperiretur, in illius Corde Crux, & in eâ JEsu penduli imago cum corona spinea, clavis, columnâ, & cruento flagello inventa est.

Lyr. de imitat. Jesu pat. l. 7. c. 1. fol. 552.

Similem ac planè mirandum eventum Cantipratanus de Martyre quodam Anonymo commemorat qui, cùm in captivitate sua semper gemebundus, & mœstus corde incederet, à tyranno causam rogatus,

Thom. Cant. l. 1. apum. c. 25.

UVA. BHSC. BU 00661

tus, ut edisseret, liberè respondit: *Ideo semper tristis incedo, quia memor mortis Dei mei continuò in corde meo ejus passionis stigmata porto.* Audiit hoc tyrannus, Martyrem sine mora occidi, & Cor ejus cultro dissecari jubet, in quo perfecta Christi Crucifixi imago reperta est, quâ conspectâ & Tyrannus in Crucifixum credidit, & cum suis ad baptismi gratiam pervenit.

Nec absimile illud est, quod de Volvando Ord. Præd. in Argentina civitate Germaniæ refert Quaresmius, qui in more habuit, sive sedens, sive gradiens suo pollice SS. Crucis signum in CORDE suo depingere. Moritur tandem hic devotissimus Crucifixi Cultor Moguntiæ, & post aliquot annos, cùm ossa è tumulo effoderentur, mirum dictu! *Os pectoris* inventum est in perfectissimæ crucis formam transmutatum, in quo & operosam Crucem invenerunt, ad demonstrandum sine dubio orbi Christiano, quàm tenerè hic pientissimus Vir SS. COR JEsu Crucifixi amaverit, unde meritò cum S. Ignatio Ep. & M. dicere poterat: *Amor meus crucifixus est.* *Vide Quaresm. tom. 5. c. 10.*

De S. Fautino Confessore narrat Petrus de Natalibus, quòd Crux nive candidior super COR illius, cùm à Matre in lucem ederetur, mirabiliter in carne impressa apparuerit. Simile quid cum S. Rocho accidit, qui, cùm infans miræ pulchritudinis nasceretur, in CORDE rubicunda & splendida cruce signatus apparuit. *Pet. de Natal. lib. 5. c. 160.*

Taceo plures ejusmodi mirandos eventus; ex quibus prudens Lector collige, si his, & similibus piis Cordibus crux quodammodo per omnem vitam implantata fuit, quæ etiam post felicem istorum hominum obitum non sine prodigio perseveravit; quanto magis nunc credes, quòd in SS. CORDE JEsu perpetua crux fuerit constituta? *O si considerarem* (subinfert hîc P. Eusebius Nierenbergius, Vir politissimi ingenii, & in regia Madritensi Academia SS. litterarum Professor) *O si considerarem hæc opera tua Domine, quomodo expaverem? Utinam fieret Cor meum tanquam cera liquescens! ponam ut signaculum super COR meum illud COR mœstum amantissimi JEsu, quod perpetuò crucifixum fuit: sic in memoria habebo, & tabescet in me anima mea.* *P. Nier. l. 2. c. 5. de ador. in spirit. & verit.*

UVA. BHSC. BU 00661

4. Hanc perpetuam Crucem in utero Virgineæ Matris SS. CORDI JEsu à Patre desponsatam, longè antea in Spiritu prævidit Vates Regius, unde de hoc adventu Christi JEsu in carne decantavit:

Psal. 8, 6. *Gloria, & honore coronâsti eum.* Et qualis, obsecro, hæc corona gloriæ & honoris fuit, quo Cœlestis Pater hunc dilectissimum Filium suum in mundum ingredientem coronavit? Audi rursus Da-

Psal. 2, 6. videm in persona Christi dicentem: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.* O bone JEsu! qualis Rex eras tu in ventre Matris captivus? Sapor Persarum Rex adhuc infantulus, & in utero materno existens pretiosâ coronâ, supra pectus Matris impositâ, coronatus est; sic & Christus Dominus à primo conceptionis suæ momento propter unionem hypostaticam à Deo Patre gloriâ & honore coronatus, & ab eo Rex etiam temporalis totius orbis, omniúmque creaturarum designatus est. O Rex mirabilis! *Parvulus Dominus*, ait S. Bernard. *& amabilis nimis!* sed dic, quæso, optime JEsu! qualis Rex eras tu in ventre Matris captivus? ubi regnum tuum tunc erat, ubi potestas & imperium?

Pro dilucidatione hujus conceptûs adverte, quid Apostolus quondam ad Hebræos scripserit; qui, ut Christianos noviter conversos, ad alacriter Christi premenda vestigia animaret, eos vehementer ad contemplationem Christi JEsu in Cruce morientis ad-

Hebr. 12, 2. hortatus est: *Curramus*, inquit, *ad propositum nobis certamen, aspicientes in Authorem fidei, & consummatorem JEsum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta.* Supra quæ verba Rupertus Abbas hanc pulcherrimam proponit quæstionem. Pater æternus, inquit, SS. CORDI JEsu jam tunc à primo vitæ instanti liberam dedit electionem, an ut Rex Magnificus cum potestate magna, & majestate hunc mundum ad gaudendum vellet ingredi, an verò pauper, & humilis Crucis viam, passiones, & dolores, afflictiones, & ærumnas per omnem vitam amplecti, ac tandem se ipsum ad redemptionem humani generis in cruce ad immolandum offerre?

Rupert. Abb. Tuitiensis hic.

Quid hîc expectatis mortales? qualem resolutionem (ex qua vestra pendebat salus) à dulcissimo CORDE JEsu vix Incarnati speratis?

UVA. BHSC. BU 00661

tis? Audite cœli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei: *Ipse autem proposito sibi gaudio* elegit, & *sustinuit crucem, confusione contempta;* hanc præ omnibus mundi regnis elegit, ut adimpleretur, quod David fideli carmine cecinit: *Regnavit à ligno DEus:* hæc fuit illa gloria, & honor, quo SS. COR JEsu à primo conceptionis instanti coronavit Pater æternus; unde jam tunc, prævidens vivacissimâ apprehensione, & perfectissimâ cognitione tot injurias Divinæ Majestati per peccata hominum irrogandas, & damnum irreparabile humano generi inde emergens, pro Ecclesia sua tenellus Infans caput objiciebat spinis, aures opprobriis, oculos lacrymis, genas colaphis, faciem sputis, os felli, collum catenis, brachia funibus, dorsum flagellis, pectus injuriis, manus & pedes ferreis clavis, SS. COR suum crudeli lanceæ, ac totum denique Corpus infinitis doloribus. Collige ex hoc prudens Lector, quale regnum, qualísque vita, & actio amantissimi, & divinissimi CORDIS JEsu in utero B. Virginis, ac Matris existentis fuerit: *Non minor afflictio*, ait citatus Nierenbergius, *latuit in CORDE JEsu ab illo instanti, quam habuit in horto, cùm sudavit sanguinem per omnia membra: quemadmodum illic ex viva apprehensione dolorum, & cruciatuum passionis suæ insolito, & terribili modo afflictus fuit; sic etiam æquè intense apprehendit eosdem dolores in utero amantissimæ Matris: cognitio enim Christi non fuit imperfecta, eo maxime tempore, quo negotium nostræ redemptionis acceptavit, & proposita ei fuit sine ulla dissimulatione omnis difficultas toleranda, & vincenda.* Hæc magnus ille Doctor Hispanus de SS. CORDE JEsu adhuc in utero Matris latentis. O anima Christiana! visitemus sæpius in hoc virgineo carcere afflictissimum COR JEsu, & discamus ab illo patientiam, humilitatem, puritatem, amorem Dei & proximi &c.

Jo. Eusеb. Nierenb. l. 2. c. 5. de adorat. in Spirit. & verit.

5. Pro confirmatione dictorum Davidem considerare, ut adolescentulum in Regem à Samuele inunctum: *Tulit ergo Samuel cornu olei, & unxit eum in medio fratrum.* Verùm quid fecit hic puer sic in Regem inunctus? num mox ad pacificam regni possessionem transiit? minimè, sed COR suum varias sustinendo persecutiones, labo-

1. Reg. 16. 12.

UVA. BHSC. BU 00661

labores, afflictiones &c. usque ad 30. ætatis annum ad majora certamina paravit, unde mox ut puer cum ursis, leonibus, & Golia giganta congredi non dubitavit, ex quorum faucibus ablatas oves fortiter eruit: *Veniebat leo, vel ursus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam eruebamque de ore eorum.*

1. *Reg.* 17, 34.

En hîc insignem typum habes Christi JEsu, ut tenerrimi puelli in utero Matris, à Patre quidem in Regem inuncti, & sic ab Angelis adorati: *Et adorent eum omnes Angeli ejus*: sed qui pariter jam tunc per 9. illos menses sacratissimum COR suum ad omnes labores, ærumnas, pœnas, afflictiones, ac præsertim ad cruentum illud certamen parabat, cum diabolo, morte, & peccato post 34. annos ineundum, & in monte Calvario propria morte consummandum. Et hæc vita CHRISTI JEsu adeo amara in utero illo materno (cùm jam tunc omnia illi essent præsentia, & insuper accederent tot enormes in Patrem offensæ) existimat S. Mater Theresia, quòd SS. CORDI JEsu summum inter omnia tormentum extiterit: *Ipsa mihi persuadeo, & propè certa sum multò majora, & atrociora hæc tormenta fuisse, quàm quæ in sacratissima sua passione pertulit.* Hæc illa.

Hebr. 1, 6.

S. Theresia in Castello animæ, mansione 7. *cap.* 2.

Hanc immensam charitatem, & afflictionem SS. CORDIS JEsu incarnati, cùm propensiùs aliquando considerâsset B. Maria Magdalena de Pazzis Carmelitana, quòd Verbum illud divinum adeo se se humiliaverit, & de sinu Patris in purissimum Virginis uterum descenderit, unde membra sumeret, quæ traderet flagellis, spinis, cruci, animo abrepta sensit CORDI suo divinitùs hæc verba inscripta: *Verbum Caro factum est.* O utinam & Cordi nostro lapideo, stylo ferreo amor SS. CORDIS JEsu Incarnati, Eucharistici, Crucifixi insculperetur!

Demum ut concludamus hanc nostram considerationem, ad id attendamus oportet, in quo nobis exemplo præierat Beata Agnes de Monte Politiano ex Ordine S. P. Dominici, de qua refertur in ejus vita, quòd SS. Deiparam sæpius humilibus votis, ac suspiriis deprecata fuerit, quatenus sibi dulcissimum Filium suum ac Puerum JEsum monstraret. Annuit tandem piis hujus Virginis precibus Beatissima Dei Parens, illique se spectabilem reddens, Infantulum suum JEsum inter brachia ejus deposuit, quem Beata Agnes summo animi cum gaudio recipiens, castisque osculis devenerans, diu suaviter amplexata est. Tandem cùm Sanctiss. Virgo & Mater hunc Filium suum ab illa reposceret, B. Agnes illum quidem restituit, sed crucem parvam mirè fulgentem, quam divinus ille Pusio in Pectore suo gestabat, per pium furtum abstulit, ac penes se, quoad vixit, in singulare amoris pignus retinuit; quæ Crux cœlestis etiamnum in illo monasterio Politiano piè asservatur, & religiosè colitur. Accede & tu O anima Christiana ad SS. COR JEsu, vel in utero, aut in sinu Sacratiss. Deiparæ reclinatum, & si pariter te cruce sua donaverit, quam sibi à primo conceptionis instanti unicè desponsavit, O te felicem, O beatam animam! si eris, & consors gloriæ Sacratiss. CORDIS JEsu! si nunc in vita Cor tuum particeps fuerit amarissimæ crucis, & passionis ejus.

Vide annum Marianum P. Barrii die 20. *Aprilis.*

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO VI.

Expenditur Amor SS. CORDIS JESU, nunc à Virgine in lucem nati, & in pauperrimo præsepio ab illa reclinati.



Et peperit Filium suum Primogenitum, & pannis eum involvit. Luc. 2, 6.

1. NOn possum capere mirabilem illum modum, quem olim Elisæus, cùm filium Sunamitidis mortuum ad vitam revocare vellet, adhibuit. Amãdavit primùm hic Propheta famulum suum Giezi cum baculo, ut hujus ope puerum defunctum resuscitaret: sed neque servus, neque baculus tam arduum opus poterat efficere. Quid igitur Elisæus? Ipse ad ædes Sunamitidis descendit, ubi *incubuit super puerum, posuitque os suum super os ejus, & oculos suos super oculos ejus, & manus suas super manus ejus, & incurvavit se super eum, & calefacta est caro pueri,* 4. *Reg.* 4. 34.

F &

UVA. BHSC. BU 00661

& oscitavit puer septies, aperuitque oculos. Res stupore plena! quomodo, obsecro, grandævus ille Propheta adeò sese potuit incurvare, coarctare, & membra sua in tantum abbreviare, ut illa super membra pueri demortui poneret, & sic illum ad vitam revocaret?

S. Aug. serm. 11. de verbis Apost.

Respondet ad hoc magnum illud Ecclesiæ sidus S. Augustinus, quòd hic puer mortuus genus humanum, Giezi verò cum baculo Moysen, & Elisæus Christum in typo repræsentaverit. Sed neque Moyses, neque virga ejus prodigiosa (SS. Crucis Figura) potuit humanum genus sine suo Magistro ad vitam revocare. Venit igitur ipse Christus grandis ad parvulum, Salvator ad salvandum, vivus ad mortuum, & quid fecit? Ecce! abbreviavit se VERBUM, infantilia membra induit, parvum parvo se coaptavit, ac Cor suum vivum supra Cor nostrum mortuum posuit: *ut efficeret*, ait S. Augustinus, *corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ.* O immensus, ô ineffabilis amor SS. CORDIS JEsu! nunc denuo pro omnium salute à Virgine in lucem nati? cui te comparabo, ô COR amabile, milliésque adorandum?

Symbolum inspice, ubi orientem Solem spectabis, qui tenebras caliginosæ noctis dispellit, & optatam diem universo terrarum orbi reducit, cum inscripto lemmate, ex Psalmis Davidicis mutuato:

Ps. 103. 30.

Renovabit faciem terræ.

Talis, inquam, Sol erat & SS. COR JEsu, jam in nativitate sua; de quo pulcherrimum vaticinium dedit Malachias Propheta: *Orietur*, inquit, *vobis timentibus Nomen meum Sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus*, hoc est, sub brachiis ejus, jam tunc in præsepio, quasi in cruce extentis. Videamus modò, qua ratione hic Mysticus Sol ortus sit.

Malach. 4. 2.

2. Non immeritò in sacro Epithalamio Beatiss. Deipara à Spiritibus cœlestibus auroræ consurgenti assimilata est: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens?* siquidem aurora noctis obscuræ terminus, & lucis ac diei initium esse solet, ad cujus adventum mox ros candidissimus de cœlo venit, quo terra ab æstu refrigera-

Cant. 6, 9.

UVA. BHSC. BU 00661

geratur, ac mirè fœcundatur. Solet autem aurora, quasi prægnans mater, cùm in majorem splendorem proficit, ipsum sereniss. astrorum Regem, Solem, inquam, quasi filium suum feliciter mundo parturire, & sic, quod haud immeritò admirandum, Mater à Filio, & Filius à Matre paritur, quia aurora omnem splendorem ac radios suos à Sole participat. Unde lemma huic mysticæ Auroræ MARIÆ, Christum JESUM, Solem justitiæ in antro Bethlemitico parturienti, non incongruè impones: *Pario, qui me parit. Hæc est*, ait B. Petrus Dam. *Aurora, quam sequitur, imò de qua nascitur Sol justitiæ.* Contigit autem hæc Nativitas sequenti modo. *S. Petr. Dam. serm. de Assumpt. Virg.*

3. Cùm paulatim tempus partui vicinum adesset, tenerrima Virgo cum castissimo Sponso suo Josepho, ad Romani Cæsaris edictum, in Bethlehem Urbem profecta est, ubi rigidâ hyemis tempestate diversorium nullum, licèt per cunctas civitatis plateas quæsiissent, invenêre; unde necessitate compulsi, & Divinâ sic ordinante Providentiâ, quia homines Regi Cœlorum hospitium negârunt, pecora nascituro Deo stabulum obtulêre, quò B. Virgo ingressa, antrum in saxo concavo elegit, ubi *desideratus cunctis gentibus* in lucem nasceretur. *Agg. 2, 8.*

O Seraphini! O Spiritus cœlestes! advolate nunc de cœlo in vilissimum bestiarum tugurium, & ibidem sanctiss. & puriss. COR Reginæ vestræ, totum in oratione & amore Dei absorptum, & charitate divina quodammodo incensum considerate, quomodo nunc in singula momenta unicum COR suum, dulcissimum Filium nasciturum expectet. Et ecce tibi! *Cùm quietum silentium tenerent omnia*, ipso medio noctis articulo *VERBUM DEI incarnatum* è puriss. Virginis viscera, salvâ ejus virgineâ integritate, sine ullo parturientis dolore in lucem prodiit, séque oculis SS. Matris suæ obsequiosus Infantulus exhibuit, cujus prima vox aliorum more infantium vagitus & lacrymæ fuerunt, ad peccata nostra jam tunc animitus deploranda. Ideo Salomon, qui Christi typus erat: *Et ego*, inquit, *natus accepi communem aërem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans.* *Sap. 18, 14.* *Sap. 7, 3.*

UVA. BHSC. BU 00661

Quem exinde SS. Virgo, postquam eum in genua provoluta devotissimè adoravit, in brachia susceptum, inter suavissima oscula pannis ac fasciis involvit, & ubere de cœlo pleno lactavit. Interim veloces Angeli, quasi impetu facto, de cœlo ruunt, ut recèns natum Infantem, Dominum ac DEum suum non tam in humana carne viderent, quàm & devotissimâ adoratione venerarentur. Ad hoc
Hebr. 1,6. enim alludit Apostolus: *Et cùm iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli ejus.*

4. Sed en! accurrunt & Pastores voce Angelica admoniti, ut recèns natum Salvatorem in spelunca non tam invisérent, colerent, & adorarent, quàm & debitum illi gratitudinis suæ testimonium exhiberent. O quis erat tunc istorum pastorum sensus? quis amor ac fervor, cùm cœli terræque Dominum, nunc ut pauperrimum Infantulum in stabulo inter muta animalia supra fænum jacentem contu[illegible]entur? Quis dicet, quàm piis, quàm ferventibus tunc Cor eorum erga SS. COR JEsu flagrârit affectibus? si enim jam tunc erat SS. COR JEsu velut speculum ustorium, in cujus concavitate, tanquam in centro radii solis magis uniti, fortiùs urere, & accendere solent, quàm ardens igitur debuit fuisse Cor eorum? Si Cor quondam duorum Discipulorum in Emaus erga SS. COR JEsu adeò ar-
Luc. 24, 33. debat, ut præ stupore exclamarent: *Nónne Cor nostrum ardens erat in nobis?* quantò magis dicti pastores tunc jam verâ fide interiùs illuminati, & divinâ gratiâ excitati, poterant dicere: *Nónne Cor nostrum ardens erat in nobis?*

Et tu interim, anima mea, quid agis? quamdiu ex toto corde hoc diviniss. COR JEsu non amabis? quamdiu repugnabis tot sanctis ejus inspirationibus? quid, quæso, te adhuc retinere potest ab hoc purissimo amore? an vitæ commoditas tuæ? an respectus humanus? an concupiscentia vel aliqua sensualitas? an alia creatura poterit te separare ab hac charitate? O te miseram! quoties dicis: O mi DEus! ex toto corde amo te; si verè amas, ubi probatio amoris? si COR JEsu non amas, quid ergo amas? Hinc prô dolor! tuus in vita spirituali languor venire solet, heu misera! ipsa non considerans

UVA. BHSC. BU 00661

rans, quòd maledicta sit illa anima, *quæ facit opus Domini negligenter.* Proinde solve aliquando cum Moyse calceamenta de pedibus tuis, & sic ad rubum ardentem & incombustum, hoc est, ad VERBUM INCARNATUM, amore tui flagrans accede. Audi, quid etiamnum ex hoc mystico rubo inflammatum COR JEsu, ad te loquatur: *Vidi*, inquit, *afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi, & sciens dolorem ejus, descendi, ut liberem eum.* En! non venit perdere, sed salvare; ipse enim est, de quo priùs vaticinatus est Michæas: *Non immittet ultrà furorem suum, quoniam volens misericordiam est: deponet iniquitates nostras, & projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* *Jer.* 48, 10. *Exod.* 3, 7. *Mich.* 7, 18.

5. Et ut majorem adhuc stimulum tibi addam, ut cum omni fiducia ad hoc amabilissimum COR JEsu in præsepio reclinati venias; perpende unà mecum ingens illud prodigium, ubi quondam Sol tempore ægrotantis Ezechiæ per novem gradus, hoc est, per numeros I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. retrogressus est, & in gradu decimo, qui per crucem, hoc est, per X. scribi solet, ultro in horologio Regis Achaz quievit: *Invocavit igitur Isaias Propheta Dominum, & reduxit umbram per lineas, quibus jam descenderat in horologio Achaz retrorsum decem gradibus.* Ad quod prodigium mox Ezechias Rex sanitatem recuperavit, & DEO Sospitatori suo submissas in templo gratias persolvit. *4. Reg.* 20, 11.

Stupendum hoc quis neget fuisse miraculum, & omnibus retrò sæculis prorsus inauditum? Tempore Josue invictissimi quondam belli, & Israëlitarum Ducis sol quasi adhuc per diem integrum in statione sua permansit immobilis: *Stetit itaque sol in medio cæli, & non festinavit occumbere spatio unius Dei.* Verùm hac vice sol non tantùm stetit, sed & contra omnem naturæ cursum per novem gradus usque ad X. in umbra horologii retrogressus est; O stupendum miraculum! quis unquam simile audivit? *Josue* 10, 13.

Sed quid miramur solem istum per 9. gradus retrogredientem, & in gradu decimo consistentem? Quin potiùs miremur Christum JEsum, verum illum justitiæ solem, amore nostri 9. Angelorum choros in cœlo relinquentẽ, & in gradu decimo, hoc est, in humana

UVA. BHSC. BU 00661

natura primùm in vilissimo præsepio se sistentẽ, ac demũ in cruce, quæ X. gradum per ligna transversa clarissimè exprimere solet, ultimatò quiescentẽ, ubi humanũ genus, ægrotum illum magnum ab ægritudine animæ non tam sanavit, quàm & per SS. Passionẽ suam cum Patre æterno reconciliavit: *Magnus*, ait S. Augustinus, *de cælo descendit Medicus, quia magnus in terra jacebat ægrotus.*

S. Aug. tr. 15. in Joan.

O anima Christiana, quis hunc imẽnsum amorẽ Sacratiss. CORDIS JEsu non obstupescat? quis non totus reciproco liquescat amore? quid igitur moraris? Accede ad hoc COR altum, COR humile, COR mansuetum, COR Patri obediens usque ad mortem, & licèt in præsepio (crucis typo) tibi videatur dormire, in tuam tamen salutem semper vigilans est, hinc in Canticis ait: *Ego dormio, & COR meus vigilat.*

Cant. 5, 2.

6. Ad hoc SS. COR JEsu in antro Bethlemico quiescens, jam olim in umbra videtur ardentissimis votis aspirâsse David! *Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea?* Hinc non poterat ampliùs se tenere, quin publicè coram omni exercitu suo in illa ardentia prorumperet desideria: *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem juxta portam!* Audiunt hoc tres fortissimi militum, qui per castra hostilia Philistinorum non sine vitæ periculo penetrantes, de dicta cisterna sitibundo Regi optatam aquam deferunt, quam tamen Rex noluit bibere, *sed litavit eam Domino.* Mirum dictu! si tanto desiderio David aquæ potum à Bethlemica illa cisterna desideravit, cur illam non bibit? Resp. S. Ambrosius: *Sitiebat David non aquam de lacu, qui est in Bethlehem, sed oriundum ex Virgine Christum:* de quo vivo fonte, hoc est, de SS. CORDE JEsu cupiebat unicè ardentem sitim suam restinguere: *Sitivit anima mea ad DEum fontem vivum.*

Psal. 62, 2.

2. Reg. 23, 15.

S. Ambr. Apol. 1. Davidis c. 7.

Psal. 41, 3.

Desideravit autem David hoc SS. COR JEsu nascituri non ut *puteum aquarum viventium*, ut quondam dilecta Sponsa, sed ut fontem vivum: *Apud te est fons vitæ.* Unde etiam cervo sitibundo, ad vivos aquarum fontes in æstu anhelanti, se comparavit: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te DEus:* cervus enim, cùm vulnus sagittæ intra se sentit,

Cant. 4, 15.

Ps. 35, 10.

Ps. 41, 2.

UVA. BHSC. BU 00661

tit, vel si post esum serpentis vehementi siti æstuat, vel si à canibus agitatus est, summâ pernicitate, & aviditate ad vivos fontium, & fluminum latices rapi solet, ut sic vires suas reficiat. Sic, inquit David, *desiderat anima mea ad te DEus &c.*

Oportet hîc observes prudens Lector magnum discrimen inter puteum, & fontem. Puteus aquam vivam in uno tantùm loco detentam habet, qui se diffundere volens, per venas secretas, & per occultos canales humanis oculis invisibiles se tacitè diffundit: sed fons vivus effuso gurgite omnibus in commodum fluit, ac tandem ex parvis rivulis in fluvium accrescit, ut patet in Danubio &c.

Attolle nunc altiùs oculos tuos, & considera bonitatem VERBI, secundũ quod in se ab æterno fuit, ubi quidẽ *puteus aquarũ viventium* extitit, de Patris sinu per generationem æternam absconditè fluens, & pro animarũ salute jam tunc in Sacrificium se se voluntariè offerens, sed postquam in tempore idem VERBUM caro factũ est, amor, & bonitas SS. CORDIS ejus, velut *fons* omnium gratiarum, & benedictionũ foras prosiliit, qui tandẽ in Calvario jugo accrescẽs in fluviũ per omnes mundi partes se diffudit; unde canit Ecclesia: *Mite corpus perforârunt: Unda manat & cruor: Terra, pontus, astra, mundus quo lavantur flumine.* Vide nunc qualem fontem Rex David quondã in umbra desideraverit, & Christi nascituri, & Christi in Cruce morituri, ad cujus SS. COR jam tunc in typo suspirabat. *Vide le Blanc in hunc locum Tom. 3. f. 508. & seq.*

7. Ex hoc colligo, quænam fuerit illa nubecula parvula, quam Elias quondam post tam diuturnam terræ siccitatem super mare Mediterraneum ascendentem conspexit: *Ecce nubecula parvula, quasi vestigium hominis.* Per quam nubeculam appositè SS. COR JEsu hactenus per 9. Menses in purissimo Virginis utero absconditum, & nunc in lucem progenitum intelligimus: *Nubecula parvula ascendens de mari*, ait S. Aug. *carnem Christi figurabat, quæ in mari mundi istius nascitura erat.* De nubecula autem Eliæ constat, prout infrà pluribus dicemus, quòd adeò se se diffuderit, ut non tantùm illam terræ regionem, sed orbem planè universum impleverit, ex cujus salutari pluvia cadente post tam diuturnam siccitatem omnis terra mirum in modum restaurata, & quodammodo de novo animata est: *Et facta est pluvia grandis.* O ani- *3. Reg. 18, 44.* *S. Aug. serm. 201. de Temp.*

UVA. BHSC. BU 00661

O anima Christiana, aspice suavissimum COR JEsu nunc quidem per aliquam nubeculam, seu carneum velum in præsepio *Velatum*, sed tandem in Cruce per clavem lanceæ omnibus *Revelatum*! Proh! in quàm saluberrimas pluvias tunc hoc SS. COR JEsu se non effudit? Hinc meritò S. Cypr. hoc divinum COR complementum, & ultimam nostræ justitiæ perfectionem appellat: *Sanguis ille manavit ad complementum perfectionémque totius justitiæ.* Vide nunc, quam immensus omnium gratiarum thesaurus sit SS. COR JEsu: *Certus sum*, ait S. Aug. *quòd in hac die, qui ex corde pœnituerit, & ad vomitum reversus non fuerit, quodcunque petierit, dabitur illi.*

S. Cypr. de pass Dom.

S. Aug. serm. 3. de Nativ.

8. Finem huic nostræ considerationi imponat S. Euphemia, Virgo & corpore, & animo venustissima, quæ ab ineunte ætate Divinum Sanguinum Sponsum, ac SS. Matrem ejus Virgineam sibi elegit pro viribus imitandos: unde oblatas à patre nuptias cum nobilissimo Juvene constanter recusavit. Et ut magis huic divino Sponso Cor suum, datámque fidem probaret, sibi clam in sacello nasum, & labia cultro præcidit, ut sic liberiorem occasionem haberet Deo ex toto Corde inserviendi, & Cor mundum servandi. Summè hæc res patrem afflixit, qui totus præ iracundia exardescens filiam in exilium mittit, mandátque villico suo, ut Euphemiam durissimè & pessimis quibusve modis tractaret, quas calamitates, verba, & verbera illa ob JEsu amorem forti animo per septem annos toleravit. Interim adest exoptata dies Natalis Christi Domini. Quid agit Euphemia? stabulum de nocte intrat, & præsepium sibi ante oculos ponit, amorem illum immensum SS. CORDIS JEsu in stabulo nati, ardentibus suspiriis ac lacrymis considerans, & rogans, quatenus tandem, si divinæ ejus placeret voluntati, suis malis finem imponeret. Audiit preces mitissimus Salvator, qui mox Matrem Virginem de cœlo amandat, quæ multitudine Angelorum stipata, Euphemiæ videndam se præbet, & ad constantiam hortatur, sacrísque manibus vulnera contingens, abscissas ei aures, & labra insigni miraculo restituit. Pater de hoc stupendo, & cœlitùs collato beneficio edoctus, à filia veniam postulat, cui in eodem stabuli loco, ubi hæc contigerunt, monasterium ædificat, ubi vitam superstitem sanctissimè traduxit, ac beatâ tandem morte finivit.

P. Paul. de Barry in Anno Mar. 24. Decembr.

Tantum profuit huic S. Euphemiæ memoriam Christi recèns nati in stabulo egisse, ejúsque divini CORDIS in nos amorem considerâsse, cujus etiam sanctissimæ voluntati COR suum ex integro in omni adversitate consignavit. Imitare & tu hoc tam illustre exemplum, & loco præsepii Cor ei tuum in lectulum præpara, quod & S. Catharina Senens. feciſſe legitur, quæ à Christo Sponso suo edocta, cellulam in medio CORDIS sui construxit, in qua JEsum etiam in omnibus occúpationibus suaviter circumferebat. O felix illa anima, quæ JEsum in Corde suo retinet: *Magna ars est*, ait Kempensis, *scire cum JEsu conversari, & scire JEsum tenere magna prudentia.*

Reym. in ejus vita

Kemp. de imitat. Chr. l. 2.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO VII.

SS. COR JESU mox à Nativitate sua opus Redemptionis nostræ & patiendo, & exemplo docendo incipit.



Reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio. Luc. 2, 7.

1. MOyses infantulus recèns in lucem natus, cùm jam tunc ab Ægyptiis ad necem quæreretur, à Matre sua in arcula ex juncis contexta, & exteriùs bitumine ad aquas arcendas bene oblinitâ, repositus est: *Sumpsit fiscellam scirpeam, & linivit eam bitumine ac pice: posuitque intus infantulum, & exposuit eum in carecto ripæ fluminis.* Exod. 2, 3. O miserandam hujus formosi ac tenelli infantis conditionem! Quid peccâsti innocens pusio, quòd in fiscella scirpea aut certo naufragio, aut Crocodilis, horrendis Nili incolis, in escam exponaris?

UVA. BHSC. BU 00661

Agnosce prudens Lector in Typo Archetypum: Moyses, innocens victima, quid aliud in typo præsignavit, quàm Christum JEsum, optimum Salvatorem nostrum? qui vix in lucem natus, à SS. Matre sua in simili fiscella, seu in pauperrimo præsepio inter jumenta reclinatus est: *Et reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio.* Et cur, obsecro, in præsepio? Observant hîc sacri Expositores, quòd hoc præsepe ligneum, quod modò Romæ in Basilica S. Mariæ Majoris religiosè asservatur, & colitur, jam tunc Christo, tenello Infanti, typus fuerit amarissimæ Crucis per omnem vitam imposterum perferendæ: *Christus*, inquit Beatus Petrus Damianus, *in præsepio reclinatus, legem martyrii præfigebat.* Et de Sylveria: *Meus JEsus*, ait, *frigori expositus, & super durum lignum accumbens, martyrii passiones ac dolores jam ferre incipiebat.*

Luc. 2, 7.

B. Dam. serm. 11.

Jo. de Syl. t. 1. l. 2. c. 1. q. 9.

2. In cujus rei finem pro Symbolo hunc ipsum divinissimum Infantem in scirpea fiscella reclinatum tibi exhibemus, cui à divina Manu Crux prægrandis offertur, quam ambabus manibus, ac generoso & alacri corde acceptat, cum lemmate, quod ipse sibi quondam fecit, & per os ac pennam Regii Vatis mundo publicavit:

Ecce Venio!

Ps. 39, 7.

Vide, & considera in his, prudens Lector, mirabilem Divini Numinis dispositionem; non enim placebant ampliùs illi Israelitarum holocausta ac Sacrificia, aut taurorum vel vitulorum sanguis, sed aliam pacificam victimam pro expiandis totius mundi peccatis Divina postulabat Justitia, & quam illam? Intuere hîc innocentissimum ac divinissimum COR JEsu, ad omnem Patris nutum paratum, hanc, inquam, innocuam victimam sibi voluit offerri DEus, quam mitissimus Infans prompto mox animo obtulit, unde apud Psaltem ait: *Holocaustum & pro peccato non postulâsti: Tunc dixi:* ECCE VENIO! *In capite Libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: DEus meus volui, & legem tuam in medio Cordis mei.* Ecce in medio Cordis!

Ps. 39, 7.

3. Inquirunt Sancti Patres, quisnam ille Homo Nobilis fuerit, de

UVA. BHSC. BU 00661

de quo S. Lucas commemorat, quòd in regionem longinquam profectus sit, ut ibidem sibi novum regnum acquireret: *Homo quidam Nobilis abiit in regionem longinquam, accipere sibi regnum, & reverti?* Res ænigmati similis est. Quis ergo Homo ille Nobilis? & quodnam illud regnum, quod tanto studio quæsivit? Respondet S. Basilius, quòd Homo hic Nobilis non alius fuerit, quàm Christus, amantissimus Salvator noster: *Nobilis non solùm secundùm Deitatem, sed etiam secundùm genus humanum, ex semine David secundùm carnem*, hic, inquam, Homo Nobilis peregrè profectus est, cùm sinum Patris sui in cœlo reliquit, & in hunc mundum, velut in regionem longinquam venit, in quo sibi regnum non sine summo labore quæsivit. Et quodnam illud regnum? Sanctissimum COR JESU contemplare, & in eo hoc regnum invenies: *Regnavit à ligno DEus*: hoc, inquam, regnum amarissimæ Crucis illi præ omnibus hujus mundi regnis fuit, quam ipsi Pater pro dote jam tunc in præsepio desponsavit, de quo & Isaias refert: *Filius datus est nobis, & factus est Principatus super humerum ejus*, imò & super COR ejus, quia semper per omnem vitam suam hunc principatum JEsus in Corde suo portavit: *Dicite in nationibus, quia Dominus regnavit à ligno.*

Luc. 19, 12.

S. Basil. in hunc locum.

Isa. 9, 6.

4. In confirmationem hujus veritatis audite, quid de Sanctissimo CORDE JEsu in præsepio nunc placidè quiescente S. Joannes commemoret, qui, postquam æternam illam VERBI generationem graphicè descripsit: *In principio erat Verbum, &c.* Tandem ad generationem istam humanam descendit, quam paucis, sed nimiùm ponderantibus verbis adumbravit: *Et Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis: Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre.* Quid ais, dilecte Christi Discipule? Qualis, obsecro, hæc gloria Sacratissimi CORDIS JEsu in præsepio, ubi omnia clamant austeritatem, pauperiem, humilitatem, miseriam, contemptum? *Et vidimus gloriam ejus?* Qualis gloria, nasci inter jumenta, vivere inter assidua tormenta, ac tandem mori in Cruce inter latrones? Et hoc gloriam vocas? Audi, quid ad hanc

Jo. 1, 14.

UVA. BHSC. BU 00661

S. Chrys. hom. 11. in Joan. pulcherrimam quæstionem Os Aureum respondeat: *Flagella*, inquit, *spineam coronam, Crucem, & cætera passionis opprobria, ac tormenta vocat gloriam Unigeniti à Patre:* Ideo enim venit in mundum, ideo conceptus, ideo à Virgine lactatus, ideo à Josepho Patre nutritio educatus est, ut tandem in Cruce pro omnium salute moreretur amoris victima, &, quod plus est, etiam post mortem, & exantlata omnia tormenta COR suum nobis in pignus sinceri amoris commendaret. O bone JEsu! non me capio ampliùs præ admiratione ob hunc tam immensum amorem diviniſſimi CORDIS tui! Itáne super omnem modum diligis me, O Sanctissimum COR JEsu, ut gloriæ tibi ducas, pro me pati? & Cor meum non redamet te? Ob mea peccata infinitis opprimeris angustiis? & ego non desistam, peccata accumulare peccatis? O bone JEsu! nimis serò amavi amabiliſſimum COR tuum! En, habes hîc confitentem reum, imposterum non alius erit mei amoris scopus, quàm SS. COR tuum.

5. Revertor ad Scripturam. Videtur mihi hic Divinus Puerulus, ut quondam ille Joseph Magni Patriarchæ Jacobi filius, cui pater in signum singularis & cordialis amoris, quia in senectute illum genuerat, tunicam polymitam fecit, quâ veste indutum innocentem Josephum ad fratres suos, pecora in Sichem pascentes, amandavit; qui mox, ut rabidi lupi, hunc agnellum invaserunt, tunicáque exutum in cisternam veterem miserunt, ex qua tandem erutus Ismaëlitis in servitutem venditus est: tunicam autem fœdè dilaceratam, & sanguine hædi intinctam per nuntium ad patrem senem ablegârunt. Vide, utrùm tunica filii tui sit, an non?

Gen. 37. 32.

O pientissime JEsu! Tu ille Joseph es, quem Pater æternus in senectute sua, hoc est, in æternitate genuit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te:* qui & tibi in signum paterni amoris tunicam polymitam fecit, hoc est, humanitate & carne à Virgine assumptâ te vestivit, & sic te ad fratres tuos, hoc est, ad nos heu! perfidos fratres tuos ablegavit, ut in via mandatorum Dei errantes in viam salutis reduceres. Verùm quo honore te excepimus?

Ps. 2, 7.

Heu!

UVA. BHSC. BU 00661

Heu! lugendam & nostram & omnium mortalium ingratitudinem! *In propria venit, & sui eum non receperunt:* dum sordidum stabulum pro palatio, præsepium pro throno, pauperiem pro divitiis, ignominiam pro honore, fænum & paleas pro pretiosis stragulis, telas aranearum pro magnificis aulæis, ac denique bovem & asinum pro aulicis huic amabilissimo CORDI JEsu præbuimus. O execrandam nostram ingratitudinem! *Joan.* 1, 11.

Imò neque in hoc abjectissimo antro Bethlemico, tanquam in cisterna veteri latebat securum Divinissimum COR JEsu, cùm mox Herodes, truculentus ille tyrannus idipsum persequi cœpit, & quod summè mirandum, tota quoque Civitas Hierosolymitana cum hoc impio Rege suo necem, & interitum huic SS. CORDI machinabatur, quod Evangelista hisce verbis videtur insinuare: *Herodes Rex conturbatus est, & omnis Jerosolyma cum illo.* Ah mansuetissime JEsu! O mitis Agnelle! quid adhuc fiet de te? Ah quid boni ab ejusmodi efferatis lupis sperare potes? O Pater æterne! quàm fœdè laceratam tibi aliquando hanc Tunicam polymitam Unigeniti Filii tui post triginta tres annos remittet mundus? *Vide, utrùm tunica Filii tui sit, an non,* quæ tibi in cruce millenis vulneribus ac scissuris lacerata offertur humanitas? Vide, an hoc COR cruentis spinis dilaniatum, gravissimo crucis pondere onustum, & crudeli lanceâ perforatum, ex quo Sanguis & aqua simul copiosè promanant, vide, inquam, O mi Pater, an hoc COR sit Divini Filii tui, quem ab æterno genuisti, & in quo SS. CORDE tibi semper bene complacuisti? O Christiani quid agitis? Ergo nondum commoveat hoc divinissimum COR indurata Corda vestra ad reciprocum amorem? quousque claudicabitis in duas partes? Si Dominus est DEus, cur non ex toto corde illum sequimini? *Matth.* 2, 3.

6. Recordor hîc illius pientissimi CORDIS, quo JOSUE quondam invictissimus belli Dux populum suum in omni adversitate constantissimè & usque in finem dilexit, quem ubi post exantlatos decumanos labores tandem in Palæstinam per Jordanis flumen feliciter traduxit, eidem populo in funiculo distributionis promis-

UVA. BHSC. BU 00661

sam illam terram, lacte & melle manantem, divisit, ipse verò solus vilissimum, abjectissimum, ac novissimum locum, *Thamnat Saraa* scilicet in monte Ephraim pro sua habitatione delegit. Hunc locum cùm S. Hieronymus, Palæstinam lustrans aliquando vidisset, admirari satis in Josue invictissimi Cordis magnitudinem non potuit, quòd, cùm esset omnium Dux, ac cunctarum distributor possessionum, sibi tamen soli ex modestia locum ultimum, vilissimum, saxosum, sterilem & montosum in toto regno delegerit.

Josue 19, 50.

At quid in umbra ludo? Nunquid umbram fugat veritas, & noctem lux eliminat? JOSUE per anagramma O JESU significat. Et quid non fecit mansuetissimum COR JEsu semper paupertatis amantissimum? Ecce vix in lucem natum, cùm esset ditissimum, pro nobis egens ac pauperrimum factum est, dum pro sua habitatione locum abjectum & saxosum (speluncam illam Bethlemicam) & pro throno suo regio bestiarum Præsepe elegit, ut per hoc insinuaret, non tantùm se verum esse animarum pastorem, sed & cibum suis pecoribus in Sanctissima Eucharistia futurum. O amantissime JESU! quid dixisset devotissimus ille JOSUE, typus tuus, si te jam in ortu tuo, ut vermem super nudam humum extensum, præ nimio frigore tremulum, ac in medio duorum animalium jacentem vidisset? *Quæ major unquam,* ait Didacus Stella, *audita est humilitas, quàm in stabulo nasci? quæ major paupertas, quàm involvi tam pauperibus pannis? quæ major asperitas, quàm in tam tenera ætate in præsepio reclinari?*

Didac. Stella in Lucam.

7. Hinc non miror ampliùs, quòd hoc divinissimum COR JEsu seipsum abjectissimo vermi per os Regii Psaltis comparaverit: *Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Attende hîc prudens Lector. Vermis 1. oritur ex terra sine semine. Christus de Terra Virginea in lucem prodiit. Vermis 2. sine ullo tumultu suaviter in terra repit: Christus, cum nasceretur, in nuda terra primò repositus fuit. Vermis 3. à diversorio etiam infimorum hominum excluditur: Christus cum SS. Matre sua ubique in Bethlehem repulsam passus,

Psal. 21, 7.

in

UVA. BHSC. BU 00661

in publico tandem stabulo, malè contra ventos & frigora munito, habitare coactus est. Vermis 4. aut in ligno, aut sub terra quasi absconditus, & luce publica indignus vivere solet: Christus, verè Deus absconditus in infantia sua in ligneo præsepio, & in ætate virili in lignea cruce quievit. Vermis 5. à quolibet etiam minimo homuncione projicitur, & sine misericordia pedibus conculcatur: Christus ab impiis projectus, eorúmque pedibus miserè proculcatus est. Vermis 6. ob formam & aspectum contemptibilem omnibus horrori & nauseæ est, à quo homines oculos & faciem avertunt. O anima Christiana! *Respice in faciem Christi tui*, imò respice usque ad interiora innocentissimi CORDIS ejus, & quid videbis? *Non est species ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aspectus, despectum & novissimum virorum.* Vermis denique hamo adunco affigitur, ad quem passim pisces adnatant, ut hac esca allecti capiantur, & piscatoribus in prædam cedant. O mi JEsu! O Amor! An non Sacratissimum COR tuum talis vermiculus est, quod non modò in SS. Eucharistia se nobis præbet in escam, sed & Cruci, quasi hamo adunco clavis ferreis miserrimè affixum, se nobis totum exhibet in obsequium? Per quod SS. COR tuum *homines quasi pisces maris* his præsertim novissimis temporibus soles capere, & suaviter ad te attrahere. Unde appositè huic SS. CORDI JEsu in hamo appenso pro lemmate inscribes: *Capio capientem. O quam humilis vermiculus JEsus Christus*, exclamat mellifluus Doctor Bernardus, *qui opprobrium factus est hominum. & abjectio plebis, ab omnibus contemptus sine causa, sine vindicta conculcatus ut vermis &c.*

Psal. 38. 10.

Isa. 53. 3.

Habac. 1. 3.

S. Bern. serm. de pass. c. 17.

Collige ex hoc anima Christiana pro tua salute aliquem sensum moralem. Heu! quam lugubre est, videre JEsum, ut vilissimum terræ vermiculum in præsepio jacentem, & jam Crucem præ desiderio summo ambabus manibus amplexantem, ac SS. CORDI suo apprimentem. Et tu homo miser, terra & pulvis, imò nihilum, adhuc audeas inflari, & intumescere? *O cadaver elatum*, exclamat devo-

UVA. BHSC. BU 00661

Gerson serm. 1. de Nativit. devotissimus Gerson, *O saccum fimo plenum, cur inflaris? si omnes tuæ miseriæ non sufficiunt ad humiliandum te, respice, quæso, Regis tui, Domini tui, & Dei tui humilitatem.* Ecce! qui tribus digitis appendit molem terræ, in stabulo inter bruta jacet derelictus, ac tandem inter latrones in infami patibulo pro te moritur! O portentum divini amoris! Et nondum amabis hoc Sacratissimum COR JEsu? Nondum in omnibus adversis sanctissimæ ejus te conformabis voluntati?

8. Pro coronide hujus considerationis Uriam in theatrum produco, Virum in paucis egregium, de quo referunt Regum Añales, quòd, cùm à Davide ex castris domum fuisset revocatus, ut ibidem genio suo indulgeret, Regi generoso animo in hæc verba responderit: *Arca Dei & Israël & Juda habitant in papilionibus, & Dominus meus Joab & servi Domini mei super faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meam, & comedam, & bibam? Per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc.* *2. Reg. 11. 11.*

Imitare & tu, quisquis es O Christiane! hoc egregium Uriæ factum. Ecce Arca Domini (SS. COR JEsu) Ecce ipse Dominus ac DEus tuus cum Virginea Matre sua & servo suo, ac charissimo Patre Nutritio jacet in papilionibus super faciem terræ in vilissimo præsepio, omnibus ærumnis & miseriis jam tunc expositus! En præ nimio frigore amaras fundit lacrymas, nec quid aliud per omnem vitam, quàm calamitates, persecutiones, labores, inedias, cruces, & mortem exspectat. Et tu anima delicata deliciis hîc vis affluere, commoda corporis sectari, in molli strato jacere, splendidioribus vestibus indui, gulæ omnium malorum fomiti indulgere, & tuam in omnibus cœcam ac perversam sequi voluntatem? O anima misera! aut DEus ipse fallitur, aut mundus decipitur, sed DEus falli non potest, ergo tu deciperis. Audi, quid in utramque tibi aurem inclamet S. Hieronymus: *Impossibile est, ut præsentibus quis fruatur bonis & futuris, & de deliciis transeat ad delicias:* quàm hîc capis resolutionem? *S. Hier. cit. à P. Pinelli de altera vita.*

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO VIII.

Explicatur Amor & Dolor SS. Cordis JEsu in Circumcisione, in qua Deo Patri pro salute nostra primitias Sanguinis exsolvit.



Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer. Luc. 2, 21.

1. SI manè rubens cœlum venturum nuntiat imbrem, ita attestante ipsâ Veritate: *Et manè dicitis: hodie erit tempestas, rutilat enim triste cœlum.* Bone JEsu! quàm non horrenda pluvia, ac sanguinolenta tempestas sub ipsum vitæ tuæ vesperũ sequetur? Si nunc ut verus Justitiæ Sol in antro Bethlemitico vix ortus, mox sanguinem tam copiosum amore nostri profundis, quid erit tandem in cruce, ubi omnem cruorem, imò & ultimam aquæ stillam ex sacratissimo fonte diviniſſimi CORDIS tui pro nostris omniúmque expiandis delictis subministrabis? O quàm *Matth.* 16, 3. *Isaiæ c.* 13, *v.* 10.

UVA. BHSC. BU 00661

benè Prophetarum Princeps de te vaticinatus est, dum prævidens hanc primam sanguinis effusionem, dolorem simul & amorem SS. CORDIS tui, te Soli quidem orienti, sed mox atrâ cruentâque caligine obnubilato, assimilavit: *Obtenebratus est Sol in ortu suo.* Hinc lemma huic Soli mystico, jam in ortu suo eclipsato inscribes: *Occasus, in Ortu.* Vel, si mavis:

Condor, ut exorior.

Justinus lib. 18. Histor.

2. Mirabilis fuit ille modus, quem quondam Tyrii populi in eligendo novo Rege observârunt, qui, Rege suo in seditione occiso, unanimi voce concluserunt, eum Regem Tyriorum esse creandum, qui altero die primus inter omnes Solem orientem (quem Deum esse credebant) esset visurus. In hunc finem omnes ferè intempestâ nocte in patentem se campum proripiunt, ibidem nasciturum Solem præstolaturi, dúmque singuli in summo silentio faciem ad Orientem vertunt, adventum Solis vehementi desiderio exspectantes, solus Stratho, conditione servus, vultum & oculos in Occidentem convertit, ibidem ante omnes alios orientem Solem conspecturus. Furor hic & insania cæteris videbatur Tyriis, quòd Solem orientem in Occasu quæreret. Sed brevi, cùm dies illucescere, & aurora cœlum purpurare cœpit, primus omnium in altissimis civitatis turribus, & in elatioribus montium cacuminibus splendentem solem adesse advertit. Itaque præ gaudiis exultans coram populo exclamavit: *Sol, Sol!* quem cùm cæteris quoque digito demonstrâsset, Rex in eodem campo, magno populi applausu electus, proclamatus, & coronatus est.

Solem orientem & nos quærimus de Virgineo thalamo suo progredientem. Verùm enim verò quid audio? quid video? Ergóne hunc mysticum Solem, qui est Christus DEus noster, vix orientem in stabulo, mox in occidente quæramus? Ita est, anima Christiana! *Obtenebratus est Sol in ortu suo,* & occidit, antequam mundo plenè splendescceret, quia tota vita Christi JEsu Crux & martyrium, amor & dolor erat: *Non invenies eum,* inquit S. Bernardus, *nisi*

Isa. 13, 10.

in

UVA. BHSC. BU 00661

in Cruce. Et quid aliud dura illa Circumcisio, & primæ sanguinis divini pretiosæ stillæ orbi designârunt, quàm quòd Sol hic mysticus tandem in vitæ occasu pleno impetu in sanguineam pluviam se se esset effusurus? Introspice anima Christiana SS. COR JEsu, & considera, quibus ardeat in te amoris flammis, & quo ardore hactenus tempus hoc, quo primam redemptionis tuæ solutionem Patri repræsentaret, exspectârit. Non sufficiebant omnes aquæ diluvii ad abstergendam vel unicam peccati tui maculam. Et ecce mitissimum COR JEsu, ut pro peccatis tuis, præsertim contra puritatem admissis, condignè satisfaceret, peccatoris stigmate, licèt innocentissimum, voluit inuri, legique subjici, ut tu agnosceres, anima, quàm gravia sint tua vulnera, pro quibus necesse fuit, hunc divinissimum Infantulum circumcidi, & denique crucifigi? *S. Bern. serm. 3. de Boss.*

3. Ex occasione dictorum quæretur forsitan, quis tandem mortalium hunc Dei Hominisque Filium circumciderit? De Abrahamo constat, quòd ipse Filio suo Isaaco propriis manibus hoc officium impenderit: *Vocavitque Abraham nomen filii sui Isaac, & circumcídit eum octavo die, sicut præceperat ei Deus.* *Gen. 21, 3.*

In Fastis Machabæorum legimus, quòd plures filii à propriis matribus fuerint circumcisi. Et quia Circumcisio tunc erat signum destructivum peccati originalis, & signum commemorativum pacti Deum inter & posteros Abrahæ, ac propriè signum distinctivum fideles inter & infideles, ideò matres illæ cum filiis à Rege Antiocho tyranno gentili crudelem in modum odio veræ fidei extinctæ sunt: *Et mulieres, quæ circumcidebant filios suos, trucidabantur secundùm jussum Regis Antiochi, & suspendebant pueros à cervicibus per universas domos eorum, & eos, qui circumciderant illos, trucidabant.* Sed quis Christum, repones, divinum illum Infantulum die octavo circumcidit? *1. Mach. 1, 63.*

Respondet S. Hieronymus, Bernardus, & alii plures ex SS. Patribus, quòd ipsa Sacratissima Deipara hunc dulcissimum Filium suum circumciderit: *Virgo,* inquit Mellifluus, *Christum genuit, lactavit, & octavo die circumcidit.* Pulcherrimam de hac re submini- *S. Bern. serm. de Circumc.*

UVA. BHSC. BU 00661

strant figuram Sacræ Paginæ. Sephora cùm intellexisset, Moysen conjugem suum in summo vitæ periculo versari, eò quòd filii sui circumcisionem sub interminatione mortis à DEO præceptam neglexisset, subitò cultrum petrinum arripuit, quô filium suum Eliezer recèns natum circumcidit: *Tulit illico Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filii sui.* Cúmque sanguis copiosus ab inciso filio decurreret, & pedes Moysis Mariti sui aspergeret, exclamavit Sephora: *Sponsus Sanguinum tu mihi es.*

Exod. 4. 25.

O pientissime JEsu! O Puelle Divine! Tu es ille Sanguinum Sponsus, nunc de novo SS. Matri tuæ desponsatus. Adverte hîc, pie Lector, fortè certamen in purissimo CORDE Virginis! Mater erat, ideo tenerrimè hunc Filium suum diligebat, & sic condolebat intimè illius doloribus, sed & voluntatem ejus optimè noverat, quòd non venisset solvere legem, sed adimplere. Quid igitur consilii? Resolvit se fortiter SS. COR MARIÆ, cedendum hîc esse materno affectui, & præferendam Divinam voluntatem, idcirco cum magna animi fortitudine vel ipsamet (ut volunt citati SS. Patres) vel potiùs S. Josephus (ut communior habet sententia) operi manum admovet, & dum petrinus culter tenerrimam carnem Infantis sauciat, COR quoque & Filii & Matris crudeliter dissecabat. O anima! Hîc vidisses duos simul oriri fontes, unum lacrymarum in Matre, quæ sine dubio, ob animi teneritudinem, amarè flevit, & alterum sacrosancti Sanguinis Unigeniti Filii DEI, primâ vice pro sua salute effusi, quem pretiosissimum cruorem Beatissima Virgo diligentissimè in vasculum collegit, non ignorans, quàm meliùs hic sanguis in cœlum clamet, quàm quondam illius justi Abelis.

4. Cæterùm non mirare, prudens Lector, quòd ipsa SS. Deipara dicatur hoc Circumcisionis officium in se suscepisse, quia non minoris obedientiæ, quàm Abraham & Sephora, fuit, qui propriis filiis suis non pepercerunt. Verùm quis utriusque & Filialis & Materni exprimat Cordis dolorem? O benignissime JEsu! quàm meritò te SS. Genitrix tua *Benoni*, id est, *Filium doloris* appellare potest! Quid enim aliud fuit hæc prima sanguinis tui effusio, nisi rosea illa aurora,

Gen. 35, 18.

UVA. BHSC. BU 00661

aurora, quam quondam Angelus cum Jacobo luctatus, summo manè in cœlo conspexit: *Dimitte me, jam enim ascendit aurora?* In quem locum S. Bernardus: *Vide*, inquit, *quantùm ad suscipiendos dolores festinavit, quàm paratus sanguinem effundere? Circumcisus pro nobis die nativitatis suæ octavo. Utinam nos saltem & anno octavo nonnihil pro Domino pateremur.* Gen. 32, 26. S. Bern. in serm. de Circumc.

Hæc prima divini Cruoris effusio fuerunt illæ primitiæ, quas olim in lege Veteri de cunctis Israëlitarum primogenitis, primisque terræ frugibus tantopere postulaverat DEus: *Primitias tuas non tardabis reddere.* Ecce non tardat amabilissimum COR JEsu Patri æterno in Circumcisione primitias Sanguinis sui offerre, cujus pretio immaculati Agni empti, ac redempti sumus: *Empti enim estis pretio magno.* Et licèt paucæ fuerint hujus pretiosissimi liquoris stillæ, *plus tamen omnibus misit in gazophylazium* Ecclesiæ, quàm Martyres, & Sancti omnes, qui hactenus pro fide orthodoxa sanguinem suum dederunt, aut adhuc imposterum usque ad finem mundi spargent, quia *Sanguis JEsu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Exod. 22, 29. 1. Cor. 6, 20. Marc. 12, 43. 1. Joan. 1, 7.

5. Hæ primæ sanguinis guttæ fuerunt illa arrha ac munera, quibus dulcissimũ COR JEsu dilectam suam Sponsam Ecclesiam decoravit, & sibi in æternum desponsavit: solet namque Sponsus in die desponsationis dilectæ suæ Sponsæ armillas, inaures, annulos, margaritas, & similia dona in signum sinceri amoris submittere. Ita olim Isaac Rebeccæ sponsæ suæ per procuratorem Eliezer transmisit *inaures aureas appendentes siclos duos, & armillas totidem.* Gen. 24, 22.

Ah! piissime JEsu! quia totus pauper eras in vilissimo præsepio, nec habebas, ubi caput reclinares, nihilosecius in signum summi amoris tui Ecclesiæ Sponsæ tuæ SS. Sanguinem, tanquam pretiosam margaritam, & arrham inæstimabilem impertiri voluisti. *Expende*, ait Dicacus Stella, *quòd Sponsus sanguinum incipit sanguinem pro Ecclesia sua Sponsa effundere, nam factis statim cum Ecclesia sponsalibus, singularem ei donat margaritam, pro ejus redemptione sanguinem suum fundens.* Didac. Stella de Circumcis.

6. De Balsamo, arbusculâ nobilissimâ, & viti non absimili referunt Cornel. in Eccli. 24, 20.

UVA. BHSC. BU 00661

runt probatissimi Authores quòd non ferreo, sed lapideo cultro incidi soleat, ex cujus plaga & sciſſura succus pretiosissimus emanat, candidus ab initio, & exinde rubescens, quem ob miram suavitatem, fragrantiam, ac medendi virtutem opobalsamum appellant, quia persanandis mortalium plagis ac morbis vix in mundo præstantius pharmacum, quàm ejusmodi balsami liquor inveniri potest, cujus vulneri pro lemmate inscribes: *Fert plaga medelam.*

Per hanc teneram ac saluberrimam balsami arbusculam cultello petrino inciſam, & plagas nostras sanantem, quid aptiùs intelliges, quàm Christum JEsum, tenellum infantem? qui mox die post nativitatem octavo cultro lapideo circumciſus, non solùm pretiosissimum Sanguinem, velut nobilissimum opobalsamum prima vice pro Redemptione mundi dedit, sed & copiosas lacrymas quasi pretiosas guttas addidit, cujus livore & liquore sanati sumus: *Sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi. Et quasi balsamum non mistum odor meus.* O Domine, quantò cariùs adhuc in dies tibi salus mea constabit, si jam pro meis delictis tam acerbos pateris dolores, ex quorum acerbitate sæpius infantes morierentur? quid adhuc tecum fiet in virili ætate, dum ipsum SS. COR tuum non petrino cultro, sed ferreæ lanceæ dabis in prædam, ex quo præstantissimum fluet opobalsamum vitæ?

Eccli. 24, 20.

7. Videtur mihi hic Sanguinum Sponsus, ut quondam Princeps ille Sichem, qui ob gratiam & amorem Dinæ Jacobi Patriarchæ Filiæ non tantùm sanguinem in circumciſione lubenti animo profudit, sed & tertio pòst die, ubi dolor esse solet vehementissimus, à fratribus Dinæ nefarium in modum in ore gladii occisus est: *Interfectisque omnibus masculis Hemor & Sichem pariter necârunt.*

Gen. 34, 25.

En hîc verum typum Sponsi Sanguinum Christi JEsu! Et perpende, quomodo animam tuam hic mitissimus *Princeps pacis* amaverit, pro qua non dubitavit statim in primo vitæ flore sacratissimum cruorem effundere, sed & tandem in cruce præ nimio amore ex SS. CORDE suo supremam stillam pro tua salute offerre. O anima Christiana! si hæc propensiùs consideras, quantùm amabo te obligata

Isa. 9, 6.

UVA. BHSC. BU 00661

gata es SS. CORDI JEsu benignissimi Servatoris tui? En DEus tuus pro te in fœtenti stabulo nascitur, ut pauperculus mendicus miserias tuas, & noxas amaris deflet lacrymis, non, sicut cæteri solent infantuli rationis usu destituti, sed præ nimio zelo erga Patrem suum tam graviter à te offensum; & ut tibi illum placaret, non solùm primitias sanguinis, sed & intimum COR suum ad omnem voluntatem Patris paratum pro tua salute offert, atque in se recipit omnia peccata tua, pro quibus per omnem vitam, ac præsertim in Passione & Cruce satisfaciat. O infinitam clementiam! quid amplius facere potuit SS. COR JEsu pro te, & non fecit? Et tu anima misera & ingrata, pro illius honore quid agis? quam impatiens es adhuc in adversis? quàm incircumcisa moribus? quàm prona ad iram? quàm incauta in sensualitate? quàm immortificata in omnibus actionibus? ah! disce aliquando circumcidere malos & pravos habitus tuos: *Circumcidite præputium CORDIS vestri, & cervicem vestram ne induretis amplius.* Deut. 1, 16.

8. Observemus in rem nostram aliam adhuc figuram. Olim in Levitico mandavit DEus, quatenus in leprosi purificatione duo passeres adhiberentur, quorum unus occideretur, & alter vivus in cruorem interfecti immersus pro aspersorio serviret, quo leprosus mundandus septies aspergebatur. Et hoc ritu ille leprosus divinitus mundatus, & passer vivus vinculis solutus, liberè avolare permissus est: *Quò asperget illum, qui mundandus est, septies, ut jure purgetur: & dimittet passerem vivum, ut in agrum avolet.* Levit. 14, 7.

Et quid dico, anima Christiana? An non leprosum fuit ante Christi adventum universum genus humanum? hanc lepram insanabilem nemo Angelorum, aut mortalium quispiam curare poterat. Venit ergo Magnus ille Medicus de cœlo, & quid fecit? *Factus est sicut passer solitarius in tecto*, scilicet in vilissimo præsepio & stabulo Bethlemitico, ubi hic pauperrimus passerculus statim octavo die à nativitate innocuum sanguinem pro omniũ salute profudit, in cujus pretioso cruore intinctus leprosus peccator (qui per vivũ passerem fuerat adumbratus) illæsus & mundus avolare permissus est: *Et dimittet passerem vivum, ut in agrum avolet.* Psal. 101, 8.

O

UVA. BHSC. BU 00661

O mi JEsu! non me capio ampliùs præ admiratione hujus ac tanti in nos amoris! O si jam tunc nobis fuisset concessum introspicere in SS. COR tuum, quid aliud vidissemus, quàm amorem & dolorem? Amorem, quo assiduò dilexisti nos, & hunc indicat ignis erumpens; & dolorem, quem jam tunc pro nobis dignatus es sufferre, & hunc demonstrant Crux & spinæ. Quam bene igitur de hoc SS. CORDE tuo vaticinatus est Ecclesiasticus: *Nam COR suum dabit in similitudinem picturæ.* Et quæ pictura in Corde tuo, O mi JEsu? Citò & paucis dico: AMOR & DOLOR; in amore enim non vivitur sine dolore, & quia sinceriſſimo amore amabat nos SS. COR JEsu, ideo etiam tanta pro nobis voluit sufferre tormenta. O excessum divini amoris!

Eccli 38, 28.

9. Nunc tandem intelligo, quod hactenus comprehendere non poteram, etsi toties illud in Breviario recitaverim, & in Psalmis legerim: *Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.* Et quomodo, ô mi JEsu, dolor in CORDE, & in conspectu tuo semper esse poterat? Audi ab ipso Veritatis Ore testimonium. Agitabatur Venerab. Sanctimonialis Maria Magdalena de Ursinis ferè continuis in tenello corpore doloribus, sine ullo solatio pluribus annis decumbens; hinc semel impensiùs apud benigniſſ. Crucifixum conquesta est: O Domine, inquiebat, tu non fuisti nisi tribus horis affixus cruci, me verò tot jam mensibus cruci affixam, vis istam perferre omnibus diebus vitæ meæ? Cui Christus de cruce clara & intelligibili voce in hæc verba respondit: *Ah ingrata! à primo instante meæ conceptionis usque ad extremam vitæ horam crucem sustinui, incipiens jam tum pati per vivas apprehensiones secuturæ crucis, quàm semper habui in CORDE, donec illi re ipsâ affixus fui.* Tacuit ad hæc pia Virgo, & rubore ingenti suffusa, reliquas cruces & adversa alacri animo semper sustinuit.

Psal. 37, 18. *Mancin. de Pass. lib.* 4. *diss.* 1.

Vides ex his, Anima Christiana, quomodo dolor in CORDE, & in conspectu JEsu semper fuerit: *Et dolor meus in conspectu meo semper.* O Anima! hîc aperitur ingens campus tuæ confusionis; quoties Cor tuum lamenta & querelas movet: quomodo hanc vel illam crucem commerui? ergóne semper in adversis, in doloribus, in persecutionibus vivendum? Itane DEus penitus mei oblitus est? Quare ergo prosperantur, qui in via Cain abierunt, & bene est iis, qui recedunt à te? Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine? Ergo me derelinques usque in finem?

Tace, ingrata Anima! Certissimum enim & infallibile æternæ tuæ salutis signum est, hîc in vita cum Christo JEsu pati, & ita, & ita, & non aliter, intrare in ejus gloriam: *Nam quos præscivit, & prædestinavit, conformes fieri imaginis Filii sui.* Audis? quos præscivit DEus, & prædestinavit ad gloriam, conformes esse debent imaginis Filii sui, hoc est, SS. CORDIS JEsu: Hoc enim Imago nostra est, secundùm quam omnes nostras dirigamus actiones. Vivat ergo Sanctissimum COR JEsu!

Rom. 8, 29.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO IX.

SS. COR & nomen JESU; utrumque Scutum est inexpugnabile contra omnes hostium insultus,



Et vocatum est Nomen ejus JESUS. Luc. 2, 12.
Clypeus omnibus sperantibus in se. Prov. 30, 5.

1. SOlennissimum quondam apud Hebræos fuit, ut infantibus illo die, quo à Sacerdotibus vel à parentibus juxta legem veterem circumcidebantur, nomen aliquod imponeretur. Ita fecit Abraham cum unigenito filio suo, quem in circumcisione Isaac appellabat: *Vocavítque Abraham Nomen filii sui Isaac, & circumcidit eum octavo die sicut præceperat ei DEus.* Quem morem & Sacratissima Deipara, accuratè observavit, quæ eo die, quo Divinus Infans vel à se, vel à S. Josepho circumcisus est, huic suo dulcissimo Nato, juxta monitum Archangeli: *Et vocabis Nomen* Gen. 21, 30. Luc. 1, 31.

UVA. BHSC. BU 00661

ejus JEsum, magnâ cum reverentiâ ac devotione hoc Sanctissimum Nomen imposuit: *Considera*, inquit P. Spinola, *quàm reverenter hâc primâ vice protulerunt hoc sanctissimum Nomen Virgo & Sanctus Joseph: Ambo in genua prociderunt, & cum magno animi sensu nominârunt Infantem JEsum, hoc est, Salvatorem.* O dulce Nomen, SS. Nomen JESU! Tu es mihi pro mille clypeis: *In hoc enim solo nomine*, ait S. Bonaventura, *consequimur veniam: Nec enim est aliud Nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*, quàm hoc venerabile Nomen JESU.

P. Ambr. Spinola 4. Jan. S. Bonav. serm. 4. de Circumcis.

Act. 4, 12.

Pro Emblemate Perdicem exhibemus, contra insidias accipitris clypeo se tuentem; solet enim hæc avis, cùm in summo vitæ periculo versatur, ne venatoribus, aut rapaci milvo in prædam cedat, citò è terra cespitem eruere, quo se humi supina recubans contra insidiantes hostes tanquam scuto tegit, & protegit. Proinde huic scuto pro lemmate illud Davidicum inscribere placuit. *A facie inimici.* Vel, quod sequitur:

Ps. 43, 17.

A facie persequentis.

Tale scutum est SS. Nomen & COR JESU: *Clypeus omnibus sperantibus in se*, sub quo contra omnes aëreas potestates & hostiles animæ incursus in vita & in morte securi stabimus.

Prov. 30, 5.

2. Progrediamur pro more nostro ad Scripturam. Pulcherrimum illud stratagema fuit, quod Josue gloriosissimus belli populique Dux contra Civitatem Hai subornavit, qui exercitum suum in tres partes divisit, quarum unam in valle proximè urbi adjacente de nocte in summo silentio locavit; alteram in sylva vicina abscondit, cum tertia verò parte exercitûs urbem ipsam, aurorâ jam cœlum purpurante aggressus est; quod ubi Rex Hai conspexit, nihil de insidiis latentibus suspicatus, cum militibus præsidiariis & civibus eruptionem fecit, incondito clamore contra Josue insurgentibus.

Quid hîc Josue Dux invictissimus? Observate, obsecro, insigne illius stratagema; dum fugam cum suis simulat, interim aureum suum clypeum in sublime attollit; ita enim præceperat illi DEus:

Leva

UVA. BHSC. BU 00661

Leva clypeum, qui in manu tua est contra urbem Hai, quoniam tibi tradam eam, per quem clypeum in pertica exaltatum cæteris in sylva & in valle latentibus suis copiis signum ex condicto dedit, ut absque mora se se conjungerent, & unitis viribus animosè in hostem ruerent. Dictum factum! Mox ad exaltatum hunc Josue clypeum illi, qui in valle latebant in insidiis, uno impetu erumpentes, urbem Hai aggressi sunt, quam facili conatu, quia civibus suis ut plurimùm orbata erat, in potestatem suam redegerunt. Ex altera parte & illi, qui in sylva latitabant, quasi effuso agmine in hostem ruebant, sic Haienses & à fronte & à tergo coangustati, cùm nullum effugii locum invenirent, ad unum omnes deleti sunt, *ita ut nullus de tanta multitudine salvaretur*, præter Regem, qui in prælio captus, & eodem adhuc die, sole ad occasum vergente, in patibulo suspensus interiit. *Josue 8. 18.*

Pulcherrima victoria, & eò mirabilior quia ex parte Josuani exercitûs nullus desideratus est, & econtra ex parte hostili omnes, hoc est, duodecim hominum millia in ore gladii ceciderunt. Sed unde, dices, tanta Josue felicitas? Et quid clypeus illius portendit, quem in signum & in tesseram militarem in oblonga pertica universo suo exercitui proposuit? Respondet S. Hieronymus, quòd Josue in nomine & facto typum JEsu impleverit, Josue enim, prout alibi observavimus, nil aliud per anagramma indicat, quàm O JESU: *JEsus Nave*, inquit citatus Ecclesiæ Doctor, *typum Domini non solùm in gestis, verùm etiam Nomine præfert*, per cujus SS. Nominis potentiam & immensam virtutem hanc tam insignem ab hoste victoriam reportavit. In cujus SS. Nominis virtute etiam Sol, cùm idem Josue contra Gabaonitas & quinque Chananæorum Reges pugnaret, per inauditum omnibus retrò sæculis miraculum integro die stetit immobilis: *Stetit Sol in medio cœli, & non festinavit occumbere spatio unius diei:* In quem locum pulcherrimè S. Basilius: *Constitisti Sol*, inquit, *victoriam felicem spectans, reveritus es JEsum ducem, qui imperaverat, in conservo honorans Dei appellationem.* *S. Hier. epist ad Paulin.* *Josue 10. 13.* *S. Basil. serm. de transfig.*

UVA. BHSC. BU 00661

Sed quid scutum, inquies, portendit, quod Josue in pertica pro tessera exaltavit: *Leva clypeum.* De Alphonso Primo Portugalliæ Rege orbi notum est, quomodo ex mandato Christi, de nocte ipsi apparentis, non tantùm in signis ac labaris militaribus, sed etiam in scuto suo regio quinque SS. Vulnera Redemptoris sui pingi & insculpi curaverit, ubi in medio SS. COR JEsu lanceâ transfixum collocavit, quod sacrum Scutum, cùm contra Mauros Rex in prœlio elevâsset, hostes mirum in modum conterriti, confusi, ac ingenti strage profligati sunt. Ex quo tempore etiamnum Reges Lusitaniæ hunc sacrum clypeum pro regio suo signo circumferunt.

O sacratissimum COR JEsu! Tu fuisti in typo ille fortissimus salutis clypeus, quem olim Josue in pertica contra hostes & gentiles exaltavit, ad cujus conspectum Israëlitæ animati, & inimici tam generosè profligati sunt. Per perticam autem quid aptiùs intelligimus, quàm SS. Crucem divinissimo CORDI JEsu per omnem vitam implantatam? Veniat nunc diabolus cum acherontico exercitu, premat caro rebellis, insidietur perfidus mundus, consistant adversum te castra iniquitatis, ne time Cor meum, in sacratissimo CORDE JEsu tutum lates, cui pro lemmate affigo: *Tegit, & protegit.*

3. De sapientissimo Rege Salomone cõmemorant Regum Fasti, eum ex copiosissimo auro, quod Regina Saba ex ultimis terræ oris ad audiendam illius sapientiam in Jerusalem adveniens illi dono dederat, scuta aurea confecisse, quæ in domo saltûs libani pro regio suo thesauro reponi mandaverit: *Fecit quoque Rex Salomon ducenta scuta de auro purissimo, sexcentos auri siclos dedit in laminas scuti unius, & trecentas peltas ex auro probato.*

3. *Reg.* 10, 10.

Apage cum clypeis istis aureis, qui ad pompam potiùs, & vanam ostentationem Salomoni, quàm ad defensionem illius inserviebant. Alium tibi, anima Christiana! ac longè securiorem magisque pretiosum demonstro clypeum, quem non Regina Austri, sed ipsa Regina cœli in die Circumcisionis dilectissimi Filii sui orbi donavit, hoc est, SS. Nomen JEsu: *Et vocabis Nomen ejus JESUM.*

O ve-

UVA. BHSC. BU 00661

O verè *scutum inexpugnabile* contra omnes hostiles assultus! JEsus autem tunc donavit nobis clypeum salutis, hoc est, ipsum sacratissimum ac diviniſſimum COR suum, verè scutum aureum, quia in igne divinæ & ardentissimæ charitatis deauratum: *Introspice cogitatione COR JEsu*, inquit P. Spinola, *& vide, quibus ardeat flammis, quo ardore expectet tempus illud, quo primam Redemptionis nostræ solutionem repræsentaturus est.* Sap. 5, 20. Spinola medit. 38. punct. 3.

4. De Rege Antiocho ex sacris paginis habemus, cùm contra Judæos graviſſimum bellum gereret, aureis quoque scutis equites suos ab eo fuisse instructos, quibus non tam infesta inimicorum tela retunderent, quàm & insolito splendore hostiles cohortes obcœcarent; unde factum est, ut, cùm hic exercitus in suos ordines & turmas divisus, sole aureos eorum clypeos illustrante, inter valles hosti obviam moveretur, tantus radiorum splendor montes vicinos illustraret, ut sicut lampades ignis viderentur: *Et ut refulsit sol in clypeos aureos & æreos, resplenduerunt montes ab eis, & resplenduerunt sicut lampades ignis.* 1. Mach. 6, 39.

O mi Redemptor! quid aliud est diviniſſimum COR & Nomen tuum JEsus, quàm talis clypeus aureus, & sicut lampas ignis lucens, obscuráque pectoris nostri illuminans, & econtra hostilia ac tartarea castra effuso nimio splendore confundens? O quàm benè de hoc fortissimo clypeo jam olim Vates regius decantavit: *Dedisti mihi clypeum salutis tuæ.* 2. Reg. 22, 36.

5. Videamus modò, quàm generosè David, tum adhuc puer pastoritius hoc clypeo protectus, contra hostes suos decertaverit. Stabat Gigas, monstrum illud etiam herculeis viribus formidandum ex adverso contra phalanges Israël, in suis armis & fortitudine confidens: David autem solo baculo, fundâ, & quinque lapidibus instructus, in arenam descendit. Verùm quid agis O David? non cum canibus tibi negotium est, sed cum hoste & milite exercitato, validiſſimóque: Ille gladio & loricâ squammatâ indutus est, & tu nudus & inermis appares? hic galeam & hastile ferratum habet; & tu solum fustem ac lapidem? ipse ocreis ferreis solidatus, & corpus

UVA. BHSC. BU 00661

æreo clypeo tectus; tu verò sine scuto, gladio, & hastâ audes cõntra hoc immane portentum in certamen procedere? Quid multis? David generosè cum hoste congreditur, lapide prosternit, & non tantùm proprio ejus gladio blasphemum illi caput amputat, sed & totum Philistinorum exercitum solus confundit, incomparabilémque victoriam reportat. Sed unde? & in cujus virtute hanc tam illustrem palmam obtinuit? Audi ipsum Davidem loquentem:

1. Reg. 17. 45. *Tu venis ad me*, inquit ad Goliathum, *cum gladio, & hastâ, & clypeo, ego autem venio ad te in Nomine Domini.* Ecce SS. Nomen JEsu Davidi pro clypeo tutissimo fuit, in cujus virtute hunc robustissimum hostem suum feliciter debellavit, quod sanctissimum Nomen etiam in illo lapide priùs scripserat, quo frontem Philistæi terebravit:

Jo. Carthag. de SS. Trin. arc. l. 1. hom. 9. *In medio lapidis*, ait Carthagena, *quo David prostravit & interemit Gigantem, inventum fuit illud SS. Nomen JESU.*

Observant autem hîc Interpretes, quòd David in quinque illis limpidissimis lapidibus, quos ad pugnam elegit, quinque suorum Patriarcharũ nomina, scilicet Abrahæ, Isaac, Jacob, Moysis, & Josue inscripserit, & sic cum baculo & fundâ ad locum certaminis processerit: Cùm ergo jam tempus pugnæ imineret: *Misit manum suam in peram, tulitque unum lapidem, & fundâ jecit, & circumducens percussit Philistæũ in fronte, & infixus est lapis in fronte ejus, & cecidit in faciem super terram.* Adverte hîc singulare mysterium.

Per quinque illos lapides communiter SS. Patres quinque SS. Vulnera, & per baculum Crucem Dominicam adumbratam volunt; lapis autem, quem David ex pera sua laterali extraxit, quem etiam in hostem projecit, ultimus in electione fuit, nomine Josue, seu per transpositionem litterarum, O JEsu insignitus, & hic, teste Quaresmio, SS. laterale Vulnus & COR sauciatum mitissimi Redemptoris nostri in figura præsignavit, in cujus divina SS. CORDIS JEsu virtute hostem tam gloriosè prostravit, & victoriam tam insignem, nullis unquam sæculis oblitterandam obtinuit. O miram virtutem hujus SS. CORDIS & NOMINIS JESU! si hoc olim in umbra, quid nunc in veritate & in luce?

Quares. Tom. 1. c. 7. sect. 2.

6. Cæ-

UVA. BHSC. BU 00661

6. Cæterùm non immeritò admirantur SS. Patres, cur Dismas latro, qui teste S. Leone per quadraginta annos vitam sceleſtiſſimam pluribúsque rapinis & homicidiis contaminatam duxit, adhuc in ultimo agone à mitiſſimo CORDE JEsu Crucifixi in gratiam fuerit receptus: *Hodie mecum eris in paradiso.* Et econtra Judas Apoſtolus, licèt pœnitentiam egerit, & injuſtum pretium reſtituerit: *Peccavi tradens sanguinem justum:* æternùm ab eo ſit rejectus? Hic adimpletum fuit illud veritatis: *Tunc duo erunt in agro: unus assumetur, & unus relinquetur.* *Luc.* 23, 43. *Matth.* 27, 4. *Matth.* 24, 40.

Rationem hujus aſſignat Beatus Arnoldus Carnotenſis, quia Dismas latro SS. Nomen JESU in Titulo Dominicæ Crucis rubeis litteris exaratum obſervavit, quem ſacroſanctum Titulum: *JEsus Nazarenus Rex Judæorum*, latro ille pro clypeo ſuæ ſalutis adhibuit, ex cujus SS. Nominis conſideratione ad contritionem diſpoſitus, veniam à manſuetiſſimo CORDE JEsu rogare cœpit, & feliciter obtinuit. In cujus confirmationem, teſte S. Hugone, latro ille pœnitens ſanguine & aquâ, ex ipſo hoc diviniſſimo CORDE JEsu in Cruce largiter promanante, aſperſus, & à peccatorum ſordibus mundatus eſt. Econtra Judas hunc ſalutis clypeum abjecit: *Abjectus est clypeus fortium quasi non esset unctus oleo:* ſi enim, teſte S. Leone, peſſimus ille traditor hoc ſalvificum Nomen JEsu adhuc devotè invocâſſet, omnium ſine dubio noxarum veniam impetrâſſet: *Nam longè*, ait S. Euthymius, *est desperatio, ubi est hujus Nominis invocatio.* O peccatores! O Mortales omnes! quid agitis? Ecce remedium præſentiſſimum æternæ veſtræ ſalutis pia invocatio SS. Nominis JEsu, quod eſt *Clypeus omnibus sperantibus in se*, ſed & ſacratiſſimum COR Redemptoris veſtri, vobis in omnibus adverſitatibus & tentationibus pro ſcuto inexpugnabili ſerviet: *Dabis eis scutum CORDIS.* *B. Arn. Carn. ſer. de ſept. Verbis Domini.* *Jo.* 19, 19. *S. Hugo lib. de animar. regreſſ.* 2. *Reg.* 1, 21. *Prov.* 30, 5. *Thren.* 3, 65.

7. De Theſeo fortiſſimo illo inter Lacedæmones Heroë recenſet Strobius, quòd poſt debellatos Archivos, licèt ipſe pluribus vulneribus ſaucius, & jam morti proximus eſſet, clypeum tamen ſuum in Trophæum erexerit, atque illi moribundus digito in proprio ſangui- *Strobius ſerm. de fortitud.*

UVA. BHSC. BU 00661

sanguine intincto hanc supremam epigraphen inscripserir: *Dignum Theseo, devictis Archivis, Trophæum posuêre Lacedæmones:* Tandem, cùm generosam animam expirâsset, in eodem suo clypeo, tanquam in feretro, ad funerale bustum esse deportatum.

Age anima Christiana! Et tu apprehende arma & scutum, ut possis stare in die mala adversùs principes tenebrarum harum; scutum autem tuum non aliud sit, aut præstantius esse potest, quàm SS. Nomen JEsu, quod in circumcisione sua pientissimus Redemptor proprio quoque sanguine insignivit: O quantum tibi afferet hoc SS. Nomen in agone solatium! *Omnis*, inquit Joël Propheta, *qui invocaverit Nomen Domini, salvus erit.* Et S. Bernardinus: *Quicunque peccator debitè invocaverit in ultimo vitæ Nomen JEsu, salvabitur.* Et S. Laurentius Justinianus: *Si tentaris*, ait, *à diabolo, si ab omnibus hominibus opprimeris, si conficeris ægritudine, si doloribus fatigaris, si desperationis agitaris spiritu, NOMEN JESU dicito.* Sed & SS. COR JEsu tibi pro simili generoso scuto & inexpugnabili trophæo inserviet, in quo, & per quod omnes animæ tuæ hostes felicissimè in vita & in morte superabis, cui fortissimo clypeo illud pro lemmate affiges: *Æternam tibi spondet opem.* Audi & Christianum Poëtam:

Joël. 2, 32.

S. Bernardin. tom. 1. ser. 40.

S. Laur. Just. ser. de Circumcis.

COR JESU scutum miseris mortalibus unum est:
In quo securum vivere, dulce mori.

8. Finem huic Considerationi imponat Myrtilus generosus ille bellator, qui quondam per clypeum suum duplex vitæ periculum evasit. Primum in campo, cùm terrestri pugna cum hoste dimicaret, ubi mediante clypeo suo omnia inimicorum tela à se dexterrimè avertit. Alterum in mari, ubi naufragium passus, clypeo suo tanquam naviculâ usus ad optatum salutis portum feliciter enatavit. unde hic clypeus ab Alciato pro lemmate tulit: *Auxilium nunquam deficiens:* cui pariter hos versus subscripsit:

Alciatus Embl. 161.

Effugi geminum clypeo discrimen in uno,
Cùm premerérque solo, cùm premerérque salo.

Duplex & tibi instat periculum, pie Lector! corporis scilicet & animæ, si vis feliciter evadere, apprehende salutis clypeum, SS. COR & NOMEN JESU, hoc utrumque cum devotione invoca & adora, & licèt in varias tentationes incideris, nec spes ulla ampliùs affulserit salutis, tu tamen ne cede malis, sed contra audentior ito: dic sæpius cum S. Augustino: *O JEsu! esto mihi JEsus, & salva me &c.* O SS. COR JEsu esto & Tu Cor meum &c.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO X.

SS. COR JESU paupertatis amantissimum: unde postposito auro & thure, à Magis oblato, solam sibi myrrham reservavit.



Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Matth. 2, 11.

1. NOn absque peculiari mysterio tres illi SS. Magi superiori lumine à Deo illustrati, Christo JEsu recèns à Virgine in lucem edito aurum, thus, &myrrham, & quidem feriâ sextâ (quia Natalis Christi dies in Dominicam incidit) præsentârunt: causam assignat Sedulius Poëta:

Aurea nascenti fuderunt munera Regi;
Thura dedêre DEO: Myrrham tribuêre sepulto.

Verùm quid agitis Reges sapientissimi? ad quid myrrham huic novo Judæorum Regi tam liberali manu offertis? an ignoratis, quòd

UVA. BHSC. BU 00661

myrrha sit gustui humano amarissima, & proinde symbolum mortificationis, crucis ac mortis existat? Vix in lucem natus est JEsus, & vos sine mora lamentabile illud mortis feretrum ipsi ante oculos ponitis? cur non potiùs huic Regi Regum & pacis Principi læto applausu acclamatis, ut quondam Salomoni adolescenti in Regem Israël inuncto universus populus acclamavit: *Vivat Rex Salomon.*

3. *Reg.* 1, 39.

Non vacat mysterio, anima Christiana! quòd hi SS. Reges à Spiritu S. illuminati divino Infanti mox decimo tertio post Nativitatem die amarissimam myrrham obtulerint, nihil enim gratius, nihil amœnius, nihil acceptius SS. CORDI JEsu tunc potuissent offerre, quàm ejusmodi myrrham, quia *ab auro*, prout pulcherrimè observat S. Bonaventura, *Puer vultum avertebat, & vilipendebat præ amore paupertatis.* Thus seu thymiama in templo pro honore Patris adolendum applicari voluit, myrrham verò SS. COR JEsu apud se & in se usque ad sepulturam retinuit, hoc est, amorem S. Crucis, mortificationis, & amarissimæ passionis, hinc à Sponsa cœlesti ejusmodi myrrhæ fasciculo assimilatus est: *Fasciculus myrrhæ Dilectus meus mihi, inter ubera mea*, intellectûs videlicet & voluntatis, cognitionis & amoris, dilectionis Dei, & proximi, contemplationis, & operationis, congratulationis, & compassionis assiduò *commorabitur.* Hinc idem SS. COR JEsu voluit, ut post mortem à Nicodemo de novo pretiosâ myrrhâ & aloë perfunderetur, ad demonstrandum, quòd in veritate per omnem vitam nil nisi spinosam myrrham & assiduam crucem in se portaverit.

S. Bonav. apud Fineti.

Cant. 1, 12.

Joan. 19, 39.

2. Hanc veritatem per symbolum clariùs tibi ob oculos ponimus, dum hortum myrrhæ curavimus adumbrari, in cujus medio Granadilla seu Flos passionis residet, ad quam apicula volitat, ut ex illa succum quidem amarũ, sed sibi apprimè salubrem exugat, quem succum exinde in dulce mel convertit cum inscripto lemmate:

Hæc mihi sola placet.

Vel, si mavis:

Sola mihi redolet.

En Symbolum SS. CORDIS JESU, quod præ omnibus mundi deli-

UVA. BHSC. BU 00661

deliciis ac thesauris solam sibi myrrham & granadillam elegit, tota enim vita Christi ac SS. Matris ejus quid aliud, quàm myrrha, crux, & passio fuit?

Ad quam veritatem pereleganter quondam allusit Regius Vates, dum de Christo in carne venturo vaticinatus est: *Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis.* Per quod vestimentum SS. Patres Christi Domini Humanitatem accipiunt, quâ Divinitas ejus quasi veste tecta, atque velata fuit: per myrrham verò spinosam & odoriferam amarissimam ejus passionem; & per casiam (quæ cortex tenuissimus & odoratissimus est, ligneum obtendens calamum) Dominicam Crucem subaudiunt, quam hic divinus Puellus perpetuò in suo SS. CORDE per omnem vitam gestavit. O bone JEsu! quid adhuc tecum fiet? si jam in præsepio *labia tua distillant myrrham primam*, & insuper *digiti tui pleni myrrhâ probatissimâ?* quid, inquam, post triginta trium annorum spatium tecum fiet, ubi ad ipsum montem myrrhæ & ad collem thuris erit transeundum, in quo Deo Patri pariter aurum, thus, & myrrham, hoc est, Divinitatem, Animam, & Carnem in sacrificium offeres: *Vadam ad Montem myrrhæ, & ad collem thuris?*

Ps. 44, 9. le Blanc, hic.

Cant. 5, 13.

Cant. 5, 5.

Cant. 4, 6.

3. Et quid tu ad hæc, O augustissima Virgo Maria! quando tam copiosam myrrham à SS. Magis oblatam, loco Filii in purissimo sinu tuo recepisti? quis, obsecro, tunc tibi fuit animæ sensus, utpote, quæ probè noveras, quòd per illam myrrham Dominica passio, mors & sepultura fuerit præsignata? O anima Christiana! credo, & firmiter mihi persuadeo, quòd B. Virgo hanc primam, ac probatissimam myrrham non ad pectus tantùm exteriùs presserit, sed etiam intra Cordis sui penetralia abdiderit, ut verè potuerit dicere cum Propheta: *Spiritus oris & cordis mei Christus.*

Thren. 4, 20.

Observant hîc insuper S. Joannes Chrysostomus, Euthymius, & alii, quòd hæc sacratissima Deipara, cùm in antro Bethlemitico foris tumultum & adventum Magorum advertisset, mox ad præsepium dulcissimi Filii sui se inclinaverit, quem inter materna sua brachia recipiens, castissimo Cordi suo tenerrimè adstrinxit, & sic

UVA. BHSC. BU 00661

Matth. 2, 11. Magorum adventum, ingressúmque exspectavit: *Et intrantes domum invenerunt Puerum cum Maria Matre ejus.*

O quàm benè conveniunt in Corde Virginis JEsus & myrrha oblata! an non jure merito hîc SS. Virgo cum prædicta Sponsa dicere poterat: *Fasciculus myrrhæ Dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur?* O anima Christiana! si vis cum his SS. Magis invenire JEsum, inter brachia, & COR Virginis illum quærere debes: imò nec in Cruce Filius sine Matre inveniendus est. Hunc quoque, si sapis, fasciculum Myrrhæ collige, & quotidie cordi tuo per ferventem meditationem adstringe; *Myrrha*, inquit Cornelius, *est Symbolum Christi, quia repræsentat ejus dolores & passiones, tota enim Christi vita fuit fasciculus myrrhæ, id est, continua amaritudo, & congeries laborum & dolorum.*

Cant. 1, 12.

Cornel. à Lap in Cant. 1, 12.

4. A Matre redeo ad Filium, qui mihi videtur, ut quondam Moyses in scirpeâ fiscellâ in ripâ Nili expositus, quem, cùm Thermut filia Regis Pharaonis conspexit, misericordiâ mota ex aquis sustulit, & in filium ac hæredem suorum bonorum adoptavit: *Quem illa adoptavit in locum filii.* Et quia in hoc puero singularis præeminebat corporis ac vultûs elegantia, magnámque etiam in tenera ætate præ se ferebat animi indolem, ideo Pharaoni Regi, & ejusdem filiæ comprimis charus & acceptus fuit. Accidit fortè, prout Flavius Josephus commemorat, quòd dicta Regia filia hunc suum adoptivum filium ad Pharaonem Patrem suum portaret, qui ob raram pueri speciem, morúmque gratiam commotus (quia proprio carebat filio) diadema suum Regium, seu ludens, seu seriò rem agens, capiti illius imposuit: Moyses verò subitò illud diadema regale de capite suo detractum in terram projecit, pedibúsque conculcavit; grandior verò factus, negavit, se esse filium Thermut filiæ Pharaonis: *Magis eligens*, ait Apostolus, *affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi, &c.* Ecce magnanimum cor in parvo ac tenero Moysis corpusculo! Verùm quid dico?

Exod. 2. 10.

Flav. Jos. de antiq. l. 2. c. 5.

Hebr. 11. 24.

Revertamur ad stabulum Bethlemicum, ubi non Moysen in scirpea

UVA. BHSC. BU 00661

pea fiscella, sed ipsum Dei Filium in præsepio expositum contuemur. Et quid fecit? Considera magnanimum COR JEsu in exiguo pariter corpusculo, quod jam tunc non tantùm oblatos à tribus Regibus thesauros, sed & totius orbis terrarum Dominum à Patre sibi præsentatum generosè recusavit. Hinc voluit, ut mox oblatum aurum per sanctissimam Matrem suam, paupertatis itidem amantissimam in egenos distribueretur: magis eligens affligi cum populo, & pro populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem. Unde idem Apostolus ait: *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ.* Hebr. 12. 2. Hunc solum thesaurum in SS. CORDE JEsu invenies. O quàm dissimile est Cor nostrum! quoties audimus in Sacrificio missæ: *Sursum Corda!* & tamen Cor nostrum verè miserum adhuc humi serpit, quærens terrena & transitoria, ne dicam illicita. Ecce SS. COR JEsu jam à primis vitæ momentis, neglectis Regum thesauris, passionis myrrham eligit, & Cor tuum quid hactenus fecit, & quid imposterum faciet?

5. Redeo ad SS. Magos. Dicite, obsecro, viri sapientissimi! quid cogitâstis, dum vilissimum bestiarum tugurium ingressi estis, ut ibidem Regi Regum ac Domino universorum vestra præsentaretis homagia, & obsequia, imò & Corda vestra? David quondam ingenti pudore suffusus est, quando attentiori animo perpendit, quòd Arca Dei in campo sub papilionibus staret exposita, ipse verò in regio suo palatio in omnium rerum affluentia habitaret: *Dixit ad Nathan Prophetam: Vidésne, quòd ego habitem in domo cedrina, & Arca Dei posita sit in medio pellium?* 2. Reg. 7. 2. Quid, inquam, vos cogitâstis in Cordibus vestris, Principes sereniissimi, ubi primo ingressu vestro in stabulum talem ac tantam pauperiem, rerúmque omnium inopiam in ipso Dei Filio, ac SS. Matre ejus spectâstis, ipsámque animatam Dei Arcam inter jumenta habitantem?

Æthiopiæ Regina, cùm majestatem Regis Salomonis, quem adoratum à tam remotis terræ regionibus Hierosolymam venerat, primo intuitu conspexisset, aulámque ejus magnificentissimam, & omnium rerum pulcherrimum ordinem contemplata esset, præ admiratio-

UVA. BHSC. BU 00661

3. *Reg.* 10, 5. ratione & insolito stupore non ampliùs se ipsam capere poterat, vix non animi deliquium passa: *Non habebat ultrà spiritum.*

O Beati Reges! dicite, & annuntiate nobis, qualis tunc Cordis vestri sensus fuerit, cùm DEUM INCARNATUM in stabulo, orbis Conditorem ac Salvatorem inter bestias, & cœli Regem in sinu pauperis Puellæ vidistis? Dicite, & annuntiate nobis, quis tunc vester erat animi sensus? Stant attoniti Reges, præ stupore cordis loqui non possunt. Interim ad Jobum Idumæorum Regem sermonem nostrum convertamus.

6. Cùm tres illi Reges & amici Job, videlicet *Eliphaz* Themanorum, *Baldad* Sauchæorum, & *Sophar* Minæorum Rex optimum amicum suum Jobum solandi causâ inviserent, & ad sterquilinium illud venissent, ubi Job extra civitatem ac regale solium ejectus, plenúsque ulceribus pessimis in stramine ab omnibus desertus sedebat. O bone DEUS! quis exprimet illum cordis dolorem, quo dicti tres Reges ex magnitudine malorum & contemplatione miseriarum hujus amici sui fuerint perculsi? Audi Scripturam: *Cúmque elevâssent procul oculos suos, non cognoverunt eum, & exclamantes ploraverunt, sciscíque vestibus, sparserunt pulverem super caput suum.* *Job* 2, 12.

Verùm quid umbras enarro? Adventant in Judæam stella duce tres Reges Orientales, nempe Tharsicus, Sabæus, & Arabicus, Regem cœlorum recèns à Virgine Hebræa progenitum inquirunt, & ideo palatium Herodis petunt. Sed non invento ibidem hoc Divino Principe ulterius ad urbeculam Jessæam tendunt ibi extra civitatis mœnia, vix non in sterquilinio, certè in sordido stabulo Orbis universi Dominatorem reperiunt. O quis effari potest, quantâ animi cum perculsione ac mentis stupore tres SS. Reges hoc Divinum VERBUM Orbísque Principem primò sint contuiti? Certè cùm extremam illius & SS. Matris ejus inopiam cernerent, ex commiseratione ubertim in lacrymas soluti sunt, & quod mortalium nemo satìs admiretur, hunc ipsum infantulum in gremio Matris considentem, lumine divino collustrati, prono in terram poplite sunt devenerati: *Et procidentes adoraverunt eum.* Heu! ubi nostra fides & devotio? *Matth.* 2, 11.

Si

UVA. BHSC. BU 00661

Si Regis ad exemplum totus componitur orbis, ubi nostra imitatio?

En habemus eundem cœlorum Regem tota die in altari præsentem, ubi amor, ubi honor, ubi visitatio nostra est? Daniel in captivitate Babylonica constitutus ter de die per fenestram apertam ad Templum Hierosolymitanum Dominum ac Deum suum adoravit. Nunquid & nos similem habemus occasionem in civitatibus, in pagis, campis, & ubique locorum SS. COR JEsu in SS. Eucharistia cum tribus Magis colendi, & cultu latriæ adorandi? O verè miseram mortalium conditionem, & ingratitudinem intolerandam! Accedimus subinde, & utinam non sæpius ad ipsam SS. Synaxin, & in corde nostro intus habemus, qui SS. COR suum pro nostra redemptione in cruce tradidit, & tamen tam frigidi, tam tepidi adhuc sumus, quasi illum cœli terræque Dominum non agnosceremus, vel ibi adesse crederemus? *O filii hominum usque quo gravi corde?*

7. Quando Ninivitæ, licèt pessimi & obdurati peccatores Regis sui spectârunt exemplum, quòd ipse primus ad prædicationem Jonæ Prophetæ de solio surgeret, & abjecto sceptro, coronâ, ac vestimento regio, sacco rigido indutus, & cinere aspersus pœnitentiam ageret omnes absque ulla mora hunc Regem suum secuti sunt: *Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum, & prædicaverunt jejunium.* Jona. 3. 5.

Cùm Puer seu armiger Jonatham Principem suum vidisset, per loca excelsa & per rupes præaltas serpentem, ut ibidem Philistæorum castra de nocte confunderet: ipse protinus contempto omni periculo Dominum ac Principem suum secutus est: *Ascendit autem Jonathas manibus & pedibus reptans, & armiger ejus post eum.* 1. Reg. 14, 13.

Cùm Ethai Gethæus Davidem, Dominum ac Regem suum observâsset à facie persequentis Absolonis profugum, & nudis pedibus in exilium prodeuntem, ipse ultro tanquam fidelis subditus se Regi suo in comitem & socium miseriarum obtulit: *Et respondit Ethai Regi dicens: Vivit Dominus, & vivit Dominus meus Rex, quoniam in quocunque loco fueris Domine mi Rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus.* 2. Reg. 15, 21.

Age

UVA. BHSC. BU 00661

Age anima Christiana, non unus, sed tres Reges tibi exemplo præeunt, primi inter omnes gentiles Sanctissimum ac Divinissimum COR JEsu humillimè adorantes. O si vel una gutta ingenui sanguinis in corde tuo est, cur non sequeris tam illustre exemplum? Aurum à te non postulo, quod ipsi obtulerunt. Potes tamen, si vis, offerre *Cor aureum*, hoc est, sinceram & auream erga DEUM & proximum charitatem, quod donum SS. CORDI JEsu super aurum & topazion placebit. Imitare exemplum Gandavienſium, qui Sereniſſimo Duci Orangio anno à Christo Nato 1577. die 29. Decembris Bruxellis cum Germano suo Principe Nassavio Gandavum solenni pompa ingredienti, inter alia pretiosa munera per formosissimam Virginem *Cor aureum* & apertum in donum gratissimum præsentârunt, cui cordi foris & intus majoribus characteribus pro lemmate inscripserunt hoc unicum, *Sinceritas*. Tale quoque Cor à te postulat Divinus Conditor orbis, sincerum & apertum, ita ut in illo nihil lateat, quod ipsi non præbeas, sic pariter de te Christus dicere poterit. *Nunc mihi aperuit cor suum.*

Jud. 10, 18.

Potes itidem SS. CORDI JEsu offerre & Thus, hoc est, Cor pium, mundum, orans, sanctis affectibus inflammatum, & per jugem Divini Numinis memoriam à terrenis ad cœlestia elevatum. Tale thuris odoramentum penetrat cœlos, & *sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris* usque ad thronum DEI ascendit. Hinc vidit B. Joannes in apocalypsi orationes Sanctorum velut acceptissimum thymiama & thus odoriferum ad DEUM ascendere. Unde & Regius Vates in Psalmo, *dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.*

Cant. 3, 6. *Apoc.* 5, 8. *Psal.* 140, 2.

Denique SS. CORDI JEsu & Myrrham offeres, hoc est, *Cor contritum & humiliatum*, cujus passiones sunt domitæ, quod carnis motus coërcet, & in jugi pœnitentiæ & crucis amaritudine vivit, nec extra DEUM aliquid aliud in hac mortali vita quærit. Hanc myrrham SS. COR JEsu non despiciet, utpote probatissimam &c.

Cant. 5, 5.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XI.

SS. COR JESU sub typo Agni matutini se primùm Patri in templo pro peccatis totius mundi in victimam offert.



Tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. Luc. 2, 22.

1. PRæceperat quondam Deus, ut Hebræi in memoriam illius accepti beneficii, quòd Angelus percutiens in Ægypto omnes primogenitos unâ nocte mactaverit, & econtra Israëlitis tam benignè pepercerit, omne primogenitum sibi offerrent: *Sanctifica mihi omne primogenitum.* Ut huic legi SS. Deipara pareret, expletis quadraginta diebus in stabulo Bethlemico, cum dulcissimo Filio suo & Patre Nutritio Hierosolymam profecta est, ut ibidem Primogenitum & Unigenitum suum in templo Patri æterno sisteret; quem maternis tenens manibus, flecténsque genua summa cum reverentia & devotione DEO T. O. M, teste S. Thomâ *Exod.* 13, 2.

UVA. BHSC. BU 00661

S. Thom. Vill. serm. de purif. Thomâ Villanovano, hísce verbis obtulit: *Suscipe, Pater Omnipotens, suscipe oblationem hanc, quam tibi offero pro toto mundo ancilla tua; suscipe communem Filium, tuum ab æterno, meum in tempore; suscipe nunc de manibus ancillæ tuæ sacrosanctum hoc sacrificium matutinum, tibi quondam in Crucis brachiis offerendum in sacrificium vespertinum.*

O gratissimum Sacrificium! quantò veriùs de illo dici potuit, quàm de Sacrificio Noëmi, quod post terminatum diluvium Deo obtulit: *Odoratúsque est Dominus odorem suavitatis.* Præsertim cùm ipse tenellus Infans JEsus Patri suo cœlesti SS. COR suum, velut primogenitum ad ipsum honorandum, & humano generi placandum primâ oblatione publicâ in templo consecravit. O sacrificium acceptabile, cui simile nunquam vidit orbis! In quem finem innocentem Agnellum in ara collocatum statuimus, Deo in sacrificium oblatum, cum lemmate à Davide mutuato:

Gen. 8, 21.

Ps. 50, 19.

DEus non despicies.

2. Et quomodo poterat æternus Pater despicere dulcissimum COR Unigeniti Filii sui, quod ipsi factũ est obediens usque ad mortem? Si quondam Divinæ ejus Majestati adeò placuit innocens victima Abelis, dum non tantùm optimum agnum in signum debitæ gratitudinis & observantiæ in ara recèns ex lapidibus erecta, Deo in holocaustum, sed & ipsum innocuum COR suum in sacrificium obtulit: *Respexit Dominus ad Abel & ad munera ejus.* Quantùm, obsecro, non sibi complacuit benignissimus DEus, dum hanc immaculatam hostiam, sacratissimum ac divinissimum COR JEsu primâ vice in altari templi vidit sibi litatum? Cedant sacrificia legalia omnia, cedant figuræ, cedant umbræ, hoc unicum immaculatum sacrificium non uni, sed millenis, imò infinitis mundis redimendis sufficiens fuit: *Nunquam*, ait Lucas Burgensis, *in tabernaculo fœderis hujusmodi apparuerat hostia: nunquam in templo Salomonis magnifica adeò & gloriosa visa oblatio fuerat: jam cœptum impleri est illud Aggæi: magna erit gloria domûs istius novis-*

Gen. 4, 4.

Lucas Burg. in Lucam hic.

Aggæi 2, 10.

UVA. BHSC. BU 00661

novissimæ plùs, quàm primæ, veniet enim desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloriâ.

3. Perelegantem figuram de hac veritate invenio in Libro Exodi, ubi Deus summus Legislator quondam Patribus mandavit, ut quotidie sibi, tanquam juge sacrificium, Agnum quendam immaculatum manè ad ortum solis offerrent, & alterum agnum vespere sub ejusdem solis occasum pro communi populi salute in altari immolarent. Et hoc erat, de quo toties Regius Vates decantavit: *sacrificium matutinum & vespertinum*, quod publicis offerebatur populi impensis, ubi agnus priùs in piscina ablutus, à Sacerdote jugulatus, & à sanguine ac intestinis mundatus, demum veru ligneo per modum Crucis affixus, igne lento assatus est, interea Sacerdos & populus circumstans, Cor & manus supplices ad cœlum levabant, & Deo vitæ necísque Domino hunc Agnum in gratissimum holocaustum offerebant: *Hoc est, quod facies in altari: Agnos aniculos duos per singulos dies jugiter, unum agnum manè, & alterum vespere.* Exod. 29, 38.

O pientissime JEsu! Tu es ille Agnus Matutinus & Vespertinus: matutinus quidem, teste S. Bernardo, quando te SS. Mater tua in die purificationis suæ Æterno Patri primùm in Templo pro bono & salute totius mundi obtulit, ubi pro te Sacerdoti, quasi Dei Vicario juxta legis præscriptum etiam quinque siclos solvit: *Emitur ergo Redemptor*, ait citatus S. Thomas Villanovanus, *quinque siclis a Virgine, qui quinque plagis totum erat mundum redempturus.* Vespertinus autem Agnus tunc fuisti, quando in vitæ vespere, sole ad occasum vergente, veru ligneo S. Crucis affixus, & in igne divini amoris in SS. CORDE tuo jugiter ardente assatus, pro peccatis universarum gentium in gratissimum holocaustum, & in odorem suavitatis oblatus es. S. Bern. serm. 2. & 4 de purif. S. Thom. Villanov. serm. de purif.

4. Subjungamus huic figuræ aliam non minùs elegantem. Cùm olim Satrapæ Philistinorum cum valido exercitu contra Israëlitas descenderent, ut eorum comitia à Samuele in valle Maspath congregata non tam dissiparent, quàm universam eorum regionem per-

UVA. BHSC. BU 00661

perderent. Samuel in hoc summo rerum discrimine citò agnum tenerrimum, & adhuc matris ubera lactentem arripuit, atque eum indissectum Deo supremo rerum Domino in holocaustum obtulit, integrúmque aræ impositum pro populi incolumitate combussit. Et ecce rem planè admirandam! cùm adhuc victima in altari arderet, & hostis ex omni parte in populum inermem rueret, subitò divinum affulgere cœpit auxilium, dum horrenda de cœlo fulmina, tonitrua ac terræ motus tantum Philistæis terrorem incussérunt, ut à prælio cessantes, in turpem fugam non sine gravissima clade converterentur: *Tulit autem Samuel agnum lactentem, & obtulit illum holocaustum integrum Domino, & clamavit Samuel ad Dominum pro Israël, & exaudivit eum Dominus, &c.*

1. Reg. 7. 9.

Per hunc agnum matris adhuc ubera sugentem, Deúmque placantem, ac pacem populo Israëlitico reconciliantem, quid aliud præsignatum fuit, quàm Christus Infans, innocentissimus ille Agnellus, quem SS. Deipara adhuc ubera sua virginea sugentem, DEO Patri in templo pro pace & reconciliatione totius mundi præsentavit? *Et obtulit illum holocaustum integrum Domino.*

5. Observant autem Sacri Scriptores, quòd Agnus masculus non tantùm ob tenera adhuc cornua quasi ossea aut spineam quandam coronam in vertice gerat, sed & Crucem in dorso habeat, ac quinque stigmata, seu totidem sanguinolentas cicatrices in corpore portet, quatuor videlicet in pedibus, & unam rubeam cicatricem in corde, quod, teste Quaresmio, curiosi naturæ Scrutatores sæpius in agno remotis paulisper lanæ flosculis observârunt: *Nescio*, ait Cornelius à Lapide, *quid vulnerum perpetuò gerant agni in mediis pedum volis, non absimili modo, quo salvator noster ex Cruce reservat in manibus & pedibus fixuras clavorum, &c.*

Quaresm. tom. 1. c. 3. sect. 1. Cornel. à Lap. in Matth. c. 26. v. 19.

Quid, obsecro, pulchrius de nostro mystico Agno Christo JEsu dici, aut applicari potest? An non etiam per omnem vitam hæc quinque sacra vulnerum stigmata, manibus ac pedibus & innocentissimo CORDI in amarissima passione infligenda, cum cruce perpetua, atque corona spinea in animo suo portavit? Et nunquid cognitio

UVA. BHSC. BU 00661

gnitio Christi imperfecta fuit? minimè: ab eo enim tempore, quo redemptionis humanæ negotium accepravit, jam in animo suo omnes dolores ac mærores, crucem & vulnera sensit: *Quoniam Dominus noster*, ait Robertus Bellarminus, Eminentissimus S. R. E. Cardinalis, *toto vitæ suæ tempore crucem suam & tormenta singula, & eorum acerbitatem certissimè noverat, in eo sine dubitatione ulla summum gradum acerbitatis & vehementiæ habuerunt.* *Rob. Bellarm. de gemitu Columbæ l. 2. c. 3.*

Et hoc est, quod Magnus ille eremi Cultor ac Præcursor S. Joannes Baptista insinuavit, dum Judæorum legatis & præsenti ad Jordanem populo mitissimum orbis Redemptorem, nunc à deserto post peractum quadragesimale jejunium ad se revertentem, brachio & digito ad COR JEsu extento monstravit: *Ecce agnus Dei! ecce qui tollit peccata mundi.* O anima Christiana! quantum obsecro, obligata es huic innocentissimo Agnello? potuisset te utique & quidem justissimè jam pridem perdere in gehennam, & ecce ipse dignatur pro te victima fieri, & in Templo pro futura redemptionis tessera ipsum Sacratissimum COR suum Patri in condignam tuorum peccatorum satisfactionem offerre? O amor! O bonitas immensa! Ah utinam, Domine, ah utinam aliquid digni tanto tuo in nos amori possemus rependere! O si sexcenta, & millena nobis essent Corda, nunquid his omnibus & singulis ex totis viribus fores amandus? *Joan. 1, 29.*

6. Verùm nondum se sistet hîc oratio mea, ulteriùs progredior. De Davide Rege commemorant Regum Fasti, quòd, cùm vehemens lues Urbem Solymæam vastaret, & in obvios quosque crudeliter sæviret, ad placandum Numen iratum in area Areuna publicũ altare erexerit, in quo holocausta & pacifica sacrificia pro totius regni salute obtulit: *Et ædificavit ibi David altare Domino, & obtulit holocausta pacifica, & propitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga.* Nam Angelus, qui tunc temporis stricto gladio populum feriens in aëre videbatur, sine mora fulminantem ensem retraxit, & in signum reconciliationis Deum inter & hominem in vaginam misit: *Cúmque extendisset manum suam Angelus Domini* *2. Reg. 24, 25.*

UVA. BHSC. BU 00661

super Jerusalem, ut disperderet eam, misertus est Dominus super afflictione, & ait Angelo percutienti populum: sufficit: nunc continе manum tuam. Et quid portendit hoc sacrificium Divinæ Majestati adeò gratum, ut mox pacem & salutem populo referret?

Amantissime JEsu! Cognosco ex hac figura figuratum, & ex umbra veritatem, nam per hanc & similes hostias pacificas ordinariè Tu, mi Redemptor, velut agnus Matutinus aut Vespertinus præfiguratus es: *Ut per hoc,* ait Cornelius à Lapide, *significaretur Christus, qui quasi victima expansus, mactatus est in cruce pro redemptione hominum.* O bonum Numen! Si jam olim prædicta hostia tempore pestis à Davide oblata, potuit placare Deum, quia in umbra repræsentabat Christum: quid non faciet ipsum vivum, innocentissimum ac divinissimum COR JEsu mansuetissimi illius Agni, si illud æterno Patri pro animæ tuæ salute, præsertim in Sacrificio missæ, aut in sumptione SS. Eucharistiæ ex conscientia pura obtuleris? O quàm sancta, quàm munda, quàm nobilis erit hæc oblatio in conspectu totius curiæ cœlestis! Et nunquid tuorum votorum poterit esse repulsa, si Patri hæc innocens offertur victima?

Cornel. à Lap. in Levit. c. 1, 5.

7. Videtur mihi in hac prima & publica oblatione hujus Divini Infantis Sacratissima Deipara, ut quondam Marcus Antonius, qui Romæ in tumultu civili, cùm plures cives armata manu ad Capitolium ad mactandum ibidem Senatum concurrerent, Lysium puerum innocentem, ac longè formosissimum apprehendit, eúmque utroque brachio in altum attollens, furibundo & rebelli populo ostendit, alta simul, quâ poterat, voce exclamans: *O cives, cives! Puer iste almam proclamat pacem.* Ad quod verbum, & lamentabilem pueri vocem mox omnium civium cordibus mirè sedatis, pax optata eodem adhuc die inter Senatores & cives concluſa est.

O quàm periculosum quondam bellum cœlum inter & terram exarserat? An non terra cœlo bellum indixit, dum contra Deum innumeris vitiis sceleribúsque decertavit: *Omnis quippe caro corruperat viam suam?* Econtra cœlum misit in terram diluvium, ignem sulphureum, ignitos serpentes, grandinem, famem, pestem, bella,

Gen. 6, 12.

UVA. BHSC. BU 00661

bella, aliásque plagas innumeras, quibus Justitia Divina omnem animam viventem volebat extinctam. Quid agit SS. Virgo & Mater intemerata? Ecce Patris æterni & suum dulcissimum Filium JEsum è præsepio apprehendit, eúmque inter ulnas suas in templum Hierosolymitanum deportat, quem Patri cœlesti & populo præsenti non sine lacrymis ostendens, pro salute mundi in Victimam pacificam & matutinam offert: *En Pater Æterne! Puer iste, Filius tuus in æternitate, & meus in tempore almam proclamat pacem!* O quis dubitare hîc poterit, quàm gratum, quàm acceptum Divinæ Majestati hoc fuerit Sacrificium Matutinum, dum innocentissimus Infans, & jam tunc ad crucem destinata victima insuper SS. COR suum Patri obtulit: *Offertur COR Virginis*, inquit R. P. Judocus Andries S. I. *in qua plenitudo gratiarum; offertur COR Christi, in quo omnes thesauri Divinitatis inclusi. Si attendo affectum, magnus est Simeonis, major MARIÆ, maximus JESUS. Si finem intueor, est omnium mortalium salus. O quàm sancta, quàm nobilis hæc oblatio!* *P. Jud. Andries de perpetua cruce p. 2.*

8. Nec absimile illud est, quod de Albuquercio generoso quondam & orbi notissimo Architalasso recensent probati Scriptores, qui, cùm longâ ac periculosâ navigatione in Indiam Orientalem trajiceret, gravissimáque jactatus tempestate cum sua classe bellica de vita & salute periclitaretur, in medio naufragii discrimine constitutus infantem suum arripuit, & versùs cœlum iratum illum attollens, Deum universorum Dominum supplex rogare cœpit, quatenus propter innocentiam hujus infantis sibi, cæterísque in simili periculo constitutis benignè parcere, mortísque periculum à se dignaretur avertere. Quod & factum est. *P. Lohner S. I. in tr. de infir.*

O pientissima Virgo! *Mater Dei, & hominis, Mater Regis & exulis* (ita te appellat mellifluus tuus Bernardus) En quantis calamitatum fluctibus nunc universa jactatur Europa? Bella, bella, horrida bella ubique fulminant, Mars insanit ubique, provinciæ plurimæ devastantur, miscentur omnia rapinis, incendiis, homicidiis, cuncta sus déque vertuntur. Ah Domina fer opem periclitanti Ecclesiæ:

UVA. BHSC. BU 00661

clesiæ: monstra & tu Filium tuum dulcissimum JEsum Æterno Patri, ut ob innocentiam hujus mitissimi Agnelli, ac præsertim ob amabilissimum ac innocentissimum COR ejus, in quo semper Pater sibi bene complacuit, & in quo requievit Spiritus Sanctus, bella in ultimos Thraciæ fines releget, & tot votis exoptatam pacem denuo Ecclesiæ suæ clementissimè largiri dignetur &c.

9. Coronidem huic Considerationi imponat Thesaurarius & quæstor ille potens Reginæ Candacis, qui, cùm Hierosolymâ in Æthiopiam rediret, sedénsque super currum animi gratiâ Isaiam Prophetam legeret, & casu, seu potiùs sic disponente Divina Providentia, ad illam sententiam deveniſſet: *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum:* adeò hic Gentilis ad unicum hunc scripturæ textum in CORDE suo erga SS. ac mitissimum COR JEsu Divini illius Agni commotus est, ut ad S. Philippum tunc fortè supervenientem conversus, promptissimè fidem in Christum JEsum profiteretur: *Credo Filium Dei esse JEsum Christum:* & quia secus flumen in curru cum S. Philippo, de immenso amore hujus Diviniſſimi CORDIS JEsu plura differente, & mysterium explanante vehebatur, instanter ab illo flagitavit, ut quantocyus sacris baptismi undis abluerétur: *Et jussit stare currum, & descenderunt in aquam Philippus & Eunuchus, & baptizavit eum.*

Isa. 53, 7.

Actor. 8, 27.

O animæ Christianæ! si hanc mirandam conversionem in homine Gentili potuit efficere unica ac seria cogitatio de innocentissimo CORDE JEsu, *Agni illius immaculati & incontaminati, præcogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestâsti autem novissimis temporibus propter nos.* Quid, obsecro, in nobis non efficere debet ipsa quotidiana, ac realis præsentia hujus Diviniſſimi CORDIS JEsu in SS. Eucharistia? Clamemus proinde cum S. Joanne: *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem & Divinitatem, & sapientiam & fortitudinem & honorem & gloriam & benedictionem in sæcula sæculorum, Amen.*

1. Petr. 1, 18.

Apoc. 5, 12.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XII.

Consideratur Amor & Passio SS. CORDIS IESU à facie Herodis in Ægyptum fugientis, & cædi SS. Innocentûm intimè condolentis.



Surge, & accipe Puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum. Matth. 2, 13.

1. SAlomon Regum sapientissimus, cùm diversas etiam minimorum animalium naturas considerâsset, summopere lepusculi sapientiam demiratus est, qui, licèt inter minima terræ computetur, talia tamen sapientiæ opera exercere solet, ex quibus etiam homines habent, quod discant: *Quatuor sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora sapientibus: formicæ populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi: lepusculus, plebs invalida, qui collocat in petra cubile suum, &c.* Miraberis hîc prudens Lector, in quo tandem eluceat illa singularis lepusculi sapientia? Prov. 30, 24.

UVA. BHSC. BU 00661

Adverte: lepusculus comprimis oculis indormit apertis, quasi semper de salute sua circumspectus & providus: in periculis mira agilitate summa montium cacumina petit, quò canes insequentes eniti non possunt: valles econtra prudenter declinat, quia per declivia decurrens quasi globus circumagitur, & sic facilè hosti in prædam cedit. In paupertate & inopia sua mirè contentus vivit, & si nihil aliud escarum invenit, etiam nive contentus est. Pro habitatione securiora petræ foramina, montísque cavernas sibi eligit, ubi tutus habitat; & si subinde contingit, ut in patenti campo à canibus infestetur, absque mora ad spinosum dumetum confugit. Unde pro lemmate tulit:

Fugâ salutem.

Cornel. à Lap. in Prov. 30, 26.

En hîc typum Christi JEsu, Verbi illius Incarnati & abbreviati, qui in præsepio jacens, ejusmodi lepusculo & plebi invalidæ à Cornelio à Lapide & aliis non incongruè assimilatur, dum pro sua mansione non aliam, quàm speluncam Bethlemicam etiam in summo frigore elegit: *Qui collocat in petra cubile suum.* Et quia neque in hac petrosa caverna satis securus degebat, sed ab Herodianis canibus ac insidiantibus vertagis per omnem regionem emissis ad necem quærebatur, idcirco de matura sibi fuga prospiciens, in Ægyptum cum SS. Matre sua & Patre Nutritio S. Joseph profectus est, ubi interim salutem inter idololatras in exilio inveniret, quam neque in ipsa patria inter suos poterat reperire. *Et secessit in Ægyptum.*

Ps. 118, 161.

2. O pientissime JEsu! O tenerrime lepuscule! ad quid adeò Herodianos canes te insectantes fugis, & expavescis? Ad quid pavet COR tuum, dum Herodes Ascalonita, efferatus ille & insatiabilis lupus, qui cum ætate semper deterior factus est, tibi mortem intentat: *Formidavit Cor meum!* Si fugit refugium nostrum & virtus, O Domine, ad quem ibimus? Quis erit imposterum nobis refugii locus! *Qui mori venerat*, quærit S. Chrysologus, *quare fugit mortem?* Si Dux militiæ à facie hostis trepidat, & fugam arripit, quid agent milites? quid SS. Martyres? nunquid ideo, O mi JEsu! venisti in mundum, *ut mortem subires innocens, à morte nos ut tolleres?*

Eccles. in hymno de Ascens. Domini.

Suspen-

UVA. BHSC. BU 00661

Suspende judicium, Anima Christiana! *Dum parvulus est*, inquit sapientissimus Salmeron, *fugit, magnus autem ultrò seſe offert petentibus eum ad mortem;* proinde noluit tenerrimum COR JEsu jam tunc in tenella ætate & in tenui corpusculo omnem suum profundere sanguinem, licèt hic modicus cruor pro redimendis mundis millenis sufficiens fuisset, non tamen suffecit immenso illius amori, quo genus humanum complectebatur; hinc perfectam ætatem expectare voluit. Et sicut primus homo in paradiso non infans, sed in ætate perfecta creatus & lapsus est, ita decebat, ut Christus in tali quoque ætate constitutus hominem lapsum in arbore crucis redimeret. Audi, & considera, quàm benè ad rem nostram loquatur S. Petrus Chrysologus: *Fugere istud est amoris intimi, non timoris & ignaviæ; vult enim in aperto vincere, qui publicam referre cupit de hoste victoriam.* Et quia exiguum ducebat, unico ensis ictu cadere, ideo SS. COR JEsu crucem, spinas, flagra, clavos, & crudelem lanceam expectabat, ut copiosior apud eum esset redemptio, & major in nos amor SS. CORDIS JEsu.

Salm. tom. 3. tr. 44.

S. Petr. Chrysol. ser. 152.

Et ideo in Lege Veteri mandavit Deus, ne Hebræi hœdum tenellum mactarent, eúmque in lacte matris suæ coquerent: *Non coques hœdum in lacte matris.* Per quem hœdum communiter Patres Christum JEsum Infantem, adhuc à virgineis uberibus pendentem intelligunt, qui tanquam hœdus legalis omnia peccata nostra in se assumpsit in ara Crucis expianda, unde noluit infans gladio Herodis trucidari, atque in lacte matris coqui, & immolari, sed fugit in Ægyptum. Collige ex hoc mirandam SS. CORDIS JESU & MARIÆ magnanimitatem, etiam in rebus quàm maximè arduis. Potuisset utique B. Virgo ad Angelum, fugam intempesta nocte consulentem, dicere, prout discurrit S. Chrysostomus: *Tu paulò antè dicebas, quia salvabit populum suum, & nunc seipsum quidem non potest de periculis liberare, sed fuga nobis est necessaria, & peregrinatio, & transmigratio longinqua: contraria omnino sunt facta promissis.* Sed nihil horum pensabat obedientissimum COR MARIÆ, dum in omnibus quibuscunque difficultatibus se semper promptissimè cum plenissima

Exod. 23, 19.

S. Chrys. hom. 8. in Matth.

UVA. BHSC. BU 00661

ma resignatione divinæ subjiciebat voluntati. O DEUS! quando denique Cor meum paratum erit ad faciendam tuam SS. voluntatem, *qui salvos facis rectos corde?*

Ps. 7, 11.

3. Interim Herodes Rex, cùm vidisset à Magis se delusum, in rabiem actus statuit iram ac furorem suum indomitum in innocentes quosque Infantes evomere, ut cum iisdem pariter & orbis lucernam ac Messiam ante tot sæcula Patribus promissum extingueret. In quem finem parvulos omnes à bimatu & infrà in sua regione conscribi curavit, quos ex qualibet civitate, oppidis ac pagis in unum locum congregatos crudeli & inaudita impietate jussit trucidari: *Iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros à bimatu & infrà.*

Matth. 2, 16.

Recordor hîc illius sanguinei balnei, quod Constantino M. Imperatori fædissimâ corporis leprâ infecto quondam Medici Romani suaserunt. Aderat dies lanienæ destinatus, ubi parvuli ex variis Romani Imperii partibus à matribus Romam comportati, adinstar innocentium agniculorum debebant immolari, ut eorum sanguini Cæsar immersus, & ablutus membrorum salutem reciperet. Sed quid ad hoc Constantinus, licèt tunc temporis adhuc gentilis? *Absit*, inquit, *tanta innocentium strages, præstat mori potiùs, quàm ut tam caro humani cruoris pretio vitam meam redimam.* Unde commiseratione motus parvulos omnes, eorúmque matres optimè præmiatas liberè in patriam remisit: quam summè laudandam Constantini clementiam benignissimus DEus in his terris abundè remuneratus est, dum non tantùm ad agnitionem veri Dei & fidei pervenit, sed & per lustrales baptismi aquas ab omni corporis leprâ mundatus est.

Non sic Herodes impius ille & sacrilegus Deicida, qui ut Dei Filium perderet, in omnes pueros sæviit, & neque lactenti ætati in suo regno pepercit, dum quatuordecim parvulorum millia crudelitate plusquam belluinâ trucidavit, quorum sanguineo balneo necdum satura hæc cruenta bestia etiam proprios filios in palatio enecari jussit, ut adeò de eo Imperator Augustus, cùm de hac inaudita tyrannide audiret, dixisse perhibeatur: *Malle se Herodis porcum, quàm filium esse.*

4. Ve-

UVA. BHSC. BU 00661

4. Verùm quid accidit? Pharao superbus ille & induratus Ægyptiorum Tyrannus, cùm universam Hebræorum progeniem per immaturam puerorum necem extinguere diu allaborâsset, tandem damno suo, plùs quàm dici potest, maximo expertus est, quàm turpiter ab uno puero Moyse, tunc per aquas salvato fuerit delusus, qui non huic duntaxat Regi interitum, sed & regno universo totalem ruinam ac ultimum exterminium intulit: *Eodem modo*, inquit S. Bernardus, *cum Pharaone etiam Herodes delusus est: utrobique pro unius persona numerositas trucidatur puerorum, utrobique, qui quærebatur, evasit.* *Exod. 1, 22.* *S. Bern. serm. in octav. Paschæ.*

Sic & impia Athalia, ut universum stemma Davidicum, cui Dominus regalem sedem & futurum orbis Messiam promiserat, radicitùs extingueret, per immanem crudelitatem omne semen regium occidit, in qua communi laniena regiorum nepotum solus evasit Joas princeps, quem Josaba filia Regis Joram tanquam nepotem suum de medio occisorum mira dexteritate eripuit: *Et abscondit eum a facie Athaliæ, ut non interficeretur*, quem exinde post sex annos Jojada Sacerdos de exilio revocavit, & in Regem Judæorum inunxit. *4. Reg. 11, 1.*

Ad quid ista enarro? O Beatissima Virgo & Mater Sanctissima! Tu es illa fortissima Josaba, ex regia Davidis stirpe orta, quæ ex tot millibus parvulorum ab Herode interfectorum solum dulcissimum Filiolum tuum JEsum eripuisti, & ne in prædam Athaliæ, hoc est, impiæ Synagogæ & Herodianæ Tyrannidi cederet, jussu Angeli & comite S. Josepho post exantlatas quàm plurimas itinerum & laborum difficultates tandem in Ægyptum propriis ulnis deportâsti, ubi Rex Regum & Dominus universorum pro suo palatio vix exiguum foramen in medio gentis, cultui idolorum dedicæ, invenit, ut adeò non immeritò conquestus sit: *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos; Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.*

5. Nunc considera, anima Christiana, immensum illum amorem & dolorem SS. CORDIS JEsu, quantis tunc in exilio exæstuaverit affectibus, & quàm tenerrimo amore compassum fuerit tot immo-

UVA. BHSC. BU 00661

latis Martyrum Primitiis, quos sciebat sui causâ occidi; qui, licèt tunc adhuc Infans esset, & non plus ætatis, quàm annum unum & tres menses haberet, tamen revelante Verbo sibi unito, omnia optimè etiam absens in Ægypto noverat, hinc SS. COR ejus crudelissimum hoc infanticidium intimo pietatis affectu deploravit, dum clamor matrum, & vox sanguinis filiorum usque in cœlum, & ad illius aures penetravit. Certè optabat tunc mitissimum COR JEsu, si conveniens fuisset, mori pro singulis; sed reservatum fuit majoribus doloribus, & cruci ignominiosæ, ubi pro omnibus erat immolandum & immiti lanceâ aperiendum.

Nec minùs hanc calamitatem & miserandam tot parvulorum cladem dolebat mœstissimum COR MARIÆ, siquidem ut Prophetissa omnium illuminatissima clarè vidit, quomodo ob amorem & causam Filii sui tota illa regio Innocentûm sanguine, & pleræque domus lamentis lacrymisque parentum replerentur. O quoties memor erat illius vaticinii tunc ad amussim adimpleti: *Jerem. 31, 15.* *Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt!*

O Bone JEsu! ô Mater doloris & amoris! hîc in veritate rursus *Luc. 2, 35.* verificatum est illud justi Simeonis vaticinium: *Positus est hic in signum, cui contradicetur.* Et paulò pòst: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Heu! quis exprimet, quanta incommoda, curas, inopiam, contemptus ac ærumnas hoc SS. COR JESU & MARIÆ in hoc diuturno exilio passum sit? O Pater æterne! an non satis fuit dilectissimo Filio tuo in frigore abjectóque stabulo nasci, in pauperrimo præsepio reclinari, cultro petrino circumcidi, velut servum emptitium in templo præsentari, & quinque siclis redimi, sed insuper oportuit illum in exilium proficisci? quid in te deliquit Filius tuus?

Audi pro responsione Paulum à Palatio: *Voluit Dominus*, inquit, *etiam exulâsse, ut nihil esset amaritudinis in calice, quod non ille gustaret.* Unde à Puero usque ad mortem constanter & verbo & facto docuit, quòd omnis Christiani vita in hoc brevi curri-

UVA. BHSC. BU 00661

curriculo nil aliud sit, quàm continuus labor & dolor, crux & persecutio; & si nondum cœpisti ista pati, nondũ cœpisti esse Christianus.

6. Pro confirmatione dictorum venit hîc mihi in mentem pulcherrimum illud judicium, quod olim Salomon, dum vix ad regium thronum erat elevatus, mirâ prudentiâ tulit. Venerunt ad hunc sapientissimum Regem duæ mulieres, quarum una vivum, altera mortuum & in somno oppressum Filium ad tribunal regium deferebat, mirè & acerbè inter se litigantes, cujusnam esset ille filius, qui adhuc sanâ vitæ aurâ fruebatur? Quid ad hoc Rex omnium mortalium prudentissimus? gladium afferri jussit, quo infans vivus per medium dissecaretur: *Dividite*, inquit, *infantem vivum in duas partes, & date dimidiam partem uni, & dimidiam partem alteri.* 3. *Reg.* 3. 24. Quem fulminantem gladium à milite sublevatum ubi vera Mater conspexit, tam cruentum spectaculum non sustinens, ex intimo corde commota ad Regem dixit: *Obsecro Domine, date illi infantem vivum, & nolite interficere eum.* Ex qua naturali compassione & materni CORDIS affectu (*commota quippe sunt viscera ejus super filio suo*) Rex evidentissimè agnovit, quòd hæc vera ac genuina hujus pueri mater esset: hinc præcepit, ut ille sine mora filius adhuc vivus traderetur: *Date huic infantem vivum, & non occidatur, hæc est enim mater ejus.*

Ecce mirabilem typum in fuga Christi JESU, & cæde SS. Innocentûm adimpletum. Per hunc filium, pro quo olim in judicio contendebant mulieres, Christum Infantulum intellige, verum, vivum & unicum DEI & MARIÆ Virginis Filium. Per primam litigiosam mulierem Synagogam subaudi, de Messia vivo & vero adhuc hodie litigantem. Per Judicium Salomonis Justitia divina adumbrata est, quæ decrevit, ut Filius DEI & MARIÆ pro peccatis suæ gentis, & totius mundi vivus divideretur. Et ecce adest in tempore truculentus miles ab Herode infando illo tyranno in hunc finem submissus, hic ferrum levat, inter alios SS. Innocentes etiam Dei filium occisurus, & per medium dissecturus. Hoc cùm audiit SS. Deipara, utpote vera Filii vivi Mater, ô quis dicet, quanto tunc dolore & com-

UVA. BHSC. BU 00661

commiseratione piissimum COR hujus SS. Matris fuerit repletum! cui proinde longè meliori jure illud poteris applicare: *Commota sunt quippe omnia viscera ejus super Filio suo.* Verùm infinita providentia Divina, sicut in cæteris omnibus, ita & in hoc gravissimo casu exquisitum invenit remedium: *Date*, inquiebat ad Justitiæ Divinæ ministros, *huic infantem vivum, hæc est enim Mater ejus:* Sic *Draco* ille (Herodem puta) qui *stetit ante mulierem, quæ erat paritura, & cùm peperisset, Filium ejus devoraret*, turpiter confusus, impietatis suæ per fœdissimam mortem justas pœnas dedit: *Et mulier fugit in solitudinem.* supra quod Cornelius à Lapide: *Nota*, inquit, *alludit ad fugam B. Virginis & Christi in Ægyptum &c.*

Apoc. 12, 4.

7. Pro dictorum coronide ad te me converto, O amabilissimum & divinissimum COR JEsu! Dic, obsecro, in quem finem permisisti tam cruentam Innocentium stragem? Quid peccarunt in te, O Princeps pacis, hi tenelli agniculi, quòd tam præmaturè tui causâ debuerint immolari? O mirabilem Divinæ Providentiæ abyssum! Respondet ad hoc Euthymius, quòd hi ipsi infantes, si adolevissent, inter tot occasiones & pericula sine dubio pejores effecti fuissent, & sic in Christi passione cum cæteris Judæis clamâssent: *Tolle, tolle, crucifige eum.* Itaque illis melius fuit, si maturè gloriosâ morte pro Christo occumberent, quàm si tandem in ætate profectiore æternùm damnarentur: hinc S. Augustinus: *Profanus hostis nunquam beatis parvulis tantùm prodesse potuisset obsequio, quantùm profuit odio.*

Euthym. supra hoc Evang.

S. Aug. serm. 3. de Innoc.

O mortales omnes! Videte & considerate, quàm mirabiliter ludat in humanis divina potentia rebus: *Sæpe*, inquit S. Hieronymus, *putatur pœna, & medicina est.* Ingemiscimus modò sub tanto tribulationum pondere, urgent nos bella, assiduæ exactiones ultimas exhauriunt vires, infestant nos morbi, rerum omnium inopia nos affligit; verbo: ubique luctus & tristis mortis imago. Verùm neque in his oportet animum despondere. Aspicite SS. COR JEsu, & in eo crucem semper plantatam, ad cujus unicum aspectum omnes miseriæ vestræ indulcorabuntur &c.

Vide figuram Exod. 15, 25.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XIII.

Consideratur SS. COR JESU ex omnibus obedientissimum, & in vita, tum privata, tum publica, ad labores promptissimum.



Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis. Luc. 2, 51.

1. PUlcherrimum obedientiæ Symbolum Agnus est, qui matris in via quacunque præeuntis vestigia solicitè sequi assolet, & ab ea, etiamsi ad mortem, & ad lanienam ducatur, minimè deflectit. Hinc aliqui pro lemmate agno inscripserunt: *Sequar, quò ierit.* Veneror hunc doctorum Virorum conceptum, sed antiquius est illud, quod enarro. *S. Joan. Damasc. orat. 3. de Imag. in fine.*

Cùm in primitiva Ecclesia furor gentilium in Christianos, præsertim Romæ, crudeliùs sæviret, non ausi sunt hi primi Christiani, quorum *Cor unum & anima una erat*, in oratoriis suis, vel potiùs *Actor. 4. 32.*

UVA. BHSC. BU 00661

in catacumbis ac cryptis subterraneis, in modum Ecclesiæ excavatis, effigiem Salvatoris nostri JEsu in crucem suffixi publico cultui exponere, ne recèns conversi Christiani, si hanc lamentabilem Redemptoris sui in patibulo morientis speciem contuerentur, in fide vacillarent, aut gentiles pluribus contumeliis & opprobriis eam afficerent; sed loco Christi Crucifixi in ara solùm Crucem quandam nudam, & sub ea agnum mansuetum, placidè inter instrumenta passionis recubantem collocârunt, cum inscripto lemmate, quod Ecclesia etiamnum in Missa Paschali usurpat:

Agnus redemit oves:
Christus innocens
Patri reconciliavit peccatores.

En pulcherrimum primorum Christianorum Symbolum! Liceat & mihi huic Divino Agno non tantùm Patri suo usque ad mortem Crucis se obsequiosissimè submittenti, sed etiam temporalibus parentibus suis in vita privata à duodecimo usque ad trigesimum ætatis annum ad omnem nutum obtemperantissimo illud S. Pauli pro lemmate inscribere:

Philipp. 2, 8.

Obediens usque ad mortem.

2. Mirabatur quondam Orbis universus, quòd sereniſſimus astrorum Princeps Sol se imperio unius hominis mortalis & belli Ducis Josue tam promptè submiserit, dum ad unicam illius vocem in medio cœli cursu stetit immobilis: *Stetit itaque Sol in medio cœli: obediente Domino voci hominis* O portentum!

Josue 10, 13.

Quantùm non oportet nos admirari, quòd diviniſſimum COR JEsu, utpote verus & amœniſſimus justitiæ Sol, ad tam vilia obsequia sese demiserit, & MARIÆ SS. Matri suæ, & Divo Josepho Fabro lignario in quotidianis obsequiis ac laboribus se promptissimum subjecerit? *Attende, quid fecerit magni consilii Angelus*, ait mellifluus Bernardus, *attende, quomodo consilium suum postposuit consilio, vel potiùs voluntati mulieris unius (Beatissimam Virginem loquor) & Fabri pauperis, ipse est Joseph &c.*

S. Bern. serm. in die Paschæ.

3. Mi-

UVA. BHSC. BU 00661

3. Miramur obedientiam *Petræ*, dum ad Mosis imperium largas subministravit aquas: *Maris*, dum ad contactum virgæ illius semitam universo populo in Palæstinam reseravit: *Jordanis*, dum ad præsentiam Arcæ fœderis conversus est retrorsum: *Ignis*, dum ad imperium Eliæ de cœlo descendit, & victimas holocausti devoravit: *Terræ*, dum ad mandatum Moysis se aperuit, & deglutivit Dathan, & operuit super congregationem Abiron. Hæc, inquam, & similia naturæ prodigia, & quòd omnia elementa voci hominis obediant, vehementer in admirationem nos rapiunt. Verumenimverò cur non obstupescimus, cur non sumè demiramur, quòd ipse Author naturæ DEus de DEO & Homo Christus imperio Matris pauperis, & Nutritii Patris, Fabri lignarii sese penitissimè subjecerit, illis in omnibus promptè, alacriter, sine excusatione aut murmuratione obtemperaverit, externam & internam præstando obedientiam, cujus unicum obediendi motivum erat charitas, & æterni Patris sui beneplacitum. O portentum omnium maximum!

Exod. 14. 16. *Josue* 3. 16. 3. *Reg.* 18. 38. *Num* 20. 10.

Imò non parentibus tantùm se SS. COR JEsu, ut perfectissimum obedientiæ exemplar, sed & in passione sceleratissimis Judicibus, cruentis carnificibus, ac quibuscumque atrocissimis pœnis & suppliciis, ipsíque neci Crucis se subdidit, &, quod nunquam satis admiraberis, etiamnum quotidie ad vocem unius Sacerdotis, etiam mali ac pessimi peccatoris, de novo solet obtemperare, dum ad verba consecratoria prolata sine mora in sacrificio Missæ sese promptissimè de cœlo demittit, atque se totum arbitrio Sacerdotis in sacra hostia permittit. O miram hujus Divinissimi CORDIS JEsu circa nos dignationem! Ubi nostra obedientia est in divinis perficiendis mandatis? in obtemperando Superioribus & parentibus loco Dei imperantibus? *Disce homo obedire*, ait S. Bernardus, *disce terra subdi, disce pulvis obtemperare; erubesce superbe cinis; DEus se humiliat, & tu te exaltas? DEus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis Authori?*

S. Bern. hom. sup. missus est.

4. *Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.* Adverte: quàm multa Evangelista paucis verbis complexus

Luc. 2, 51

UVA. BHSC. BU 00661

sit, dum de cæteris omnibus operibus heroicis, quæ SS. COR JEsu spatio octodecim annorum usque ad baptismum patraverat, altissimum tenet silentium, & hoc unum de adolescentia & juventute Christi commemorat: *Et erat subditus illis.* Quid ergo toto illo tempore fecit amabilissimum COR JEsu? Audi Salmeronem:

Salmer. tract. 47. tom. 3. *Multi igitur hoc desiderio sciendi, quid ab anno duodecimo ad trigesimum fecerit Christus, discruciantur, quibus hoc verbo Lucas satisfacit: Erat JEsus subditus illis. Orabat, jejunabat, silebat, pauperibus parentibus collaborabat. Porro JEsus cùm his parentibus esset subjectus, sine dubio in perferendis etiam una cum ipsis laboribus morigeram declarabat suam obedientiam &c.*

Consideremus paulisper hæc verba: *Et erat subditus illis.* Nota hîc prudens Lector: *Quis* erat subditus? En! infinitus DEus, Dominus universorum, fabricator mundi, cujus imperio subjecta sunt omnia, hic se infra seipsum demittit, séque promptissimum subjicit creaturis. *Quibus?* Pauperi Matri Virgini, & opifici egeno, qui loco patris ipsi fuerat, his sese Creator omnium humiliter submittit, illorum mandata sedulò exequitur, & nutus eorum antevertit,

Isa. 52, 6. clamans diebus ac noctibus: *Ecce, adsum!* Et *cur?* ut tibi exemplum per hanc vitam activam præberet otii vitandi, humilitatem sectandi, & pro cœlo ac salute animarum nulli labori parcendi,

1. Cor. 4, 12. quod exemplum sibi proponens Gentium Doctor dixit: *Laboramus operantes manibus nostris &c.*

O Mortales omnes, videte, & suspicite magnum illum cœli & terræ Architectum, quomodo in domuncula Nazarethana (nunc Lauretana) laboret, quomodo in officina fabrili assulas colligat, domum everrat, ligna componat, humeris suis afferat, securi scindat, & serram cum Patre nutritio reciprocet, O beatam terram, quæ toties de fronte JEsu laborantis cadentem sudorem excepisti! O nos desides! quid hactenus pro Deo, cœlo, & publicâ animarum salute laboravimus? Notent hoc sibi illi omnes, qui pinguibus fruuntur beneficiis, & laborem aliis relinquunt, audi Apostolum:

2. Thess. 3, 8. *Neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore & fati-*

UVA. BHSC. BU 00661

fatigatione, nocte & die operantes. Et paulò pòst addit: *Si quis non vult operari, nec manducet.* Audis? Verùm pergamus ulteriùs.

5. Adam generis humani Author, Princeps, ac cæterorum hominum parens, postquam hanc à Deo sententiam accepit, ut terram spinis & tribulis refertam excoleret, & in sudore, miseriis, multísque laboribus panem ac victum sibi compararet, mox obedientissimum se divinis mandatis exhibuit, dum manum ad ligonem applicavit, & in omni patientia, fame & siti, frigore & æstu humum aravit, occavit, seminavit, & messuit: *In sudore vultûs tui vescêris pane.* Gen. 3, 17.

Verùm alium ac longè innocentioris vitæ Adamum tibi monstro, anima Christiana, qui per veterem juxta S. Paulum non obscurè præsignatus fuit: *Qui est forma futuri*, hoc est, typus Christi. Rom. 5, 14. En! quomodo tui causâ & amore hoc obedientissimum COR JEsu in officina fabrili defatigetur! En! quomodo innocentissimus hic Adam in sudore & labore, in fame & siti, in curis & ærumnis pane suo vescatur. Vide & considera, quomodo pariter ligonem (crucis typum) apprehendat, ut terram per peccatum maledictam à spinis & tribulis noxarum purget. O SS. COR Redemptoris mei toties pro me laboribus fractum & lassatum! quàm bene de te vaticinatus est Regius ille Vates: *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea.* Psal. 87, 16. Supra quod Bellovacensis: *Ecce*, inquit, *pius Dominus laborare non desistit usque ad diem mortis.* Unde in medio bovis & asini in lucem nasci voluit, tanquam inter animalia omnium laboriosissima, ut ostenderet, quàm impensè diligeret laborem ac laborantes: & ideo posthabitis terræ Principibus nativitatem suam priùs pastoribus, rusticis, & agricolis annuntiari voluit, quia hi vigiliis & laboribus, illi econtra otio, stratísque mollibus assueti & intenti erant.

6. Et hæc causa est, ait devotissimus Gerson, quòd SS. COR JEsu non virum nobilem, Principem, orbísque monarcham, sed pauperem artificem ac fabrum lignarium in socium laborum & in patrem elegerit, ut semper ante oculos in officina crucem ligneam & alia passiones suæ futuræ instrumenta haberet: *Quia ex ligno,*

UVA. BHSC. BU 00661

Gerson. de nat. Mar. consid. 1. sunt verba Gersonis, *natura humana est perdita, ideo convenebat, ut Pater lignarius diceretur, Pater recuperationis & restaurationis, & sic faber lignarius Joseph esset Deo conformior, qui est omnium fabricator.*

Imò verisimile est, Christum etiam post mortem S. Josephi adhuc aliquo tempore per se solum artem fabrilem exercuisse, ut suo se labore, & dulcissimam Matrem suam aleret. S. Justin. M. lib. de relig. Christ. *Ipse JEsus*, ait S. Justinus Martyr, *faber putabatur, fabrilia namque, cùm in hominibus esset, faciebat opera, & juga conficiens, & carpenta, quibus nos in cœlum eveheret.* Unde passim apud vulgus, & conciMatth. 13. 55. ves Nazarethanos audiebatur illud ex contemptu objectum: *Nonne hic est fabri filius? nonne Mater ejus dicitur Maria?*

O anima Christiana, perpende ex hoc iterum obedientissimum juxta ac laboriosum COR JEsu, ecce quàm bene omnia ordinaverit in finem, dum priùs in vita privata, antequam se mundo manifestaret, artificium fabri lignarii exercere voluit, in quo, sicut Noë sibi arcam fabricatus est, per quam salvaret genus humanum in diluvio, sic SS. COR JEsu sibi tunc crucem in arcam selegit, per quam genus humanum denuo à peccati diluvio, & ab æternæ damnationis barathro servaret. En quàm rectè illi quadret hoc noPsal. 73. 26. men fabri, *qui fabricatus est auroram & solem!*

O Bone JEsu! quis hæc audiens, & attentiori mente considerans, non summè miretur sacratissimi CORDIS tui obedientiam, patientiam, humilitatem? Potuisses in cœlo & in terra supremo frui honore, & immensis affluere deliciis; & ecce meæ salutis causâ factus es obediens usque ad mortem, elegisti opprobrium pro honore, egestatem pro opibus, ærumnas pro voluptatibus, dolores pro deliciis, ipsámque ignominiosissimam mortem, & quidem mortem crucis; & ut assiduam crucis memoriam per 30. annos ante oculos haberes, fabrum lignarium pro Nutritio Patre assumpsisti? O immensa charitas, ô bonitas infinita divinissimi CORDIS tui! Confundor ô mi JESU! quando in contrarium Cor meum introspicio, quam inobediens & refractarium hactenus fuerit divinis man-

UVA. BHSC. BU 00661

mandatis & inspirationibus tuis ac superiorum jussis. Detestor vecordiam meam ac rebellem voluntatem, veniámque erroris admissi humiliter flagito, & per merita SS. & obedientissimi CORDIS tui rogo, ut Cor mihi largiri digneris sanctis mandatis tuis semper in omnibus obedientissimum. Ita ô mi JESU!

7. Recordor hîc, quàm severam obedientiam suis Ducibus præstare debeant milites. De Scipione Majore recenset Plutarchus, quòd hocce laudis suis militibus attribuerit, nullum in exercitu suo repertum iri, qui non ad unicum verbum ac nutum suum de altissima turri promptè se in terram præcipitaret, aut in profundum maris se demitteret.

Verus Princeps, ut suorum militum obedientiam probaret, unum de celsa turri, in qua excubias solebant agere, ad se in terra consistens evocavit, mandans, ut citò per aërem ad se descenderet, qui nihil cunctatus mox se præcipitem in terram dedit, confractísque membris ante pedes Ducis expiravit.

Laudat scriptura obedientiam militum, qui quondam sub Duce Achimelech stipendia meruerunt, qui cùm vidissent, quòd ipse belli Dux arrepta securi arboris ramum præcidisset, & impositum humeris ad expugnandum Sichimorum præsidium portâsset, mox omnes tam illustre Ducis sui exemplum secuti sunt: *Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes, sequebantur ducem, qui circumdantes præsidium succenderunt.* *Jud. 9. 49.*

En Dux ac Salvator tuus cum ligone crucis & instrumentis passionis, quæ arma hactenus semper in SS. CORDE suo gestavit, nunc publicè non tantùm in officina S. Josephi, sed etiam in aliis construendis ædibus ac mansionibus tibi præcedit, & in summa obedientia, sudoréque vultûs sui pane vescitur. Et tu delicate miles sine obedientia, sine labore, sine onere, sine difficultate audeas ad cœlestem gloriam aspirare? qui fabricatus est auroram & solem, ille tantus ac talis triginta plurésque annos in summo labore explevit, & tu tempus, quod ad salvandam animam tuam miseratio Conditoris tibi indulget, otiando, jocando, ludendo, potando, & ne dicam,

UVA. BHSC. BU 00661

cam, aliquid aliud agendo cõsumis? O ignavum pecus! de quo dici potest, quod ad Nabuchodonosor Regem quondam dictum est, cùm Cor ejus in cor bestiæ mutaretur: *Cor ejus ab humano commutetur, & cor feræ detur ei.* Evigila tandem, & pensa, quòd nulla nux sine duro cortice, nulla margarita nisi in concha, nulla rosa nisi cum spina: aurum è mineris summo labore extrahitur, & granum frumenti flagello excutitur &c. Et tu tepide & inobediens Christiane (si tamen hoc nomine dignus es) stas otiosus & vix pedem pro cœlo vis levare, salutis tuæ immemor, cùm natus sis ad laborem? *Via cœlorum patet*, ait S. Thomas de Villanova, *janua cœli aperta est, quid ergò statis? tanta vos gloria manet, & statis? tantum vobis præmium repositum est, & hæretis?*

Dan. 4, 14.

8. Discite igitur, quicunque tandem estis à SS. CORDE JEsu obedire & laborare: *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis.* Certè Sanctus Augustinus observat, & cum eo Cornelius à Lapide, DEum nunquam graviùs à populo Hebraico fuisse offensum & exacerbatum, quàm cùm in Corde suo superioribus suis loco Dei imperantibus inobedientes extiterunt, aut contra illorum mandata vel leviter murmurârunt.

Hebr. 13, 17.

Israëlitas illos consulite Moysi inobedientes, & obloquentes, & hanc ob causam ab ignitis serpentibus punitos. Mariam Moysis sororem interrogate, ob levem inobedientiam & murmur, abominabili leprâ castigatam. Acham considerate ob inobedientiam, quam erga Josue exercuit, lapidibus obrutum. Nunquid Saul, quia DEO in Corde suo non obtemperavit, à regno rejectus, & æternùm ab illo reprobatus est? Jonas denique, quia refugiebat DEO obedire, in profundum maris projectus est. Videte, obsecro, quantum SS. CORDI JEsu displiceat Cor inobediens, & vel leviter remurmurans! O charæ animæ! tam immenso Sanguinis Divini pretio redemptæ, aperite oculos: *En propono in conspectu vestro hodie benedictionem & maledictionem: benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri: maledictionem si non obedieritis.* O chara, ô bona obedientia! esto obediens, & salutis tuæ securus es.

Num. 21, 6.
Num. 12, 10.
Josue. 7, 25.
1. *Reg.* 15, 11.
Jonæ 1, 15.
Deut. 11, 26.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XIV.

SS. COR JESU licèt mitissimum, honoris tamen divini, in templo erga Patrem promovendi, zelosissimum fuit.



Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. Joan. 2, 16.

1. OBstupesco, & extra me rapior, quoties considero ingentem illum zelum, quo divinissimum COR JEsu exarsit, dum assumpto flagello solus ingentem negotiantium turbam cum columbis, ovibus, & bobus è Templo Hierosolymitano ejecit, & numulariorum mensas, & æs non tantùm subvertit, sed & cuncta eorum mercimonia in momento disturbavit. Ubi adverte, quòd juxta Aristotelem ira sit *succensio sanguinis circa Cor*, ex qua succensione & ardore etiam facies mitissimi JEsu adinstar fulguris usque adeo coruscare cœpit, ut ad ejus conspectum nullus Judæorum & profanatorum domûs Dei auderet mussitare,

UVA. BHSC. BU 00661

sed omnes velut tacti fulmine, relictis omnibus, suas latebras quærerent, ac sese à facie irati Numinis absconderent. Cujus SS. CORDIS JEsu insoliti ardoris ac zeli non sine admiratione etiam post resurrectionem gloriosam Discipuli ejus recordati sunt, dum inter se loquentes illud Regii Psaltis vaticinium in testimonium adducebant: *Zelus domûs tuæ comedit me.*

Joan. 2, 17.

Ps. 68, 10.

Sed dic, obsecro, benignissime JESU! cur adeò exarsit COR tuum? & cur ipsemet vindictam de ejusmodi sacrilegis templi profanatoribus sumere non abhorruisti? An non hoc contra dignitatem & respectum tuæ Divinæ Majestatis fuit? & quare non Angelos delegâsti, qui hos impios negotiatores de templo ejicerent, eósque pro merito castigarent? Olim Luciferum primum prævaricatorem per Michaëlem militiæ cœlestis Archistrategum è cœlo in infernum præcipitâsti. Adamum per Cherubinum, igneo atque versatili gladio instructum, de paradiso ejecisti. Pentapolim, primogenita Ægyptiorum, & Pharaonem pariter per Angelos subvertisti. Davidem peccantem, & universum exercitum Sennacherib Regis unâ nocte pari ratione per Angelum castigâsti. Et cur non simili modo hîc Angelum constituisti, qui memoratos domûs Dei profanatores mulctaret, & in fugam, imò & in infernum, si illum sint promeriti, dispelleret?

S. Vinc. Ferr. ser. 3. de Incarnat.

Rationem assignat S. Vincentius Ferrerius: *Hinc apparet*, inquit, *quantùm displiceat ei, qui tangit Ecclesiam suam*, dum non per Angelum sacrilegos transgressores punire, sed ipse DEUS & HOMO Christus proprias manus adhibere voluit, ut honorem Patris sui defenderet, & sic luculentissimum exemplum omnibus mortalibus ac præsertim Christianis præberet, quanto in honore habere debeant loca sacra & templa, ubi DEus ipse cum Angelorum curia habitare solet. *Neque enim tonstrina*, sunt verba S. Chrysostomi, *aut unguentaria taberna Ecclesia est, aut officina forensis, sed locus Angelorum, regia cœli, cœlum ipsum, &c.*

S. Chrys. serm. de Euchar.

2. Pro Emblemate Arcam Dei considerate, quâ nihil sanctius olim in lege habebant Judæi, quámque profani ne quidem manibus

UVA. BHSC. BU 00661

bus tangere, vel prope illam stare, vel etiam solùm oculis curiosiùs intueri audebant. Et hanc ob causam Bethsamitæ subitaneâ morte à Deo puniti sunt, quòd curiosiùs Arcam Domini inspexerint: *Percussit autem de viris Bethsamitibus, eò quòd vidissent Arcam Domini: & percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis.* Hinc lemma: 1. *Reg.* 6, 19.

Procul este profani.

Vel, si magis placeat illud à Verbis Christi mutuatum:

Noli tangere.

Dum Sancta sanctè sunt tractanda, sed Templum Domini sanctum est, Dei structura est, Dei ædificatio est: *Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum DEus.* 1. *Cor.* 3, 17.

3. De zelosissimo Corde Phinees filii Eleazari recensent Sacræ Paginæ, quàm ingenti divinum honorem tuendi zelo fuerit incensum, dum Zambri hominem lascivum cum Madianitide uno ictu confoderit, quod cor zelosum adeò Deo placuit, ut ei in perpetuum dignitatem sacerdotalem consignaret: *Dixitque Dominus ad Moysen, Phinees filius Eleazari, filii Aaron Sacerdotis avertit iram meam à filiis Israël, quia zelo meo commotus est.* Similem figuram habes de Mathathia legem Dei zelante, &c. *Num.* 25, 10. 1. *Mach.* 2, 24.

Plus hîc in templo, quàm Phinees in campo. Considera hunc Dei Filium, quomodo flagellum arripiat, & impudentes prævaricatores, templúmque Patris sui protervè profanantes non invadat tantùm, sed & pluribus tergo inflictis ictibus per portam templi eliminet. Vigebant tunc, teste vel ipso Josepho, Hierosolymis quàmplurima vitia; Palatia plena erant injustitiis, officinæ fraudibus, ædes invidiis, odiis, detractionibus, tabernæ ebrietatibus, lupanaria spurcitiis, &c. Et tamen mitissimum COR JEsu ob hæc scelera non tanto æstuabat zelo, ut flagellum apprehenderet, & cives ex urbe eliminaret. Sed ubi vidit Domum Dei per negotiantes profanari, ipse manus adhibere statuit, ut cognoscat orbis universus, quantùm Divinissimo CORDI JEsu displiceant, qui cultum Dei dehonorant, vilipendunt, interturbant.

UVA. BHSC. BU 00661

Et hoc est, quod Salomoni quondam Deus, cùm illi secundò
3. *Reg.* 9, 3. dignatus est apparere, gravibus & patheticis verbis insinuavit: *Sanctificavi*, inquit, *domum hanc, quam ædificásti, ut ponerem Nomen meum ibi in sempiternum, & erunt oculi mei, & Cor meum ibi cunctis diebus.* Observa, quisquis es, quàm attenti sint oculi Dei in templo, quàm lustrent, quàm videant omnia, ut tandem adducant ea in judicium, & quàm zelosum sit insuper SS. COR JEsu, de quo
Ps. 118, 139. Vates Regius: *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* O utinam & Cor nostrum, O Sacerdotes Dei! simili vero ac discreto zelo tabesceret, ut nihil aliud, quàm honorem Divinæ Majestatis, præsertim in templo, & salutem animarum ubique locorum quæreret. Audite simile Cor zelosum: *Tristi-*
Rom. 9, 3. *tia*, inquit Apostolus, *mihi magna est, & continuus dolor cordi meo; optabam enim ego ipse anathema à esse Christo pro fratribus meis.*

4. De Arca Domini refert ulteriùs Sacra Scriptura, quòd non potuerit unà secum tolerare impurum Dagon, quod idolum à se longè projecit, confregit, & eliminavit: *Invenerunt Dagon jacentem*
1. *Reg.* 5, 4. *super faciem suam in terra.* Collige ex hoc, quantùm ille Divinæ Majestati displiceat, qui in templũ DEI peccat. *Mensa mysteriis instructa est*, interponit hîc iterum Os Aureum, *& Agnus DEI pro te immolatur: Seraphin adstant, . . . Et non erubescis, non revereris, non*
S. Chrys. tom. 3. serm. de Euchar. & tom. 3. hom. 24. *confunderis, neque DEum tibi propitium facis? Adest Rex, exercitũ recenset, tu sub illius oculis stas ridens, & risum despicis?* Nonne vides eos, qui terrestri Regi assistunt, quàm sint attenti in ejus obsequio, coram quo stant imobiles, parati ad omnia, non loquentes, aut oculos huc vel illuc mittentes; quantò magis oportet, ut nos in templo sursum Corda habeamus, & Regi sæculorum immortali & invisibili, sed tamen per cancellos in SS. Eucharistia omnes nostros actus intuenti, cum omni timore & animi attentione inserviamus?

5. Cùm Abraham Patriarcharum decus singulare, summo quondam DEO, vitæ necisque Domino, proprium filium in sacrificium oblaturus, montem Moria conscenderet, priùs duobus servis suis, hactenus in itinere per triduum se comitantibus, seriò præcepit, ut

inte-

UVA. BHSC. BV 00661

interim cum aſino ad radices montis expectarent, nec ulteriùs aſcenderent, donec ſacrificio completo ipſe ad eos rurſus eſſet deſcenſurus: *Die autem tertio, elevatis oculis, vidit locum procul, dixítque ad pueros ſuos: Expectate hîc cum aſino, ego autem & puer illuc uſque properantes, poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Quid agis, pientiſſime Pater? cur non permiſiſti, ut aſinus hactenus ligna holocauſti ferens, & ſervi tui pariter tecum hunc montem conſcenderent? *Gen. 22, 4.*

Relinquamus, & nos pauliſper hos ſervos Abrahæ cum aſino ſuo inferiùs expectantes, interim videamus, quo ritu Abraham Iſaacum filium ſuum DEO ſtatuerit immolare: *Cúmque alligâſſet*, ait Scriptura, *Iſaac filium ſuum, poſuit eum in altare ſuper ſtruem lignorum.* Et cur alligavit illum, qui ſe ipſum voluntariè DEO in Sacrificium obtulit? Reſpondet objectioni Cajetanus, ne Iſaac in præſentia Dei, & in ipſo actu jugulationis incompoſitum aliquem motum, aut aliam indecentiam Sacrificio non convenientem committeret. Et hæc pariter cauſa fuit, quòd Abraham durante oratione & ſacrificio ſervos & aſinum ad montis radices reliquerit, ne ſibi in hoc ſummo negotio impedimento eſſent, & COR à devotione diſtraherent, neque decebat, aſinum in illo loco ſancto eſſe præſentem, ubi DEus ipſe & innumeri Angeli aderant, hoc ſacrificium (Chriſti JEſu in monte Calvariæ ſuper ſtruem lignorum SS. Crucis olim immolandi pulcherrimum typum) admirabundi ſpectantes, proinde aſinum procul juſſit faceſſere: *Expectate hîc cum aſino.* *Gen. 22, 9.* *Cajet. in hunc locum.*

Adverte: Jam non ampliùs in templo DEO O. M. offertur ſanguis hircorum & taurorum, ovium & arietum, caprarum & columbarum, ſed ipſum SS. COR JEſu quotidie per manus Sacerdotum DEO in gratiſſimum Sacrificium in altari litatur. O quanta hîc requiritur reverentia in præſentia Dei! quanta puritas & attentio CORDIS humani tum in ſacerdote offerente, tum in Chriſtiano præſente? Apage igitur, quisquis es, cum aſino, hoc eſt, cum omnibus curis terrenis, diſtractionibus, & negotiis, & dic cum Abrahamo, quoties templum intrare ſoles: *Expectate hîc cum aſino, donec*

UVA. BHSC. BU 00661

vadam & adorem, dein revertar ad vos: porro unum est modò necessarium, ut DEO meo fideliter in templo & ex toto Corde inserviam, qui Cor, & nil aliud à me in Sacrificium petit: *Sacrifica mihi primogenitum tuum,* hoc est, Cor tuum.

6. Si Moyses quondam in monte Horeb calceamenta sua debuit
Exod. 3, 6. exuere, priusquam ad DEum in rubo præsentem accederet: *Ne appropies huc, solve calceamentum de pedibus tuis.* Quantò magis cuncti terreni & animales affectus, qui per calceamenta ex corio animalium facta indicantur, sunt exuendi, dum in Templum ad
Ps. 29, 7. ipsum DEum adorandum nos conferimus; an non *domum Dei decet sanctitudo?*

Si Joseph de obscuro carcere post biennium captivitatis suæ eductus, priùs lotus, tonsus & mundissima veste indutus est, antequam
Gen. 41, 14. in conspectu Regis Pharaonis & Magnatum appareret: *Protinus ad Regis imperium eductum de carcere Joseph totonderunt, ac veste mutata obtulerunt ei.* Quantò magis oportet nos habere COR purum ac conscientiam mundam, si in conspectu summi Dei & in aula sancta Regis cœlestis preces ac vota nostra desideramus offer-
Eccli. 18, 23. re? *Ante orationem,* inquit Siracides, *præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat DEum.* Nec enim sufficit in templo orare cor nostrum, prout optimè observat S. Bernardus, velut molendinum vacuum, cui frumentum non est appositum, quod molat ac
S. Chrysost. in Ps. 7. terat, sed oportet bene orare, & cor purum ad DEum levare: *Non solùm oremus,* ait S. Chrysostomus, *sed etiam oremus, ut exaudiamur.*

Si David Rex, antequam in Tabernaculum Dei intraret, ut ibidem preces ac vota sua DEO persolveret, priùs manus lavare con-
Ps. 25, 6. suevit: *Lavabo inter innocentes manus meas.* Si in hunc finem sapientissimus Salomon in magnificentissimo templo suo mare fusile, seu concham ingentem ex ære fusam constituit, ubi priùs Sa-
3. Reg. 7, 23. cerdotes ministrantes manus ac pedes abluerent: *Fecit quoque Salomon mare fusile.* Si & ipsi Gentiles pagani & Turcæ etiamnum piè orâsse ac sacrificâsse opinantur, si priùs se studiosè lavent. Quantò

UVA. BHSC. BU 00661

tò magis Christiani excitari debent ad interiorem CORDIS emundationem, si ad templum se se conferant, verum ac vivum DEum ibi adoraturi. Hinc Jeremias ait: *Lava à malitia Cor tuum Jerusalem, ut salva fias: usque quo in te morabuntur cogitationes noxiæ?* *Jerem. 4, 14.*

7. De Salomone perhibent Divinæ paginæ, quòd Aulicis hoc consilium suggesserit, ut, si fortè assiderent regiæ mensæ, cultrum gutturi suo apponerent, ne videlicet in præsentia Regis aliquid indecori agerent, aut quid siniştri loquerentur, ex quo illius gratiam perderent: *Quando sederis, ut comedas cum Principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo.* Quantò magis oportet te esse circumspectum, cum te campana ad templum vocat, ut ibidem non tantùm convivio divino & Angelorum mensæ interśis, sed ut etiam cum Sacerdote immaculatum illud ac diviniśimum COR JEsu æterno Patri in condignam satisfactionem pro peccatis tuis offeras? Hîc statue cultrum in gutture tuo, ne garrias, ne rideas, ne mente vageris, circumspicias, aut quid aliud indecori agas: *Hîc COR*, ait S. Augustinus, *debet miles Christi ante omnia solicitâ custodiâ servare.* Audis? *Prov. 23, 2.* *S. Aug. serm. 248. de temp.*

Sed O tempora! O mores! *Quid est* (ita etiamnum hoc tempore lamentatur Jeremias Propheta) *quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* MARIA Virgo & Mater cum S. Josepho JEsum per triduum amissum tandem summo animi cum gaudio in templo invenit. Heu! quot sunt modò Christiani, qui per scelera sua de novo in templo perdunt JEsum? Publicanus ob COR contritum & humiliatum à clementiśimo Numine in templo veniam impetravit: *Descendit hic justificatus in domum suam.* O quot sunt, qui in templo non vitam emendant, sed potiùs culpam & pœnam sibi adaugent? Petrus & Joannes ascenderunt in templum ad horam orationis nonam, ut ibidem humiles ad DEum preces funderent. Nunc multi ascendunt in templum, ut ibidem videant & videantur, garriant & confabulentur, rideant & detrahant. *Stas ridens?* inquit citatus S. Chrysostomus, *etenim non esset mirum, si fulmen demitteretur, non solùm in illos, sed etiam in nos: digna enim fulmine sunt hæc.* *Luc. 18, 14.* *Actor. 3, 1.* *S. Chrysost. hom. 24. in act.*

Pau-

UVA. BHSC. BU 00661

Luc. 21, 1. Paupercula illa vidua in templum venit, ut DEO Cor suum, omnémque substantiam offerret: hinc duo minuta misit in Gazophylacium, & sic ipsâ Veritate attestante, plus omnibus misit. Nunc multi impudentes veniunt in templum, non ut Cor DEO suo præbeant (cor enim eorum longè ab illo est) sed ut dorsum altari ostendant, & vultum ac animum ad meretricem convertant: *O horrendam abominationem,* exclamat S. Chrysostomus, *in templo oculos non servare, sed ad mulierem convertere.*

S. Chrysost. loco cit.

Claudus ille ab utero matris suæ in templum bajulari voluit, ut ibidem non tam eleemosynam ad portam speciosam colligeret, quàm etiam salutem corporis & animi à Deo reciperet, quod utrumque tandem per SS. Nomen JESU, mediante S. Petro, obtinuit: *In nomine JEsu Christi Nazareni surge, & ambula.* Heu! nunc multi æternam suam salutem in templo perdunt, dum non verentur, sacrilego corde & animo ad pœnitentiæ tribunal, sed ad ipsam quoque diviniss. mensam pollutâ conscientiâ accedere? O miseri! siccine domum Dei facitis *speluncam latronum?*

Actor. 3, 6.

8. Cæterùm mirantur nonnulli, quare infinitus DEus, cum Unigenitus Filius ejus ex Virgine Matre in tugurio Bethlemico nasceretur, hanc admirabilem Christi nativitatem inter omnes mortales primò pastoribus voluerit insinuare, cur non Regibus aut terræ Principibus? aut cur non aliquem Angelum Romam ad Augustum tunc imperii clavum tenentem, vel ad Herodem, aut alios mundi monarchas ablegavit, qui de hac gratiosa Salvatoris Nativitate illis nuntium ferret? *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator?* Respondet ad hanc quæstionem Eucherius: *Ea causa esse videtur, ut potiùs pastoribus hæc verba Angelus nuntiaret, ne quasi incauti stabulum intrarent, in quo Puer positus erat.* Erat enim hæc spelunca ob præsentiam JEsu Filii Dei tunc in Ecclesiam consecrata, ubi enim Papa ibi Roma est, & ubi SS. COR JEsu, ibi templum est, in quo SS. Trinitas conquiescit, & in quo habitare solet omnis plenitudo Spiritûs Sancti, oportuit ergo pastores ob præsentem DEum cautè & cum animi ac corporis compositione hanc novam Ecclesiam Dei intrare, ne illam fortè incompositi profanarent, quod & Sancti Magi fecerunt: *Et intrantes domum, invenerunt Puerum cum Maria Matre ejus & procidentes adoraverunt eum.* Ecce exemplum hîc & forma tibi præscribitur, qualiter templum intrare, & quomodo ibidem in præsentia ipsius Supremi Numinis te gerere debeas. Offer preces tuas in unione illius intentionis, qua SS. COR JEsu in his terris ad Patrem oravit. Talis *oratio humiliantis se nubes penetrabit, & non discedet, donec Altissimus aspiciat &c.*

Luc. 2, 10.

Eucherius hom. de nat. Christ.

Matth. 2, 11.

Eccli. 25, 21.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XV.

SS. ac diviniſſimum COR JEſu etiam cùm iratum nobis videtur, miſericordiæ tamen ſuæ recordabitur.



Benedictum eſt Nomen tuum DEUS, qui, cùm iratus fueris, miſericordiam facies. Tob. 3, 13.

1. QUis non obſtupeſcat, Anima Chriſtiana, in ſanctiſſ. ac diviniſſimo CORDE JEſu mirabilem illum procedendi modum, dum ſimul & iraſcitur, & miſeretur? Quid eſt ira? *Eſt ſuccenſio ſanguinis circa cor*, ait Ariſtoteles: *Ira eſt ebullitio ſanguinis in corde*, ait S. Joannes Damaſcenus, *hinc exiſtens, quod ad ſuperiores partes exhalet, aut certè perturbetur: unde & bilis & indignatio dicitur.* Econtra quid eſt miſericordia? ℣. S. Thomas Aquinas: *Dicitur miſericordia ex eo, quòd aliquis habet miſerum cor ſuper miſeria alterius.* Et S. Antiſtes Hipponenſis:

S. Joan. Dam. lib. 2. de fide orth. c. 16 S. Thom. 2. 2. q. 30. art. 1. in Corp.

UVA. BHSC. BU 00661

S. Aug. lib. 9. de Civ. Dei. cap. 5. *Quid est misericordia, nisi alienæ miseriæ quædam in corde compassio, quâ utique, si possimus, subvenire compellimur?* Et ecce mirandum agendi modum SS. CORDIS JEsu dum nunc peccatoribus justè irascitur, & mox iterum motos iræ fluctus in summam componit misericordiæ tranquillitatem! O stupendam metamorphosin!

Luculentum de hac veritate habemus in SS. Paginis exemplum, dum Hierosolymam quondam & flagellavit & deploravit; Flagellavit, inquam: *Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo.* Econtra prævidens alio tempore ejusdem civitatis futuras miserias, ex intimo Corde illi condolens, in amatas lacrymas solutus est: *Videns civitatem flevit super illam.* O mirabile COR JESU! flagellat, & deplorat?

Joan. 2, 15.

Luc. 19, 41.

Observat hîc S. Matthæus, postquam hoc divinissimum COR JEsu severitatem aliquam & justissimam iram in vendentes, & ementes in templo ostendisset, quòd mox *accesserint ad eum cæci & claudi in templo, & sanaverit eos,* & pueri, licèt Christum flagello adhuc armatum viderent, pariter cum gaudio ad eum accurrerint, læta voce decantantes: *Hosanna Filio David!* O res stupenda! quid agis, O mi JEsu! quòd severitatem & benignitatem simul in corde conjungas!

Matth. 21, 14.

2. Videtur hîc mihi amabilissimum COR JEsu nunc iratum, nunc subitò iterum misericors, ut nubes quædam atra, tenebrosa, stridentibus horrida nimbis, fulgetris & fulminibus plena, quæ regioni proximum minatur interitum. Et ecce! dum omnia jam videntur, ruente æthere, in antiquum abitura chaos, subitò per flammātes Solis radios tota imminens tempestas dissipatur, & nubes in fæcundas resolvitur pluvias, quæ exustos calore agros, sicca prata, & languentes hortos mirè recreant, atque fœcundant; unde pro lemmate simili obscuræ nubi illud Regii Vatis non incongruè inscribere poteris:

Ps. 134, 7.

Fulgura in pluviam fecit.

Talem, inquam, nubem SS. COR JEsu se hactenus Diœcesi nostræ Augustanæ, ac præsertim ejusdem Metropoli exhibuit, dum ob demerita nostra meritò regioni & urbi per diversas plagas, bella, obsidiones, cruentos conflictus, annonæ caritatem, morbos, &c. ingentem

UVA. BHSC. BU 00661

tem quidem incussit terrorem. Sed DEO O. M. sint laudes, & grates immortales, postquam omnis populus Orthodoxus ad idem SS. COR JEsu, tanquam ad ultimum calamitatum nostrarum asylum, & securissimum omnium afflictorum Cordium solatium, humiliter confugit. Ecce! insperato nobis lux de cœlo oriri visa est, dum urbs & regio ab hostili incursu misericorditer liberata, nunc laudes & misericordias hujus divinissimi CORDIS JEsu grata mente decantat: *Fulgura*, inquit le Blanc, *in pluviam facit JEsus, cùm minas vertit in benignitatem & beneficentiam suam, atque in lacrymas nostras*, sic scilicet hoc sacratissimum COR *non delectatur in perditionibus, quia post tempestatem tranquillum facit.* *Le Blanc. in ps. 134* *Tob. 3, 22.*

3. Videamus modò, quid Davidi Regi ferè in simili casu acciderit. Peccaverat populus in Israël, dum cum Seba contra Davidem conspiravit: peccavit & Rex David, dum ex vanitate & præsumptione populum jussit numerari. Hinc iratus Deus trium pœnarum optionem illi obtulit, famis scilicet, belli, & pestis, qui tamen judicans tolerabilius esse in manus Dei, quàm hominum incidere, pestem elegit: *Levánsque David oculos suos, vidit Angelum Domini stantem inter cœlum & terram, & evaginatum gladium in manu ejus.* Væ regioni! væ omni populo! quis impedire poterit hunc gladium Domini, ut non devoret omnem carnem: *Et gladius meus devorabit carnes?* Quid ergo consilii? quid remedii in re tam ardua, ac tanti momenti? Audi Scripturam: *Et ceciderunt tam ipse* (hoc est David) *quàm majores natu vestiti ciliciis, proni in terram.* Et quid sequitur? *Et convertit gladium suum in vaginam.* O misericors ira SS. CORDIS JEsu jam tunc in umbra & figura communi populorum calamitati intimè condolentis, dum mox pestem trium dierum in sex tantùm horas mutavit: *Et cessèt interfectio.* O clemens ira! *O ira misericors*, exclamat Berengosius, *O salubris indignatio! quæ sic irascitur, ut subveniat, sic minatur, ut parcat, sic aufert, ut restituat, sic tradit, ut eripiat, sic destruit, ut muniat, sic abjicit, ut recipiat.* *1. Par. 21, 16.* *Deut. 32, 42.* *2. Reg. 24, 21.* *Bereng. serm. in Nat. Mart.*

Et quid dico? considerate, quæso, modernum Europæ nostræ

UVA. BHSC. BU 00661

statum, & quid aliud hactenus ab initio hujus currentis sæculi spectavimus, quàm

Regnorum clades, & tristia funera Regum,
Bella, famem pestes, morbos, subitósque tumultus,
Et clandestinis surgentia fraudibus arma? &c.

S. Greg. Mag. Verùm confidite filii! etiam in his publicis calamitatibus infinita adhuc relucet SS. CORDIS JEsu miseratio, quia *mala illa, quæ nos premunt, ad Deum ire compellunt.* O quot miselli sub hæc calamitosa tempora corde contrito & humiliato ad SS. ac divinissimum COR JEsu suspirârunt, atque ex toto animo ad Dominum Deum suum cum filio prodigo reversi sunt, qui aliàs in deliciis & voluptatibus æternùm petiissent! submittamus ergo nos divinæ voluntati hujus SS. CORDIS, quod solùm ex malo scit eruere bonum. Arcam Noëmicam nonnisi feri fluctus Oceani in summos Armeniæ montes extulerunt, unde lemma: *Surgit surgentibus undis.* Aromata si non conterantur, vel supra ignem ponantur, fragrantiam suam non exhalant; unde iterum lemma: *Dum flagrant, fragrant.* Chrysoprasus gemma pretiosissima solùm in tenebris & in obscuro splendet, de quo Italus: *Oro è di giorno, e nella notte è fuoco,* hoc est: *Aurea per diem, noctu resplendet ut ignis.* Aurum in ardenti fornace probandum est, de quo lemma: *Non læditur, sed probatur.* Corona aurea Imperatorum ac Regum nonnisi tunsionibus, igne & pressuris perficitur, hinc rursus lemma: *Me ferrum, me perficit ignis.* Eja animæ Christianæ! sursum Corda ad SS. COR JEsu, & ad Patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis, qui, licèt nos corripiat, Pater tamen noster esse perseverat:

1. Cor. 10, 13. *Fidelis est Deus,* inquit Apostol. *qui non patietur nos tentari supra id, quod possumus, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Et ecce! vidimus proventum, vidimus & finem aliquem nostrarum miseriarum. Agite filii, pulsate ulteriùs januam SS. CORDIS JEsu, *plura dabit, plures si dabis usque preces.*

4. Et adhuc dubitatis? dicite, cur DEUS quondam Adamo primo prævaricatori, priusquàm in illum sententiam ferret, signum adven-

UVA. BHSC. BU 00661

adventûs sui dederit, dum deambulans in paradiso ad auram pomeridianam terribilem strepitum inter arbores excitavit, ad quem fragorem Adam tremefactus, mox ad densissimas arbores cum uxore sua confugit, & ibidem sub medio paradisi ligno sese occultavit: *Et cùm audissent vocem Domini Dei ambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam & uxor ejus à facie Domini in medio ligni paradisi.* Gen. 3, 8. Cornel. hîc. Res miranda! si DEUS Adamum punire voluit, quare illum per hanc arborum concussionem præmonuit? Cur illi signum dedit, ut fugeret à facie arcûs? Ad hanc quæstionem respondet LeBlanc celeberrimus Psalmorum Interpres: *ut illum excitaret ad dolorem, & quia cum dolore crimen confessus est, veniam meruit,* in tantum, ut non æternis cum Lucifero deputaretur supplicîis. le Blanc. in psl. 59. vers. 7. En quomodo mens Divina jam tunc in umbra iram cum misericordia conjunxerit! Et quis neget insignem fuisse typum Sacratissimi CORDIS JEsu, ad mundi vesperam juxta S. Irenæum ad redimendum Adam ejúsque posteros venturi, & pro illorum salute se ipsum in lytrum & hostiam oblaturi? S. Iren. lib. 1. Apoc. 5, 5. Hinc pretiosissimus ille Redemptor à S. Joanne quidem Leo de tribu Juda, sed mox & Agnus appellatus est: *Leo,* inquit Richardus à S. Victore, *malos puniendo, Agnus bonos redimendo.* Rich. à S. Vict. l. 2. in Apoc. 3. Hinc etiam à Sponsa *candidus & rubicundus* nuncupatus; *Rubicundus,* ait de Ponte, *propter justitiam, & candidus propter misericordiam:* Cant. 5, 10. Hinc in supremo illo judicio priùs dicet: *Venite Benedicti,* & tandem: *Discedite maledicti,* quia SS. COR JEsu paratius est ad misericordiam, quàm ad justitiam. De Pont. Exh. 19. §. 3.

5. Perlegite de hac veritate scripturas, & invenietis, quomodo Divina Mens semper in ira consuetæ suæ misericordiæ meminerit. Cùm universa caro corruperat viam suam, mitis DEUS nonnisi coactus ad supplicium processit: *Et tactus dolore Cordis intrinsecùs, delebo, inquit, hominem, quem creavi.* Gen. 6, 6. In hunc finem non simul, sed sensim, hoc est, per continuos 40. dies ac noctes de cœlo pluvias misit: *Pluam quadraginta diebus &c.* Et cur tanto tempore? quare non uno die, imò uno momento has induxit pluvias? Gen. 7, 4.

UVA. BHSC. BU 00661

ad quid tanta mora? R. S. Chrysostomus: *Hoc deditâ operâ fecit, volens simul & timorem & occasionem præbere, qua possent pœnam, quæ jam in foribus esset, effugere.* Vide hic iterum typum & umbram SS. CORDIS JEsu, etiam cùm justissimè indignatur, ad misericordiam exhibendam promptissimi: *Ira*, inquit Psaltes, *in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus.* Et S. Augustinus: *Repellis nos à te? da nobis alterum te: Ad quem ibimus, si te relinquamus?*

S. Chrys. hom. 24. in Gen.

Ps. 2, 96.

S. Aug. tr. 27. in Joan.

6. In eodem universali diluvio præter octo personas, quæ per arcam salvatæ sunt, mortales omnes, & quidquid animam habebat viventem, extra arcam Noëmicam perierunt: *Cuncta in quibus spiraculum vitæ est, in terra mortua sunt.* O qualis hæc ira & quidem justissima Divini Numinis fuit? Audi S. Petrum: *In qua* (loquitur de arca Noë) *pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam.* O bone DEUS! quis hæc audiens non omnibus artubus contremiscat?

Gen. 7, 22.

1. Petr. 3, 20.

Erro, misericordia, non ira fuit, dum plurimorum adhuc animæ, cùm diluvium inundare sensêrunt, ad DEUM conversæ, ac pœnitentes salvatæ sunt, quæ ad limbum interim cum reliquis justis relegatæ, tandem à Christo JEsu, illuc post mortem descendente, cum cæteris justis eductæ, & in cœlestem paradisum deductæ sunt. Quod exemplum ideo S. Petrus in medium adducit, ut demonstret, etiam justissimam iram Divini Numinis cum summa misericordia esse conjunctam. Collige prudens Lector ex hoc typo, quàm misericors ira SS. CORDIS JEsu hactenus in nos fuerit, de quo lemma, *Sauciat & sanat.*

7. Similis rerum facies in extinctione Pentapolis fuit, dum DEus ob enormia scelera istas civitates igne cœlesti castigavit: *Dominus pluit sulphur & ignem à Domino de cælo, & subvertit civitates has, & omnem circa regionem, universos habitatores urbium, & cuncta terræ virentia.* Bone DEUS! si hîc adulti fuerunt nocentes, prout erant nocentissimi, quid autem parvuli peccârunt? Cur etiam innocentes tam severo plectuntur igne? Nunquid justus es Domine, & rectum judicium tuum? Dixi: etiam cùm iratus fuerit Dominus:

Gen. 19, 24.

UVA. BHSC. BU 00661

minus, SS. COR ejus misericordiæ recordabitur; inter quos Sodomitas, teste S. Hieronymo, non pauci fuerunt, qui sentientes ultrices has flammas, seriò & ex animo pœnituerunt, & sic adhuc salvati sunt. Parvulis quoque hoc ignis supplicium in salutem cessit, si enim superstites mansissent, sine dubio Parentum vestigiis insistentes æternis fuissent addicti suppliciis, ubi sic per ignem temporalem & momentaneum evaserunt incendium sempiternum. Hinc Regius Vates: *Non obliviscetur misereri Deus, nec continebit in ira sua misericordias suas.* *S. Hier. hìc apud Cornel.* *Ps. 76, 10.*

8. Desideratísne de hac veritate adhuc plura exempla & conceptus ex sacra scriptura petitos? Revocate vobis in memoriam illud mirabile Pharaonis somnium, in quo stans super Nilum 7. boves crassas, & 7. macie confectas vidit. Obstupescit Rex ad hoc portentum, & ignarus, quidnam consilii in hac re capiendum, varios ariolos accersit, ut ex ipsis hujus somnii interpretationem intelligeret. Tandem cùm nullus, qui hoc mysterium interpretaretur, in universo regno inventus esset, Joseph è carcere eductus, prædictam Regis visionem de septennio fertilitatis & sterilitatis futuræ explicavit: *Respondit Joseph: somnium Regis unum est, quæ facturus est Deus, ostendit Pharaoni &c.* Mirabilis DEus, si Ægyptum & reliquas terræ regiones communi inopiâ ac fame propter hominum delicta voluit castigare, quare priùs hanc universalem orbis calamitatem Regi per Josephum revelavit? & S. Nilus in Paranesi, quia Deus Pater noster est: *Castigat ut pater*, & simul inter castigandum amoris sui signa impendit; sicut, qui vineam putat, vites quidem adstringit, purgat & secat usque ad lacrymas, sed tantùm in hunc finem, ut plus fructûs afferant: unde lemma: *Ut gaudeas mero, scindo.* Audiamus & Oleastrum in hunc locum: *Adverte*, inquit, *Patris pietatem, qui, cùm vellet Ægyptum fame discruciari, priùs hoc ostendit, ut succurrere possent, quod sæpius facere solet, ut homines fugiant à facie arcûs.* En iterum mirandam Div. Numinis benignitatem, quod, dum nobis ob demerita nostra justissimè irascitur, diversísque nos exercitat calamitatibus, nunquam tamen, *Gen. 41, 25.* *S. Nilus in Paranesi.* *Oleaster.*

etiam

UVA. BHSC. BU 00661

Ps. 59, 3. etiam in medio indignationis æstu immensæ suæ clementiæ oblivisci solet; pro-
An. 1704 inde meritò Propheta Regius: *Deus repulisti nos, iratus es, & misertus es nobis.*
mense Ita mi JESU! *repulisti nos*, & justissimè quidem, quia peccavimus tibi, ideo
Julio & meritò nos & regionem nostram dedisti in manus inimicorum: *Destruxisti nos*,
Augusto. dum bona nostra temporalia dedisti in direptionem, & multorum ædes in com-
Sim. Cass. bustionem. *Iratus es*, sed *ira Dei non est*, ait Simon de Cassia, *cùm temporaliter*
l. 2. Joan. *punit, sed cùm damnat æternè.* Et iterum *misertus es nobis*, dum sicut fratres Jo-
3, 36. seph culpam nostram agnovimus: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in*
Gen. 42, *fratrem nostrum*, dum publicis votis ad SS. ac Diviniss. COR JESU confugi-
21. mus, illud singulare propitiatorium nostrum DEO Patri in pacificam Hostiam præsentantes. Et ecce! *misertus es nobis*, O mitissimum Numen, dum post tot ac tantas exantlatas calamitates adhuc tibi vivimus, sub umbra alarum tuarum spiramus, & sub ficu pacifica veri Salomonis, hoc est, sub tutela SS. & Thaumaturgi nostri Crucifixi vivimus, judicium & misericordiam SS. COR-
Isa. 54, 7. DIS tui æternùm decantantes; sic nimirum apud nos verificatum est: *In puncto ad modicum dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te.*

9. Eja igitur Animæ Christianæ! quid moramini? venite ad hoc SS. ac diviniss. COR JESU, & invenietis præsentissimum vestris calamitatibus remedium. Ad Arcam quondam fœderis sub pœna mortis nullus audebat de plebe
Josue. 3, 4. accedere, nullus ne quidem curiosiùs aspicere: *Sit inter vos & arcam spatium cubitorum duûm millium.* Non sic in hac vivente Arca SS. CORDIS JEsu, non sic, sed ultrò omnes etiam peccatores desperatissimos ad se benignè invitat: *Venite ad*
Marc. 4, 38. *me omnes &c.* O mitiss. COR JEsu! liceat & mihi peccatorum miserrimo loco omnium unicum ad te dicere verbum: *Magister, nónne ad te pertinet, quia perimus?* Ah omnino, O mi JESU, ad te pertinet, quia tui sumus ex creatione, tui sumus ex redemptione, tui sumus ex justificatione, tui sumus ex vocatione ac conservatione, ac tandem tui sumus, & in æternum tui ex glorificatione. Ecce, mi Redemptor! O Amor Crucifixe! habes confitentes reos, ante te humiliter
Dan. 3, 28. prostratos, & cum Daniele confitentes: *Quia in veritate & in judicio induxisti omnia hæc propter peccata nostra.* Sed ecce paratum Cor nostrum ad tibi de novo ex totis viribus inserviendum! Parce ergo, mi JESU, populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in perditionem. Consolatur nos denique Mellifluus tuus Bernardus, qui pariter ex SS. CORDE tuo aquas salutis cum gaudio hausit:
S. Bern. ser. 9. in cant. *Gemina*, inquit, *dulcedo suavitatis in PECTORE Domini JESU, longanimitas videlicet in expectando, & in donando facilitas.* Expectásti hactenus nostram pœnitentiam, nunc pœnitentibus tribue veniam, ac tandem gloriam æternam, quia misericordia tua superexaltat judicium.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XVI.

SS. COR JESU ex omnibus misericordissimum, in quo peccatores omnes veniam & gratiam possunt invenire.



Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Matth. 11, 28.

1. SÆpius annotavi, & mecum ipse Sacras volutando Scripturas demiratus sum, quare Christus Dominus, immensa illa Patris Sapientia, cùm in hac carne humana inter mortales mortalis versaretur, non alio se nomine appellare consueverit, quàm *Filium hominis?* Lege Novum Testamentum, & in solo Matthæo reperies, quòd hic mitissimus orbis Servator vigesies octies se hoc nomine vocaverit: *Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Et cur, O mi Salvator! non potiùs te *Filium Dei* nominâsti? Nunquid à potiori solet fieri denominatio? Re- *Matth. 8, 20.*

UVA. BHSC. BU 00661

Cajetan. in idem cap. 8. spondet Cajetanus, ideo se Christum non Filium Dei, sed hominis appellâsse, ut demonstraret, quòd ipse totus esset hominis, & quòd totum COR suum atque seipsum pro homine dederit; ad hoc enim venit in mundum, ut hominem salvum faceret, & seipsum daret redemptionem pro homine. O immensus! O stupendus amor hujus suavissimi CORDIS JEsu! quo totum se homini dedicavit, & nil, nisi gratiam & misericordiam etiamnum in omnes spirat. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei abscónditi:* velut Sol omnibus beneficentissimus, dum non in uno firmamenti loco affixus hæret, sed quotidie omnes quatuor mundi plagas lustrare solet, stellis superiùs suum lumen, & inferiùs rebus ac creaturis omnibus, sive bonis, sive malis, suum splendorem, calorem, & vegetationem communicans! hinc pro lemmate illud Redemptoris ei meritò inscribes:

Coloss. 2, 3.

Super bonos & malos.

Matth. 5, 45. *Ut sitis*, inquit Veritas, *filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* Talis, inquam, Sol mysticus SS. COR JEsu est, omnibus benefaciens, omnia illustrans, & divinos misericordiæ suæ radios, tum superiùs in cœlo in omnes cœlestes spiritus ac Beatorum animas, tum inferiùs in terra in miseros mortales, etiam pessimos peccatores longè latéque, ubique locorum diffundens, à quo divinissimo CORDE JEsu omnia quoque ejus membra misericordiam hauserunt.

2. Progrediamur pro confirmatione hujus veritatis ad Scripturam. Considera comprimis amantissimos oculos JEsu, nil nisi summam clementiam in peccatricem animam spirantes; Matthæum notissimum illum Publicanum consule: *Vidit JEsus hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi: sequere me, & surgens secutus est eum.* Vidit quoque JEsus Zachæum in ficulnea, & Petrum in atrio, quem utrumque, ut aspexit, erexit: *Et conversus Dominus respexit Petrum, &c.* En virtutem oculorum JEsu!

Matth. 9, 9. Luc. 19, 5. Luc. 22, 61.

In-

UVA. BHSC. BU 00661

Intuere aures illius, quàm pronæ ac paratæ semper fuerint in vita ad exhibendam miseris mortalibus clementiam. Vix latro in cruce os suum aperuit, & attraxit spiritum dicendo: *Domine memento mei!* Et ecce sine mora exaudita est deprecatio ejus: *Hodie mecum eris in paradiso.* Observa, non petiit pœnitens latro paradisum, neque ausus fuisset memor suorum delictorum illum unquam petere, sed tantùm ut aures JEsu fierent intendentes in vocem deprecationis suæ cum unico *Memento*, & obtinuit plus à benignissimo JEsu, quàm unquam speravit: *Hodie &c.* *Luc.* 23, 42.

Perpende linguam & labia illius, in quibus pariter nil, nisi amorem & clementiam in omnes diffusam cernes, ejus etiam saliva surdo & muto perfectam sanitatem, & cœco nato visum restituit: *Et expuens tetigit linguam ejus.* Et in alio loco: *expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & linivit lutum super oculos ejus.* *Marc.* 7, 33. *Jo.* 9, 6.

Vide manus illius in cruce apertas, perforatas, tornatiles, aureas, & plenas hyacinthis, quàm benevolæ ac liberales in omnes, ac præsertim in miseros & ægros mortales extiterint, qui à Christo nullam aliam gratiam solebant petere, quàm ut manus sibi imponeret: *Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret;* Et in alio loco: *Et complexans eos, & imponens manus super illos, benedicebat eos.* *Matth.* 19, 13. *Marc.* 10, 16.

Attende pedes illius, ad quos humiliter procumbens Magdalena, eósque lachrymis suis abluens, mox à Christo pleniſſimam omnium peccatorum absolutionem impetravit: *Et stans retrò secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus &c.* *Luc.* 7, 38.

Contemplare denique totum Corpus JEsu, de quo refert Lucas: *Quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes:* quæ virtus etiam per fimbriam vestimenti se diffudit, dum mulierem duodecim annis sanguinis fluxum patientem momento sanavit: *Accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti ejus: & confestim stetit fluxus sanguinis ejus.* *Luc.* 6, 19. *Luc.* 8, 44.

Sed unde, obsecro, hæc virtus & clementia in omnia Christi membra diffusa? O Anima Christiana! SS. COR JEsu inspice, hîc

UVA. BHSC. BU 00661

fontem, venam, & primam scaturiginem omnium bonorum & gratiarum invenies. Quemadmodum à Corde hominis cætera ejus membra motum, vitam, omnémque vigorem participant: sic à SS. CORDE JEsu omnis gratia & misericordia in mystica membra, quæ sunt fideles, ubertim promanat. *Quia in ipso*, ait Apostolus, *complacuit omnem plenitudinem inhabitare.* Quis igitur desperet, si tam benignum, tam gratiosum, tam misericors est SS. COR JEsu? O peccator! accede ad hoc divinum propitiatorium cum omni fiducia & contriti animi teneritudine, & videbis, ac miraberis, & dilatabitur Cor tuum præ amoris magnitudine: *Stat ante filium Mater*, ait S. Bernardus, *ostendens ei pectus & ubera, stat ante Patrem Filius, ostendens ei LATUS & vulnera, quis dubitet de venia, ubi tot existunt meritorum patrocinia?*

Coloss. 1, 19.

3. Nondum credis hujus divinissimi CORDIS JEsu suavitatem ac clementiam? Revoca in memoriam Samaritanam illam Mulierem, quæ ad JEsum ex itinere lassum, & sitibundum juxta fontem Jacob in Sichar sedentem venit, à qua mitissimus Salvator orbis, unicum aquæ potum de dicto fonte petiit: *Da mihi bibere.* Quid ad hanc insolitam petitionem Mulier illa Samaritana? indignabunda, & elato frontis impudentis supercilio respondet: *Quomodo tu, Judæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum Mulier Samaritana?* Vos Judæi ne quidem dignamini cum Samaritanis habere commercium, & quomodo tu servitium meum hîc ad fontem deposcis? Vide hîc, obsecro, prudens Lector, Cor superbum & elatum impudentis hujus Samaritanæ: *Tu:* ita JEsum compellat, nullo prorsus habito respectu Majestatis, quæ ex hac divina Persona etiam exteriùs promicabat? Quid verò ad hoc mansuetissimum COR JEsu? Ecce benignè compatitur illius infirmitati, & discursum cum ea ulteriùs prosequens, sic placido vultu hanc lupam alloquitur: *Si scires donum DEI, & quis est, qui dicit: da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam.* (per quam aquam vivam sub metaphora gratiam Spiritûs Sancti, animam à peccatis adinstar fontis abluentis, & æstum concupiscentiæ, aliarúmque passionum

Jo. 4, 7.

UVA. BHSC. BU 00661

fionum refrigerantis juxta S. Cyrillum designavit.) Hîc vidisses quasi momento hanc leænam totam mutatam, & sicut pavonem, cùm deformes conspicit pedes, suas cristas & stellatam caudam deponentem: *Domine,* reponit, *da mihi hanc aquam, &c.* neque aliter illum imposterum quàm Dominum appellavit. Unde talis & tam festina hujus impudentissimi cordis mutatio? R. Cajetan. quem superiùs citavi; *Audita mansueta responsione Christi, incipit honorare JEsum, priùs enim dixerat? Quomodo tu? nunc verò dicit: Domine.* Vide hîc, & considera mansuetissimum & planè misericordissimum COR JEsu quomodo velut Sol super bonos & malos oriatur, nullámque hominum conditionem à se excludere soleat, unde ad se invitans omnes, dicit: *Venite ad me omnes, qui laboratis &c.* O bonitas SS. CORDIS JEsu! Notent hoc sibi Confessarii nimiùm austeri. *Cajet. hîc.* *Matth. 11, 28.*

4. Verùm ut hujus SS. CORDIS JEsu in nos misericordiam & amorem adhuc clariùs valeatis penetrare, ad id attendite, quod enarro. Josue Hebræorum Dux glorioßissimus, cùm jam in procinctu staret, ut universum populum Israeliticum ex deserto in Palæstinam per Jordanem traduceret, nec pontem aut naves ad manus haberet, quibus tam immensum exercitum per vehementissimam aquam, nunc ob nives in vicinis montibus liquatas, summopere exundantem, trajiceret, Dei jussu Arcam fœderis Domini à Sacerdotibus ad ripam fluminis applicari curavit, ad cujus adspectum & præsentiam mox Jordanis contremiscere, & retrogredi cœpit, stetitque ex una parte omnino immobilis, & ex altera parte decurrens, liberum omni populo transitum paravit: *Ingressúsque eis Jordanem, steterunt aquæ, & ad instar montis intumescentes apparebant.* O prodigium inauditum! ad quid, obsecro, adeò contremiscis, ô Jordanis? ad quid fugis? cur arcam pertimescis? Quis hîc non cum Psalte Regio exclamet: *Quid est tibi mare, quòd fugisti, & tu Jordanis, quia conversus es retrorsum?* Magnum hîc latet mysterium, animæ Christianæ! sed relinquamus hunc Jordanem paulisper in suo cursu præ horrore & stupore stantem, & *Josue. 3. 15.* *Ps. 113, 5.*

UVA. BHSC. BU 00661

interim à figura ad figuratum nos convertamus. Cùm jam expletis triginta ætatis annis amantissimus Redemptor noster se mundo vellet manifestare, rectà ad Jordanem se contulit, ubi à Joanne inter turbas eò confluentes, publicè baptismum petiit: *Tunc venit JEsus a Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo.* Matth. 3, 13. Et ecce! cùm mitissimus Dominus jam se pararet, ut in flumen descenderet, stat Jordanis omnino quietus, non reformidans præsentiam sui Creatoris, nec ampliùs, sicut olim ad conspectum arcæ fœderis convertitur retrorsum. Nova admiratio! novum prodigium! Si umbram timuisti & figuram (quia hæc arca Christum Dominum præsignabat) cur nunc ad præsentiam JEsu in te baptizandi non expavescis? non converteris retrorsum O Jordanis?

5. Adverte: per arcam fœderis DEus quondam rigidam justitiam exercuit. Philistæos, Bethsamitas, & Ozam consule, quantùm ab arca Domini fuerint afflicti, ad cujus etiam remotum adventum jam trepidabant populi: *Adduxerunt ad nos arcam Dei Israël, ut interficiat nos & populum nostrum.* 1. Reg. 5, 10. Hinc ad aspectum illius Jordanis quoque præ timore stetit attonitus, & arcæ liberum venerabundus concessit transitum. Verùm ubi venit plenitudo temporis, & DEus misit filium suum in mundum, factum ex muliere, factum sub lege, non ampliùs DEus in tali rigore justitiæ populum suum gubernare, cœpit, *sed DEus*, ait S. Chrysologus, *Dominum mutavit in Patrem, & ab eo tempore amari maluit, quàm timeri.* S. Chrys. serm. 7. Sed quid ita Patris iram placavit?

O Sanctissimum! ô amabilissimum COR JEsu! diu in veteri lege æternus Pater virum quæsivit, qui murum & sepem inter DEum iratum & hominem peccatorem interponeret: *Quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inveni.* Ezech. 22, 30. Et ecce! ô mi Redemptor! talem virum in te solo invenimus, dum Sacratissimum COR tuum pro scuto, pro muro, & sepe interposuisti, quod solùm irati Patris iram placare & terram peccatricem cum Creatore suo reconciliare poterat. Hanc igitur veram, vivam, ac divinam salutis Arcam (SS. Hebr. 9, 4.

COR

UVA. BHSC. BU 00661

COR JEsu intelligo, in qua mystica Arca pariter virga Aronica, id est, Crux & Eucharisticum Manna absconditum fuerat) ubi secundò ad se accedentem vidit Jordanis, non ampliùs præ timore conversus est retrorsum, sed gaudens & exultans tam benignum ac misericordem Dominum suum excepit: *Quoniam ante carnis assumptionem*, sunt verba S. Cyrilli, *mare vidit illum, & fugit, & Jordanis conversus est retrorsum; assumpsit corpus Dominus, ut mare videns sustineret, & Jordanis illum sine timore susciperet.* *S. Cyrill. Hieros. Catech. 12.*

6. O mortales omnes, quid agitis? *Quare aggravatis corda vestra, sicut aggravavit Ægyptus & Pharao cor suum?* Quid timetis ad hoc SS. COR JEsu accedere, cum nihil in eo durum, nihil austerum, nihil terribile sit? Quoties potuisset vos propter tot ac tanta demerita æternùm reprobare, & vel uno nutu ad inferni barathrum deturbare, & non fecit? cum quanta, obsecro, patientia vos hactenus non sustinuit? Profectò misericordia Dei est ac SS. CORDIS JEsu, quia non sumus consumpti. *DEus meus, misericordia mea!* inclamat Regius ille Vates: *DEus Cordis mei, & pars mea DEus in æternùm!* *1. Reg. 6, 6.* *Ps. 58, 18.* *Ps. 72, 26.*

Audite, quid Sauli acciderit. Collegit is exercitum, ut Davidem in deserto caperet, & occideret, quod explorans David, cum Abisai propinquo suo de nocte surrexit, & clàm ingressus illius castra, invenit Saulem in tentorio suo dormientem, hastámque in terra ad caput ejus fixam. Quid ad hoc Abisai? *Persodiam*, inquit, *eum lanceâ in terra semel, & secundò opus non erit.* Nequaquam, reponit David, interficietur Saul: *Propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini. Nunc igitur tolle hastam & scyphum aquæ, & abeamus.* Quod & factum est. Et quare David inimicum suum à Deo in manus suas traditum non interfecit? Observa: David vir mitissimus sicut in aliis, sic etiam in hoc generoso facinore typus Christi fuit, qui de se ipso testatur: *Discite à me, quia mitis sum & humilis Corde;* Saul autem Davidem injustè persequens, figuram peccatoris sustinet. Per Abisai, quod nomen interpretatur, *Rugitus ejus*, Justitia divina denotatur, quæ rugiens *1. Reg. 26, 7.* *Matth. 11, 29.*

UVA. BHSC. BU 00661

giens super peccatorem stat cum lancea parata ad eum perfodiendum, & cum corpore ac anima perdendum. Verùm quid ad hoc mitissimum ac clementissimum COR JEsu? Nequaquam, reponit, morietur peccator, nolo mortem peccatoris, quia Christus Domini est, id est, meo sanguine redemptus: *Filius enim hominis non venit animas perdere, sed salvare.* In hunc finem latus meum lanceâ permisi reserari, ut liberum ad COR meum haberet introitum. Et si nondum per hanc immensam charitatem meam, quâ eum usque in finem dilexi, ad veram conversionem & dignos pœnitentiæ fructus movetur, compellam ipsum intrare, quia in hoc divinissimo CORDE adhuc locus est; auferam illi hastam & scyphum, hoc est, sanitatem corporis, facultates mundi, & voluptates carnis, in quibus me hactenus velut Saul oppugnavit, ut sic agnoscat peccatum suum, & adhuc gratiam inveniat & vitam. *O homo*, inclamat mellifluus Bernardus, *quis illud COR tam vulneratum non diligat? quis tam amantem non redamet?* Ah! quis non redamet!

Luc. 9. 56.

S. Bern. de pass. cap. 3.

7. Coronidem huic considerationi imponat S. Mechtildis, de qua in ejus vita refertur, quòd aliquando speciosissimam Virginem miro splendore circumfusam ex Sacratissimo CORDE Christi JEsu Crucifixi egredientem conspexerit, quæ in dextera sua durissimum adamantem tenuit, quem sæpius in apertum Redemptoris latus immisit, atque in sanguinem & aquam SS. CORDIS ejus immersit. Obstupuit ad hanc visionem S. Mechtildis, & cùm ab amato Sponso suo JEsu significationem hujus visionis vehementer desideraret, hanc divinam vocem de cœlo ad se delapsam audivit: *Speciosa hac Virgine amor Dei in homines designatur: adamas verò Cordis humani symbolum est, quod licèt sit durissimum, tamen tandem rumpitur, ac emollitur, dum pretiosissimo Christi JEsu sanguini immergitur.* O peccatores omnes, si posuistis hactenus Cor vestrum ut adamantem, resipiscite tandem, in SS. CORDE JEsu, & in Sanguine Agni lavate animas vestras. Huc, huc venite omnes, qui laboratis. *Requies hîc certa laborum.*

P. Matt. Neul. in Sanct. fest. circumcis. in fine.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XVII.

SS. COR JESU puteus aquarum viventium, ad quem Samaritana, hoc est, prævaricatrix Anima gratiam & salutem consequitur.



Domine, puteus altus est, unde ergo habes aquam vivam? Joann. 4, 10.

1. SI Dominum liceat cum servo suo comparare, videtur mihi SS. COR JESU, ut quondam sitibundum Cor Eliezer servi Abrahami, primarii ac fidelissimi, qui, cùm in Mesopotamiam à Domino suo mitteretur, ut ibidem Isaaco optatam sponsam procuraret, ex itinere lassus, & æstu fatigatus, ad puteum juxta urbem Nachor sedens, à Rebecca puella potum aquæ postulavit, quæ mox depositâ hydriâ ipsi & camelis officiosè & liberaliter aquam tribuit, cujus puellæ sedulum & beneficum animum considerans Eliezer, mox in signum gratæ mentis duas ei aureas inaures

UVA. BHSC. BU 00661

& armillas in manus dedit, & ita in sponsam Isaaci elegit: *Quæ festinans deposuit hydriam de humero, & dixit mihi: & tu bibe, & camelis tuis tribuam potum.*

Gen. 24, 46.

Anima Christiana! considera nunc amantissimum Redemptorem tuum JEsum, à Patre suo cœlesti in hanc terram ablegatum, ut sponsam, hoc est, animam tuam, sibi quæreret, quam per triginta & amplius annos in fame & siti, in æstu & frigore, in assiduis curis & laboribus, non curru aut equo vectus, sed pedibus vicos & castella circumiens, quæsivit. Et ecce! cùm ex diuturno itinere & æstu meridiano defatigatus ad puteum Jacob in Sichar sederet, non Rebeccam, sed Photinam mulierem Samaritanam & peccatricem, cum hydria ad fontem properantem conspexit, à qua adinstar Eliezer potum aquæ frigidæ, quo lassum & tabescens COR suum refrigeraret, instanter petiit: *Mulier, da mihi bibere.*

Jo. 4, 6.

Mitissime JESU! quid sitit divinissimum COR tuum? si Fons salutis ipse sitit, à quo anima nostra arida reficietur? David quondam de seipso testatus est: *Aruit Cor meum*, dum præ nimia siti humore vitali tunc Cor ejus destitutum, & quodammodo exsiccatum erat, in quem finem ad refocillandam animam de puteo Bethlemico unicum aquæ frigidæ potum vehementer exoptabat. Audierunt hoc ardens Regis sui desiderium tres fortissimi milites, & ut suam in eum fidelitatem ac promptum animum ostenderent, ipso inscio per media Philistinorum castra penetrârunt & hausta de eodem puteo aquam sitienti Regi attulerunt: *At ille noluit bibere, sed libavit eam Domino.* Cur ergo, O Rex, tanto desiderio hanc aquam postulâsti, si nunc eam recusas bibere?

Ps. 101, 5.

2. Reg. 23, 16.

Subintrat hîc S. Ambrosius: *Non aquam*, inquit, *sitiebat, sed sanguinem Christi*, & quidem ex fonte vivo SS. CORDIS JEsu, adquem unicè velut cervus sitibundus anhelabat, ut Consideratione VI. mentionem fecimus.

S. Ambr. apol. 1. David. c. 7.

Et hoc est, Anima Christiana! quod pariter SS. COR JEsu ad fontem Jacob sitiebat: *JEsus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem, quasi hora sexta*; supra quod magnus ille Hippo-

Jo. 4, 6.

nen-

UVA. BHSC. BU 00661

nensium Antistes: *Jam*, inquit, *incipiunt mysteria, non enim frustra fatigatur JEsus, non enim frustra fatigatur virtus Dei: fatigatur ab itinere, & sedet, & juxta puteum sedet, & horâ sextâ fatigatus sedet: omnia ista innuunt aliquid, indicare volunt aliquid.* Et quid ergo indicant? Horâ sextâ sitit SS. COR JEsu: *Cùm Eva*, sunt verba S. Chrysostomi, *mandatum in paradiso transgressa est.* Horâ sextâ sitit, quâ horâ, prout observat Simon de Cassia, peccavit homo, & de paradiso ejectus est. Horâ sextâ sitit: *Ista est hora*, inquit S. Antonius Paduanus, *quando, O mi JEsu! sedisti in fonte misericordiæ super Crucem*, ubi pariter sitiebat SS. COR tuum, dum exclamâsti: *Sitio.* Et quid sitiebas? *Certè illorum salutem*, reponit idem S. Antonius, *pro quorum salute tuum sanguinem fudisti.*

S. Aug. tr. 15. in Joan.

S. Chrys. tom. 6. hom. de Samar. Simon de Cass. l. 11. c. 1.

S. Anton. Pad. hic.

Non ergo ampliùs mirare, anima Christiana! quòd à fœmina Samaritana lassum & aridum COR JEsu potum aquæ postulârit: *Plus sitivit*, ait Beatus Albertus Magnus, *salutem fœminæ, quàm potum aquæ;* quam mulierem peccatricem mirabili & suavissimo modo ibidem ad clathros putei sedens ad frugem & ad salutem reduxit, sic, quæ priùs lupa vaga fuerat, nunc ex corde pœnitens, placida Christi ovicula effecta est, ac demum pro fide Christiana Martyr, cujus sacrum caput Romæ in Basilica S. Pauli pro memoria religiosè asservatur. O animæ sitientes & peccatrices, venite & vos ad hunc fontem vivum, medicum ac saluberrimum, SS. COR JEsu: *Ego sitienti*, ait hoc divinissimum COR, *dabo de fonte aquæ vitæ gratis.* Unde lemma:

B. Alb. M. in Jo.

Apoc. 21. 6.

Hauriar, non exhauriar.

2. Parvus quidem & exiguus erat ille fons, quem quondam Mardochæus in quadam visione conspexerat; sed qui fons paulò pòst in fluvium prægrandem, & in aquas plurimas redundavit, ac tandem in lucem & solem conversus est: *Parvus fons, qui crevit in fluvium, & in lucem, solemque conversus est.* Bone DEus! quàm paradoxa & hieroglyphica erat hæc Mardochæi visio? quomodo, obsecro, ex aquis lux & sol?

Esth. 10. 6.

UVA. BHSC. BU 00661

Per hunc parvum fontem primò in ingentem fluvium conversum appositè in sensu allegorico Sacratissimum COR JEsu intelliges. *Quid hoc est? O bone JEsu!* exclamat Mallonius, *quid hoc est? En parvum fontem sanguinem CORDI CHRISTI conclusum, sed postquam lancea latus ejus aperuit, impletum est, quod DEus dixerat Moysi: Percute petram, & exibit aqua, postquam enim mystica petra, Christus, lanceâ percussus est, parvus fons crevit in fluvium, effluxit enim sanguis & aqua, quæ cum impetu fluunt de Libano.*

Mallon. c. 20. apud me f. 265.

Sed quomodo, dices, fluvius hujus sacrosancti Sanguinis & aquæ ex diviniſſimo CORDE JEsu profluens in lucem, solémque converti potuit? Audi, bone Vir! nunquam vidisti solem in pellucido fonte aut crystallino flumine, quomodo per reflexionem radiorum suam quodammodo effigiem aquis imprimat? ubi parelium, hoc est, seipsum & alterum quasi solem exprimere assolet, ut sic ipse fons fulgidus quidam sol esse videatur.

Inspice diviniſſimum COR JEsu, & habebis in eo non tam gratiarum fontem, ex quo omnia Ecclesiæ Sacramenta, & omnia bona in orbem promanârunt, sed & pariter Solem habebis mysticum, gratiarum suarum radios circumquaque, & usque ad extremos orbis terrarum fines (ubi hæc sacra devotio de SS. CORDE JEsu jam passim implantata esse perhibetur) mirificè spargentem. O quàm igitur mirificus, quàm gratiosus, quàm fœcundus est ille fons SS. CORDIS JEsu! O mortales omnes, ite, ite, properate ad hunc divinum fontem. Heu miseri! *Quare duo mala fecit populus meus? me derelinquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.*

Jerem. 2, 13.

3. Occurrit hîc mihi cœcus ille natus, cujus oculos benigniſſimus JEsus luto & salivâ suâ illinivit, & sic ad fontem Siloë amandavit, ut ibidem in aquis viventibus cœcos oculos lavaret, & visum reciperet: *Vade, lava in natatoria Siloë (quod interpretatur Missus.) Abiit ergo, & lavit, & venit videns.* O bone JEsu! quis non miretur insolitum hunc medendi modum? Et nunquid in momento

Jo. 9, 7.

huic

UVA. BHSC. BU 00661

huic cœco nato visum restituere poteras? quare ergo illum ad hunc puteum Siloë, ad radices montis Sion profluentem, ubi Salomon quondam in Regem inunctus est, amandâsti.

Observa: *Omnis Christi actio nostra fuit instructio.* Cœcus ille à nativitate adumbravit genus humanum, originali Adami peccato à nativitate obcœcatum, quem mysticum cœcum JEsus præteriens & videns, benignè illius misertus est, atque à sua cœcitate innata misericorditer liberavit, & illuminavit, sed quomodo? Misit cœcum illum ad fontem Siloë, qui fons juxta SS. Patres erat typus ipsius Christi JEsu Crucifixi: *Christus*, inquit Cornelius à Lapide, *est Siloë, id est, fons aquæ salientis in vitam æternam*, dum enim in Cruce SS. COR suum voluit adaperiri, fons quoque omnium gratiarum & benedictionum pro genere humano reseratus est, de quo divino fonte Zacharias Propheta: *In illa die erit fons patens domui David & habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris.* O anima Christiana, cœca & peccatrix, quid agis? Imitare & tu hunc cœcum natum summo animi cum gaudio ad hunc gratiarum fontem properantem, & licèt cum illo à Pharisæis & sciolis, qui hanc devotionem erga SS. COR JEsu parvi pendunt, irrideāris, perge tamen, quo cœpisti pede, in hac enim saluberrima natatoria non tantùm tuorum poteris lavare peccatorum sordes, sed insuper novum gratiæ lumen recipies: *Et illuminabit te Christus*, quia *apud te*, inquit Psaltes, *est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Audi & S. Thomam: *Si volumus*, inquit, *mundari à cœcitate Cordis, oportet, quòd spiritualiter lavemur juxta Isaiam c. 1. Lavamini, mundi estote.* Non est autem magis salutare animarum lavacrum, quàm SS. COR JEsu; hîc ergo lavamini in sanguine Agni, qui de se ipso ait: *Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis.*

S. Greg. Mag.

Cornel. hîc in Jo.

Zach. 13. 1.

Ad Eph. 5. 14.

Ps. 35. 10.

S. Thom. in Joan.

Apoc. 21. 6.

4. Permagni tum à Christianis, tum ab ipsis Machometanis in hodiernum usque diem æstimatur puteus ille salutaris B. Virginis in Ægypto, ubi hæc SS. Deipara lineam supellectilem dulcissimi Filii sui lavare, & in facie solis siccare consueverat, qui fons non balsami duntaxat hortum illic locorum mirè fœcundat, sed & febribus Christianorum, imò & Paganorum, mirificè medetur. Neg

Bagatta tom. 1. l. 3. c. 8. n. 3.

UVA. BHSC. BU 00661

Sozomenus l. 5. c. 20. Nec in minori pretio apud Christicolas & Turcas est puteus ille celeberrimus ante urbem Emaus prope trivium constitutus, in quo mitissimus orbis Redemptor post suam resurrectionem fertur cum Cleopha & socio pedes laviſſe, ex quo tempore aquæ illæ vim medicinalem hausêre, unde etiamnum variis hominum infirmitatibus mirè medetur.

Baron. An. 68. num. 24. Celebratissimus est fons seu puteus S. Petri, qui Romæ in carcere Mamertino ad radices Capitolii quondam ex petra prodigiosè prorupit, ut hoc salutari latice Princeps Apostolorum Processum & Martinianum cum cæteris carceris custodibus recèns ad Christum conversis baptizaret, ex quo fonte etiamnum hodie salubres aquarum venæ scaturiunt, sic, ut nec foràs exundet aqua, nec etiam, quantumlibet inde bauriatur, aliquando deficiat.

Baron. An. 69. num. 13. In eadem alma Urbe celebrantur tres prodigiosi fontes, seu putei S. Pauli Ap. qui, cùm sub Nerone in valle pugilum decollatus fuit, non tantùm lac pro sanguine dedit, sed etiam sacrum caput illius à cervice rescissum tres saltus fecit, ad quos semper novus fons mirabiliter prorupit, de quibus sacris fontibus hodie peregrini in memoriam & honorem S. Pauli, à quo gentes lumen fidei ut plurimùm receperunt, dulces & salutiferas aquas devoto animo haurire solent.

Bagatta tom. 1. fol. 196. In dicta civitate Romana pariter in pretio habetur & veneratione puteus S. Laurentii Martyris, ubi hodie Ecclesia in honorem hujus Sancti, vulgò ad fontem S. Laurentii dicta, ædificata est. In hoc loco gloriosus ille Christi Martyr olim in diro carcere detentus, S. Hipolytum, Lucillum & plures alios baptizavit, ad cujus preces hic fons mirabiliter exortus est, unde illius aquæ ad sanandas plures infirmitates etiamnum Romanis & exteris mirificam opem præstant.

5. Mitto plures alios prodigiosos & similes medicos fontes inter quos omnes longo, imò infinito intervallo præeminet fons ille vitæ (SS. ac diviniſſimum COR JEsu) divide, & introspice Cor cujuslibet hominis, & in medio ejus fontem vivum, sanguinis scilicet jugiter scaturientis invenies, à quo omnis vita nostra procedit, & exinde

UVA. BHSC. BU 00661

inde omnia membra vivificantur, ac conservantur. O quàm bene igitur SS. COR JEsu ejusmodi puteo aquarum viventium seu fonti vitæ assimilatum est: *Quoniam apud te est fons vitæ?* Ps. 35, 10.

Consule Magdalenam mulierem peccatricem in civitate, quæ ad sacros Christi pedes fontem vitæ invenit: *Et stans retrò secus pedes ejus lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.* Luc. 7, 38.

Consule filiam Jairi Archisynagogi, quæ in civitate Capharnaum in manibus JEsu similem vitæ fontem reperit: *Et cùm ejecta esset turba, intravit, & tenuit manum ejus, & surrexit puella.* Matth. 9, 25.

Consule Petrum, Christum veram petram in atrio Pontificis negantem, & mox ad frugem seriámque pœnitentiam revertentem, qui gratiosum vitæ fontem in oculis ejusdem pientissimi Salvatoris expertus est: *Et conversus Dominus respexit Petrum.* Luc. 22, 61.

Consule Lazarum in monimento positum, qui in lingua & voce Christi fontem vitæ habuit: *Hæc cùm dixisset, voce magna clamavit: Lazare veni foras &c.* Jo. 11, 43.

Consule mulierem illam, quæ ab annis duodecim sanguinis fluxum passa, cùm Christi fimbriam attigisset, sine mora ab infirmitate sua sanata est, & ita vitæ fontem etiam in extrema illa vestimenti parte invenit: *Dicebat enim intra se: si tetigero tantùm vestimentum ejus, salva ero.* Matth. 9, 21.

Ecce totus Christus Fons vitæ erat, omnibus benefaciens, & in omnes (quia *fons* dicitur à *fundendo*) gratiarum suarum fluenta diffundens; sed quàm maximè inter cætera corporis membra Sacratissimum COR JEsu verus fons vitæ nobis extitit. Dilectum illum Discipulum consule, in SS. PECTORE JEsu placidè quiescentem, ex quo divino fonte quid non hausit? *Fluenta sapientiæ*, ait Beda, *ut posset dicere: In principio erat VERBUM &c.* V. Beda cit. à Manss. in disc. 3. O felicem Discipulum! Quàm bene de te Vates Regius: *Benjamin in mentis excessu.* Ps. 67, 28. Verè in mentis excessu tunc erat dilectus ille Benjaminus; quis enim illum amoris excessum & incomparabilem animi dulcedinem explicare poterit, quam tunc temporis Filius hic amo-

ris

UVA. BHSC. BU 00661

S. Bern. serm. 1. de Nativ. Domini. ris & doloris de amabilissimo CORDE JEsu potavit? Meminit S. Bernardus quinque fontium Salvatoris, primum vocat *fontem misericordiæ*, secundum *fontem sapientiæ*, tertium *fontem gratiæ*, quartum *fontem charitatis*, & quintum, hoc est, SS. latus & COR JEsu *fontem vitæ* appellat, in quo non solùm à peccatis ablui, sed & in vitam novam possumus regenerari. Ab hoc fonte, ait S. *S. Ambr. in psal.* Ambrosius, *non tabes mortis, sed fons vitæ scaturivit æternæ.* O mortales! ad quid bibitis de Mara aquas turbulentas aquas fœtidas mundanarum voluptatum? & quare derelinquitis *fontem aquæ vivæ?* An non verissimum est, quod *Jer. 2, 12.* Poëta Christianus de hoc SS. CORDE JEsu decantat:

Plaga, fames, morbi procul hinc exeste, scaturit
Nam vena hîc medicis plena salutis aquis?

6. Vultis videre similem gratiarum venam, ex SS. CORDE JEsu, in salu- *De Imit. JEsu pat. lib. 2. c. 4.* tem hominum scaturientem? Audite historiam memorandam. Fœmina quædam (prout Lyreus auctor est) apud Lakenses sacratissimam Synaxin susceperat, quam Judæo Bruxellensi & prece & pretio solicitè exoptatam vendidit. Et ecce cùm viam ad sacrilegum sordidúmque Hebræum capessit, SS. Hostiam illi traditura, miris cruciatibus & mentis sacrilegæ stimulis agitata, divinum hoc pignus in proximum puteum dejecit. Per biennium res hæc alto silentio sepulta fuit. At postquam febres malignæ ac diversa morborum genera per aquam ex hoc puteo haustam mirabiliter cœperunt persanari, res hæc insolita & prodigiosa hominibus in urbe occasionem præbuit, plura pluribus de hoc medicinali fonte indagandi. Hæc inter præfata fœmina aut proprio motu, aut potiùs conscientia urgente, ultrò omnem veritatem aperuit. Igitur exhaustæ sunt aquæ illæ salubres, & in fundo putei loco SS. Eucharistiæ illuc projectæ, imago Christi JEsu in cruce pendentis inventa est, quæ ex fundo ejusdem fontis cum fibris seu venulis ex Vulneribus Crucifixi prominentibus, & virtutem medicam aquis tribuentibus, mirabiliter & non sine ingenti prodigio excrevit. Cæterùm hæc SS. Crucifixi JEsu imago per aliquot centenos annos ibidem in Templo Lakensi piè honorata, & religiosè asservata est, donec tandem bellis civilibus Religio concussa, & hæc sacra Crucifixi effigies cum aliis Sanctorum lipsanis subducta interiit. Vide hîc, obsecro, anima Christiana, quàm gratiosus sit fons DEus Eucharisticus & Crucifixus, ac præsertim SS. *Ezech. 36, 25.* COR ejus, de quo vena omnium gratiarum ac benedictionum profluxit. *S. Ambr. in Psal.* O quàm bene igitur DEus per Ezechielem: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Et S. Ambrosius: *Exilivit ergo de latere aqua & sanguis, ut nos abluerentur, & biberemus salutem.*

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XVIII.

SS. COR JESU verum salutis ostium est, per quod securè ac prosperè possumus intrare ad vitam.



Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur. Joann. 10, 9.

1. Cùm universa terra innumeris malis ac peccatis cœpit repleri, statuit justus Deus per universale diluvium orbi suum intentare excidium. In hunc finem Noëmo mandavit, ut de lignis lævigatis sibi arcam pararet, in qua ipse cum familia & animantibus terræ à communi orbis interitu salvaretur Noë sic à Deo edoctus, mox ligna scindi, ac cætera omnia ad hoc grande opus parari curat, arcámque construit tribus contignationibus seu tabulatis divisam.

Prima & infima contignatio pro animalibus terrestribus (quorum 157. species numerantur) parabatur. Secunda contignatio

UVA. BHSC. BU 00661

pro annona conservanda in gradu altiori ædificata fuit, in qua vitæ necessaria tum pro hominibus, tum pro jumentis reponebantur. Tertia contignatio, seu summum tabulatum pro hominibus & avibus (quarum 150. species fuisse censentur) parata fuit, &, quod mirabile est, hæc arca tam grandis unicam in summitate tecti fenestram, & unam tantùm ex latere portam habebat: *Ostium autem arcæ pones ex latere.* Gen. 6, 19.

Hæc inter adventat suprema illa dies à Deo hominum animaliúmque excidio decreta. Hîc vidisses, quomodo ex omni parte animantia ad hanc Noëmi arcam sese conferrent, quæ sine omni excitata discordia, quasi orbis interitum præscirent, arcam ingressa, locum suum pro quavis specie destinatum occupârunt. Demum & ipse Noë cum conjuge & tribus filiis, eorúmque uxoribus secutus est, cæteris omnibus, ipsísque fabris lignariis, qui hanc arcam tanto tempore construxerant, exclusis: *Et inclusit eum Dominus de foris.* Gen. 7, 16.

Dum hæc fiunt, subitò tempore Maij, ubi mortales omnes nil nisi læta sibi polliceri poterant, adventat diluvium, ruptis undique aquarum fontibus & marium abyssis, ipsísque cœli cataractis apertis. Quid interim, dum cœlum & terra contra insensatos insurgunt, agunt miseri mortales? Horrendum spectaculum! surgunt & currunt ad montes tremuli senes, timore pedibus alas addente: ejulant desertæ matres, cum parvulis refugium in tectis ædium quærentes: ad altissimas turres evadunt juvenes; alii in proceros arborum ramos ascendunt, lamentantur, vociferantur, & plorant omnes: ubique luctus & tristis mortis imago. Interea magìs magísque accrescunt omnes undæ, & conglomerantur fluctus. Tunc primùm aperti sunt oculi insipientium, quòd Noë non audierint, & cum sua arca toties irriserint. O quàm libenter tunc omnes volebant esse in arca; sed frustra ac serò nimis: *Consumptáque est omnis caro, quæ movetur super terram &c.* Verbo: quidquid per portam illam lateralem non intraverat in arcam, periit, proinde non incongruè huic arcæ pro lemmate inscribes:

Nul-

UVA. BHSC. BU 00661

Nulla salus extrà.

& supra portam arcæ hanc epigraphen affiges:

Una salutem.

Per hanc arcam S. Augustinus Crucifixum Salvatorem nostrum, & per unicum ac quidem ampliſſimum ostium ex latere hujus Noëmicæ arcæ fabricatum, cunctísque eam ingredi volentibus apertum, SS. laterale Vulnus ejus, ac præsertim SS. COR JEsu intelligit: *Ostium*, inquit, *quod accepit in latere Arca Noë, profectò illud Vulnus est, quando latus Crucifixi lanceâ vulneratum est &c.* Sicut enim Noe per lateralem arcæ portam cum suis ingressus vitam in diluvio conservavit, cæteris non ingressis miserè pereuntibus. Sic quisquis viva fide, & in animo contrito in dulcissimum COR JEsu Crucifixi ingreditur, securus erit à diluvio æternæ damnationis, illis econtra miserandum in modum intereuntibus, qui hoc vitæ ostium, SS. COR JEsu hîc in vita ingredi recusârunt. *S. Aug. de Civit. Dei c. 26.*

2. Notatu dignum est, quòd DEUS quondam ante portam paradisi post eliminatos protoparentes nostros Cherubinum quemdam cum flammeo gladio atque versatili collocaverit, qui ab ejus aditu non tam Adamum, quàm posteros illius arceret, ne paradisum deliciarum denuo ingressi, fructum de arbore vitæ decerperent: *Et collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim & flammeum gladium.* *Gen. 3. 24.*

Non sic mitissimus JEsus in lege gratiæ, non sic. Et nunquid hortus omnium deliciarum & paradisus voluptatis amœnissimus est cuilibet animæ devotæ sacratissimum ac divinissimum COR JEsu? Verùm non hîc video Cherubinum cum gladio ignito atque versatili excubantem, sed omnibus ultrò sese pandit hæc pretiosa paradisi porta, neminémque à se quantumvis vilissimum excludit, ideo in publico præsepio reponi, ideo in publico cum hominibus conversari, & ideo in publico extra portam Solymæam in monte pati, & crudeli lanceâ, quasi ferrea clavi, reserari voluit, ut omnes ad illud liberum invenirent accessum. O quàm bene de

UVA. BHSC. BU 00661

Ps. 117. 19. hac salutis porta jam olim vaticinatus est Vates Regius: *Hæc porta Domini: justi intrabunt in eam.*

le Blanc. in ps. 117. v. 18. & 19. 3. Olim S. Theopompo Nicomediæ Episcopo in medio fornacis ardentis incombusto ac prorsus illæso porta ad aulam & ad cubile Imperatoris Diocletiani ultrò patefacta est, cui Imperatori à somno tunc excitato dixit: *Ego sum Theopompus Episcopus, homo JEsu Christi, non sum mortuus, ut præceperas, sed ecce, vivo.*

S. Genovefæ Parisiensi ultrò aperta est porta civitatis Parisiensis, ut vinctos, qui jussu Regis ad ultimum supplicium ducebantur, à morte posset liberare.

S. Wenceslao, Bohemiæ Duci ac Martyri, de nocte intempesta nudis pedibus per nivem & glaciem Ecclesias circumeunti, ultrò patebant templorum ostia, ut Deo eò liberiùs sic ab hominum comitatu abstractus, inserviret, & illi vota sua redderet.

S. Deicolæ Abbati Lutrensi, licèt à malevolis illi spinis, vepribus, & tribulis via ad Ecclesiam obstrueretur, ultrò tamen templi janua per spinas transeunti patefacta est, ubi coram Deo suo Eucharistico totum Cor suum de nocte solebat effundere.

Et quid dico, Anima Christiana! nunquid & tibi janua vitæ & ostium salutis per militis lanceam reseratum est? quid ergo times, aut moraris accedere ad SS. COR JEsu, licèt vepribus ac spinis cinctum? Ps. 117. 19. *Aperite mihi portas justitiæ*, obsecrabat quondam cœlestes spiritus Propheta ille Regius, *& ingressus in eas confitebor Domino.* Hæc autem justitiæ porta quid aliud denotavit, quàm sanctissimum vulneratum & apertum COR JEsu Crucifixi, per quod facta est justitia? P. Spinol. Med. 51. *Ecce*, inquit Venerab. P. Ambrosius Spinola, *quanta fecerit, & passus sit pro te! simul COR tibi aperuit, ut videas, quantò jam ante pro amore tuæ salutis illud impenderit, quanto semper affectu te dilexerit, & ut per istud Vulnus fiduciam habeas accessûs facilis ad ardentissimum COR illud, sejunctus à tumultu rerum conditarum &c.*

4. De Jacob Patriarcha recensent sacræ litteræ, quòd, cùm mirabilem illam scalam vidisset, cujus summitas usque ad cœlum pertin-

UVA. BHSC. BU 00661

pertingebat, & per eam Angelos Dei descendentes & ascendentes, tandem etiam observârit ipsum cœli Dominum dictæ scalæ incumbentem, & quasi utrâque manu eam, ne caderet, tenentem: *Vidit Dominum innixum scalæ:* proinde stupore & admiratione plenus exclamavit: *Verè non est hîc aliud nisi Domus Dei & porta cœli!* Gen. 28, 17.

Attende hîc prudens Lector ingens quoddam mysterium, singula enim denotant aliquid. Per scalam appositè Crux Dominica intelligitur, per quam Christus & omnes Electi ad cœlestem illam patriam ascenderunt. Dominus autem scalæ incumbens juxta Cornelium est Christus in cruce pendens, qui utrâque affixâ manu nobis hanc scalam tenet, ut facilior sit nobis ad eum accessus. Per portam verò cœli apertam, quam tunc Jacob in extasi conspexerat, quid aptiùs intelliges, quàm SS. ac divinissimum COR JEsu Crucifixi, quod omnibus factum est salutis ostium, & tuta porta cœli: *Verè non est hîc aliud, nisi domus Dei & porta cœli!* A Lap. hîc.

Ad hoc videtur alluisse ipse orbis Servator Christus: dum enim non levis quondam inter Philosophos quæstio fuisset exorta, per quam portam mortales tutò ac securè ad æternam beatitudinem possent introire, ipse palàm vitæ ostium se suis fidelibus denominavit, dicens: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet*, vitámque habebit, & abundantiùs habebit hîc per gratiam, dum in his terris agit, & abundantiùs ibidem per gloriam, cùm exuerit hanc mortalitatem. O anima Christiana! Vide & considera, quàm bonum Dominum habeas, ut meritò dicere possis: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit*, dum SS. & amabilissimum COR suum non in cibum tantùm, sed & in vitæ ostium tibi offert. O felix paradisi ostium SS. COR JEsu, per hoc nunc intra devota meditatione, ut tandem in illo invenias æternam mansionem. Jo. 10, 9. Ps. 22, 1.

5. In magno quondam pretio fuit Porta illa Orientalis, quæ in templo Hierosolymitano versus orientem solem extructa, soli Re-

UVA. BHSC. BU 00661

gi in Israël patebat, sub qua stans sacrificia Levitarum spectabat, & orationem ad Deum fundebat: *Porta hæc clausa erit, non aperietur.* Ezech. 44.2.

Nec in minore pretio etiamnum est Porta illa sacra Romæ in Sancto Sanctorum asservata, quæ olim in palatio Pilati Romani Judicis Jerosolymis extabat, per quam verus Rex Israël mitissimus JEsus in passione sua aliquoties dicitur pertransisse, hanc sacram portam S. Helena Imperatrix per mare mediterraneum Romam transvexit.

Quis ignorat, quanto in pretio in eadem Alma Urbe habeatur Porta illa sancta, quæ anno Jubilæi summa cum pompa & veneratione in Vaticano à Pontifice Maximo adaperiri, & finito anni circulo rursus claudi solet? Per quam portam Christi fideles & peregrini è toto orbe congregati, etiam poplite flexo & reptando genibus in templum se conferunt, ut ibidem plenarias peccatorum indulgentias consequantur. Cui Sanctæ Portæ olim Gregorius XIII. pro lemmate inscribi voluit: *Nil coinquinatum:* alludens ad illud Apocalypseos: *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens.* Apoc. 21. 27.

Verum enim verò longè sanctior, longè glorioſior, atque securior est illa vitæ porta SS. COR JEsu: *Longinus*, inquit S. Augustinus, *aperuit mihi latus Christi lanceâ, & ego intravi, & ibi requiesco securus, in SS. CORDE JEsu.* O porta felicissima! Hîc vivo, hîc morior. S. Aug. in Manual. c. 23.

6 Olim summus Sacerdos in sanctuarium per portam Olivæ solebat ingredi: *Et in ingressu Oraculi fecit ostiola de lignis olivarum.* Per olivam autem pax & misericordia adumbrata est. Unde in diluvio juxta mentem S. Ambrosii exterminatis aliis arboribus sola oliva à DEO conservata est, ex qua columba Noëmica ramum viridem decerptum in signum pacis ac misericordiæ ad arcam portavit. O Porta Olivalis, porta pacifica? verè porta misericordiæ, quia per eam introivit Rex Gloriæ, & per quam portam, omnes debemus introire ad vitam. Et quid dico? 3. Reg. 6. 31. S. Ambr. lib. de arca Noë.

O

UVA. BHSC. BU 00661

O Sacratissimum COR JEsu, tu in veritate es illa porta olivæ, ostium pacis ac misericordiæ, per quod ostium si quis devoto & contrito animo intraverit, abundanter pascua inveniet, & vitam æternam possidebit.

Nota est illa porta aurea ac speciosa, ita appellata, quia decore, pretio, & honore cæteras portas omnes in templo superabat, per quam principalis in idem magnificentissimum templum patebat introitus; proinde ad radices hujus portæ plures mendici stare solebant, ut ibidem ab introëuntibus vitæ necessaria obtinerent. *Act.* 3, 2.

O Suavissimum COR JEsu! Tu es illa porta speciosa & aurea charitate; cætera salutis ostiola sunt quidem reliqua SS. Vulnera in Corpore JEsu, sed COR tuum, ô mi Salvator, ostium illud magnum ac speciosissimum est, quod omnibus patet, & neque pauperes ac debiles, nec claudos & mendicos à se excludit. O venerandi Domini Parochi, & Verbi Dei Præcones omnes, ite ad exitus viarum, & quoscunque inveneritis bonos & malos, vocate ad hanc auream salutis portam, & si noluerint venire, etiam compellite eos intrare per veram pœnitentiam in hoc SS. COR JEsu. Ite, inquam, in plateas & vicos civitatis, imò exite etiam in vias & sepes, & compellite miseros illos intrare in SS. COR JEsu, quia ibidem adhuc locus supereſt etiam pro miserrimis & desperatissimis peccatoribus. Ah ite!

7. David quondam in summis animæ angustiis constitutus, & molestissimis malæ conscientiæ stimulis ob perpetrata delicta agitatus, nesciebat, quem in locum à facie irati Numinis confugeret, ut ibidem securum animæ asylum inveniret: *Conversus sum*, inquit, *in ærumna mea dum configitur spina.* Levabat quidem hic Rex oculos in cœlum, sed neque ibidem ob ultricem Justitiam se tutum arbitrabatur: *Si ascendero in cœlum, tu illic es*, ut inde me præcipites. Descendebat exinde in mente sua usque ad inferni abyssum, ut ibidem tutas latebras in extimis terræ cavernis reperiret: sed etiam ibidem ultorem ac vindicem suorum scelerum deprehendit: *Si descendero in infernum, ades.* Optaverat proinde *Ps.* 31, 4.

pen-

UVA. BHSC. BU 00661

pennas, ut cum sole exurgente in extremas occidentis plagas profugeret, si forsan ibidem securum locum inveniret. Verùm neque ibidem sibi requiem invenit. *Et dixi: forsitan tenebræ conculcabunt me.* Ah erras, O Rex! neque omnes tenebræ Cymmeriæ tui operient peccati turpitudinem. *Quo ibo* igitur, reponit idem Rex, ô mi JEsu, *à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* Ah quò ibo?

Ps. 138, 6.

O mi David, si tu eo temporum intervallo vixisses, ubi SS. COR JEsu in Calvariæ jugo clave lanceæ apertum fuit, securissimum refugii locum & veræ vitæ ostium reperisses. Sic lepusculus meticulosus, ubi periculum à canibus sibi imminere cernit, ad ostium notæ sibi cavernæ in petra excisæ confugit. Unde lemma: *In petra una salus.* Sic herinacius, cùm à molossis undique impetitur, unicum suum perfugium in ostio petræ collocat: *Petra refugium herinaciis.* Sic columba timida & profuga, cùm milvum insequentem vel etiam ex umbra cognoscit, sine ulla mora ad notum sibi hospitium, quod in petra sibi elegit, se confert: *Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* O anima mea cur doles? En habes pariter refugii locum & vitæ ostium apertum, SS. ac suavissimum COR JEsu Crucifixi; hîc in omnibus mentis anxietatibus, persecutionibus, periculis, adversitatibus, & tentationibus securum invenies asylum: *Ingredere*, ait Isaias, *in petram, & abscondere in fossa humo à facie timoris Domini.* ubi Glossa habet: *Confuge ad Christum*, & Hugo, *Absconde te in Vulneribus Christi.* quibus adjungo S. Gregorium: *Per foramina petræ*, inquit, *Vulnera manuum & pedum Christi in cruce pendentis libenter intellexerim, per cavernam verò maceriæ Vulnus lateris*, seu *SS. COR JEsu.* O quàm bonum est hîc nos habitare in SS. CORDE JEsu! O bona caverna maceriæ!

Prov. 30, 26.

Ps. 103, 19.

Cant. 2, 14.

Isa. 2, 20.

S. Greg. h. apud Cornel.

Beatum Elzearium consule, comitem ditissimum, sed & pientissimum, qui aliquando ad Delphinam castissimam conjugem suam scripsit: Si me videre cupis, quære me in Vulnere lateris Christi, & in SS. CORDE JEsu, ibi me solùm poteris reperire. Ita & S. Bernardum, cùm aliquando coram effigie Crucifixi JEsu vehementiùs oraret, Christus Dominus separatis à cruce brachiis, quasi suum dilectum Benjaminum peramanter amplexus est, eúmque SS. CORDI suo blandè adstringens, locum ostendit, quonam securè & in vita & in morte se reciperet. O animæ Christianæ quid agitis? *Omnibus hîc requies alias cur quæritis umbras?* Ite ergo ad SS. COR JEsu: *Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam.*

Menol. Cisterc. 23. Mar.

Ps. 117, 19.

(O)

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XIX.

SS. COR JESU salutis nostræ sitientissimum: unde illi pro anima omnis labor levis, & dolor dulcis videbatur.



Et cùm invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens &c. Luc. 15, 5.

1. OBstupesco, imò & pudore suffundor, dum mecum ipse perpendo ingentem illam curam ac vigilantiam, quam olim Jacob in custodiendis & pascendis ovibus Labani Soceri sui adhibuit: *Die noctúque*, inquit ad Labanum, *æstu urebar & gelu, fugiebátque somnus ab oculis meis: sícque per viginti annos servivi tibi.* Gen. 31, 40. Si tanta cura de irrationali pecude, quid nos de anima rationali & ovibus Christi? O notent sibi hoc omnes animarum curam gerentes!

De Davide, antequam à caula ad aulam veniret, perhibent Re-

UVA. BHSC. BU 00661

gum fasti, quòd pro incolumitate suarum ovium generosè vitam posuerit, sic enim ipse, cùm in conspectum Regis Saulis fuisset adductus, ut ab eo arma contra Goliathum reciperet, publicè testatus est: *Pascebat servus tuus patris sui gregem, & veniebat leo vel ursus & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebámque de ore eorum, & illi consurgebant adversùm me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebámque eos: nam & leonem & ursum interfeci ego servus tuus. Erit igitur & Philistæus hic incircumcisus quasi unus ex eis.* En typum veri ac sinceri animarum pastoris, Christi oves, posthabito omni labore, ac vitæ periculo, ab inferni faucibus eruentis!

1. *Reg.* 17, 34.

Quis ignorat de fidelissimo illo Pastore, de quo Veritas ait, quòd 99. oves in solitudine reliquerit, & in fame ac siti, in æstu & gelu, in multis curis ac laboribus tam diu amissam oviculam inquisierit, donec tandem summo animi gaudio eam invenerit, quam, licèt propriâ culpâ perditam, tamen non punivit, non dirè tractavit, aut flagello castigavit, sed summâ cum benignitate exceptam in humeros suos imposuit, & ad reliquum gregem clementer portavit. O ingens amor hujus soliciti Pastoris! ad quid, obsecro, tantus labor, tanta cura ac vigilantia in unica hac scabiosa quærenda ovicula impenditur? An operæ pretium fuit, totum lanigerum gregem manifesto exponere periculo, ut ingratum hoc pecus servaretur? Vadat, si vitam non velit, in suum interitum ac præcipitium: quid importat una hæc ovis ingrata? vadat, vadat!

Luc. 15, 5.

Verumenimverò alia sunt Dei, alia hominum judicia. Collige ex hoc, quisquis es, O mortalis homo! quàm intenso & immenso amore SS. COR JEsu animam tuam amaverit, dum ob illius causam 99. oves, hoc est, 9. Angelorum choros in cœlo reliquit, & ad hæc mundi immundi deserta sese demisit, ut ovem hanc perditam (animam tuam) toto cœlo aberrantem denuo in viam salutis reduceret, & vel propriæ vitæ dispendio ab æterna damnatione eriperet. O per quot arduas vias, per quot angustias, per quot tormenta à stabulo usque ad crucem te non quæsivit sacratiss. COR JEsu! *Et cùm inve-*

UVA. BHSC. BU 00661

invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens. Supra quod pulcherrimè S. Bonaventura: *Humeri isti*, inquit, *sunt brachia Crucis, in hos humeros ovem perditam imposuit, quia ibi peccata nostra portavit.* Proinde huic divino Pastori, cui ob amorem animæ omnis labor ac cruciatus levis ac dulcis videbatur, non immeritò illud, quod ipse sibi quondam fecit, pro lemmate inscribes: *S. Bonav. in Luc.*

Onus meum leve. *Matth. 11, 30.*

2. Hunc infinitum amorem Sacratissimi CORDIS JEsu in animam humanam, dum aliquando attentiore intellectu & justâ ponderatione considerâsset Gentium Doctor Paulus, non poterat ampliùs præ admiratione se ipsum tenere, quin stupens ad Galatas exclamaret: *In fide vivo filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Quid dicis, Magne Apostole! quòd SS. COR JEsu adeò te dilexerit, ut pro te solo seipsum in Cruce tradiderit? Et nunquid pro omnibus mortuus est Christus? Et nunquid pro omnium salute hæc porta cœli (SS. COR Redemptoris nostri) aperta fuit, ut omnis, qui introierit per eam, non pereat, sed habeat vitam æternam? An fortasse non es memor ampliùs illorum verborum, quæ ipse ad Romanos scripsisti: *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum?* Si ergo pro omnibus traditus est, cur tu dicis: *Et tradidit semetipsum pro me?* Quare facis tibi particularia, quæ sunt omnibus communia? *Gal. 2, 20.* *Rom. 8, 32.* *S. Bern. serm. 42. in Cant.*

Hanc D. Pauli sententiam pulcherrimè declarat Mellifluus Bernardus: *Tradidit*, inquit, *semetipsum pro me, quia eâdem charitate, quâ mortuus est pro omnibus, mortuus est pro singulis.* Et Angelicus Doctor: *Totum, quod omnibus est impensum, unusquisque debet sibi adscribere.* Et antiquissimus Tertullianus: *Errat & una pastoris ovicula, sed grex unâ charior non erat, una illa requiritur, pro omnibus desideratur.* Ex quibus necessariò sequitur, quòd tantum, O pie Lector! SS. CORDI JESU debeas, ac si pro te solo hæc omnia tormenta sustinuisset, quæ per omnem vitam pro salute universorum exantlavit: *Adeò*, sunt verba S. Joan. Chrysostomi, *singulum quemque* *S. Thom. de Beat. opusc. 63. c. 7.* *Tertull. l. de pœn. c. 8.* *S. Chrys. ibid ad Gal. 2, 20.*

UVA. BHSC. BU 00661

que hominem pari charitatis modo diligit, quo diligit orbem universum. O homo Christiane! agnosce vel ex hoc dignitatem & pretium animæ tuæ!

Matth. 13, 46. Hæc est enim illa *Margarita* pretiosa, pro qua Mercator cœlestis vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam. *Matth.* 13, 44. Hæc est *thesaurus* ille absconditus in agro, quem, qui invenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit universa, quæ habet, & emit agrum illum. *Matth.* 21, 33. Hæc est illa *Vinea* electa, quam summus Paterfamilias in viridario Ecclesiæ suæ plantavit, quam Filius Dei proprio cruore rigavit, & Spiritus S. cœlesti gratiarum influxu fœcundavit. Torcular in hac vinea Crux est Dominica, per quam redempta est anima: sepes sunt Angeli, quibus Deus mandavit de te: Turris est fides supra firmam petram fundata, &c. *Luc.* 15, 8. Hæc est *drachma* seu gemma illa regia, quam mulier Evangelica, id est, Sapientia Divina amissam tanto studio & indefesso labore quæsivit, nec antè ab inquisitione destitit, quàm tandem per accensam lucernam illam invenerit. *S. Bonav. serm. 2. in Dom. 22.* Hæc denique est pretiosum illud *Numisma* censûs, Dei imagine insignitum: *Nummus iste*, ait S. Bonaventura, *est anima ad imaginem Dei facta.* Expergiscere igitur O homo, & dignitatem tuæ cognosce naturæ: *Habemus*, inquit Apostolus, *2. Cor. 4, 7. thesaurum istum in vasis fictilibus*, pro quo comparando pientissimus Servator orbis non omnem duntaxat sanguinem, sed & ipsum divinissimum COR suum in pretium tradidit, O immensa dignitas animæ, quæ tantùm vales (ut ita loquar) quantùm ipse Deus, qui pro illa mori dignatus est: *Eusebius Emiss. hom. 2. de symb.* *In trutina ergo Crucis*, ait Eusebius Emissenus, *non aurum vel argentum, non aliquid Angelicum, sed semetipsum passus est Author salutis appendi.*

3. Desiderásne plura de hoc amabilissimo CORDE JEsu argumenta, quàm immensa charitate animam tuam dilexerit, & etiamnum diligat? Jacobum Isaaci Patriarchæ filium considera, quomodo in summis laboribus septem annis pro formosa illa Rachele *Gen. 29, 20.* servierit, & tamen *videbantur illi dies pauci præ amoris magnitudine.* O bone JEsu! Tu non septem annis, sed triginta quatuor annis

UVA. BHSC. BU 00661

nis à tempore puriſſimæ Conceptionis tuæ pro anima, venuſtiſſima illa Rachele in frigore & æſtu, in fame & ſiti, atque in aſſiduis laboribus ſerviiſti, & tamen videbantur amantiſſimo CORDI tuo *dies pauci præ amoris magnitudine.*

Samſon ardenti amore in Dalilam Philiſtæam flagrabat, ob cujus dilectionem nullis laboribus, nullis parcebat periculis, in cujus etiam ſinu captus, excœcatus, & in mortem traditus eſt: *Poſt hæc amavit mulierem, quæ habitabat in valle Sorec, & vocabatur Dalila.* O anima Chriſtiana! plùs te amavit pretioſiſſimus Salvator tuus JEſus, quàm unquam Samſon perfidam ſuam Dalilam. Vide manus ejus trabalibus clavis perforatas, in quibus deſcripſit te. Vide pedes ejus immiti ferro in patibulario ligno transfixos, qui triginta & ampliùs annis duris paſſibus pro te fuerunt fatigati. Vide amabiliſſimum COR ejus, in bonum tuum crudeli lancea perfoſſum, in quo tibi habitaculum paravit, in quo ſumma ſuavitate in vita & in morte, imò etiam poſt mortem & per omnem æternitatem habitares. O amor! *Jud. 16. 4.*

David regiam illam Saulis filiam, cui nomen Michol, tanto amore proſequebatur, ut ob illius gratiam omnia vitæ diſcrimina illi levia viderentur, & jucundiſſimum huic amanti accidit, vitam pro ſua amata millenis exponere periculis; hinc non dubitavit cum ducentis Philiſtæis generoſum certamen inire, tantùm ut dilectâ ſuâ ſponſâ potiretur: *Et percuſſit ex Philiſtiim ducentos viros, & attulit eorum præputia, & annumeravit ea Regi, ut eſſet gener ejus: dedit itaque Saul ei Michol filiam ſuam uxorem.* O anima! ſi millies pro te mori potuiſſet amantiſſimus Servator JEſus, ſi millies pro tua ſalute SS. COR ſuum crudeli lanceæ, ſpinis & clavis potuiſſet objicere, nullum profectò certamen ob tui amorem detrectâſſet, quia ubi verus & ſincerus amor eſt, labor & dolor non eſt, hinc pro te *propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem.* *1. Reg. 18. 27.* *Hebr. 12. 2.*

4. Verùm auſcultate adhuc majora. Dicite, quare Diviniſſimum COR JEſu tanto cum amore ac patientiâ per tres annos & quid amplius perfidiſſimum proditorem ſuum Judam unà ſecum in con-

UVA. BHSC. BU 00661

sortio suo sustinuit? Quare eidem traditori suo cum cæteris Apostolis sordidos pedes tam humiliter lavit, & dulcem Panis buccellam in cœna cum reliquis porrexit? Cur illum, cùm jam in manus peccatorum traderetur, adhuc amicum vocavit: *Amice ad quid venisti*? Et econtrà Petrum fidelissimum Discipulum, cui paulò antè cœlorum claves, ac supremam in terris vicariam potestatem consignaverat, Satanam appellare non dubitavit: *Vade post me Satana*! Quid hoc est, ô mi JEsu? attonito hæreo animo, nec me ipsum possum capere præ insolita admiratione. Et cur, obsecro, Judam omnium mortalium pessimum, tuum amicum, Petrum verò Apostolorum Principem satanam appellâsti? An non utriusque cordis intima intimè quoque lustraveras: *Scrutans Corda & renes DEus*!

Matth. 26, 50.

Matth. 16, 23.

Ps. 7, 10.

Desine mirari anima Christiana hunc rarum in Christo procedendi modum. Petrus ideo satanas à JEsu vocatus est, quia animarum saluti se fortiter opposuit, cùm enim Christus Passionem suam ac Redemptionem animæ Discipulis prædiceret: *Cœpit JEsus ostendere Discipulis suis, quia oporteret eum ire in Jerosolymam, & multa pati &c.* Petrus solus passioni restitit, indignum judicans, ut Filius Dei tanta ac tam indigna pro vilissima anima patiatur: *Absit à te Domine*: & idcireo satanas, id est, adversarius meritò à Christo nominatus est, cùm satanæ munus & officium sit animarum saluti sese opponere. Econrtà Judæ tot ac tanta pietatis officia Christus exhibuit, ut illius Cordis duritiem adhuc emolliret, & animam illius ad imaginem Dei creatam ab æterna perditione eriperet; hinc eum amicum appellavit, non obstante, quòd ab illo in mortem traderetur: *quia hic*, prout observat Mansius, *licèt modo quodam impio, ad redemptionem adeò dilectarum sibi animarum cooperabatur.* Ecce! quanti æstimaverit SS. COR JEsu unius hominis animam! *Vis scire*, subintrat hîc Os Aureum, *quantum sit pretium animarum nostrarum? redempturus eam Unigenitus, non mundum dedit, non hominem, non terram, non mare, sed suum pretiosum sanguinem: quocirca dicebat Paulus: Empti estis pretioso magno &c.*

Matth. 16, 21.

Mansi Bibl. tom. 1. *tr.* 7. *dis.* 14.

S. Chrys. hom. in Psal. 48.

5. Cæterùm non parùm miratur sacer ille & eloquentissimus Græ-

cia

UVA. BHSC. BU 00661

eiæ Orator S. Chrysostomus, Cur DEus Pater Unigenitum ac dilectissimum Filium suum JEsum in Cruce morientem adeò deseruerit, ut nullum ei prorsus solatium ac refrigerium submiserit, qui tamen plerumque Sanctos suos in martyrio & agone per Angelos misericorditer jussit confortari. Hinc in Cruce pendens piissimus Redemptor ad Patrem quasi ab omnibus derelictus exclamavit: *DEus meus, DEus meus, ut quid dereliquisti me?* Heu! quid agis ô Sancte Pater? an oblitus es usque in finem amantissimi Filii tui, in quo tamen tibi semper bene complacuisti? Cùm in primo & cruento illo agone in monte Olivario ad te in terram procidens humiles preces funderet, submisisti illi de cœlo Angelum consolantem: *Apparuit autem illi Angelus de cœlo confortans eum.* Et cur non etiam in Cruce? Solvit hanc pulcherrimam quæstionem S. Doctor per sententiam affirmativam, quòd omnino Pater cœlestis etiam in Cruce morientem Filium suum consolatus sit, & quidem singulari solamine, quod de novo afflictissimum COR JEsu in ultimo agone quodammodo erexit, confortavítque, ut omnes cruciatus læto animo sustineret, cùm vidit, quòd tanta passio sua non foret frustranea. Et quodnam illud fuit solatium? Audite cœli, quæ loquor, & audiat terra verba oris mei, & vos creaturæ omnes obstupescite immensum SS. CORDIS JEsu amorem: *In horto*, inquit citatus S. Pater, *Christus confortatus fuit ab Angelo apparente, & in cruce à latrone pœnitente.* O immensum amorem! Unica hæc anima illi majori fuit solamini, quòd eam per sanguinem suum è Tartareis faucibus eripuerit, quàm si DEus Pater Angelorum myriades, imò omnes eorum choros de cœlo ad se in Cruce consolandum amandâsset. Hinc summopere, prout eleganter observat Seraphicus Bonaventura, Sacratissimum COR JEsu doluit de morte nimis properè appropinquante, & ideo ad Patrem suum ista hanc lamentabilem vocem in Cruce emisit: *DEus meus, DEus meus, ut quid dereliquisti me!* quia hoc SS. COR JEsu paratum erat usque ad supremum Judicii diem omnes istos cruciatus pro anima tua sustinere: *Christus tanto desiderio exarsit patiendi,*

Matth. 27, 46.

Luc. 22, 43.

S. Chrys. de Bono latrone.

ut

UVA. BHSC. BU 00661

S. Bonav. de med. pass. *ut tribus horis in cruce exsaturari non potuerit, sed expetierit in ea pati usque ad finem mundi.* O prodigium amoris! O immensum animæ pretium! *O anima erige te, tanti vales!* inquit D. Augustinus.

Matth. 16, 26. Et quis, quæso, pretium animæ melius noverat æstimare, quàm ipse Dei Filius? Audi, quid sentiat de anima: *Quid*, inquit, *prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* quam? quam, obsecro, dabit commutationem? Diabolus pro anima offert omnia regna mundi: *Hæc omnia tibi dabo.* Mundus offert pro anima omnem suam gloriam & pompam: Caro suas illecebras, vitæ commoda ac voluptates; sed apage hos stultos mercatores. Dic amantissime JEsu! Amor Crucifixe! quid tu vis dare pro anima?

Matth. 4, 8.

Lyreus fol. 69. Ego, reponit pretiosissimus Redemptor, offero pro anima 97305. guttas Sanguinis in monte Olivario decurrentes super terram. Offero in flagellatione mea 6666. ictus, hoc est, integram legionem. Offero in coronatione 1000. punctiones spinarum, quarum tres fuêre lethales. Offero & vulnera corporis mei universa, hoc est, 5475. quæ pro salute animæ sustinui. Offero denique cæteras Sanguinis mei guttas in passione effusas, quæ fuerunt 23000$. O ingens, ô immensum, ô inauditum pretium!

Palaot. apud me fol. 146.

Mallon. f. 63.

Sed veniam humiliter rogo, dulcissime JEsu! nondum pro hoc, licèt infinito pretio, tibi vendo animam! adhuc plus ultrà; adhuc unum restat, & quodnam illud? Veni miles, veni Longine; apprehende lanceam, aperi thesaurum totius mundi, hoc est, Sacratissimum COR JEsu, hoc enim desidero, quia Cor suum alteri in pugnus dat, & omnia sua illi dare videtur. Et ecce! adest in tempore truculentus miles, qui lanceâ latus ejus aperit, SS. COR JEsu bipartitur, de cujus intimo fonte adhuc reliquus & ultimus Sanguis & unda fluit. *Jam pretium solvit*, subintrat hic S. Augustinus, *sanguinem fudit unicus Dei Filius: O anima erige te, tanti vales*, ultimâ videlicet sanguinis & aquæ guttâ SS. CORDIS JEsu.

S. Aug. in Ps. 102.

Nunc sede, & computa sumptus animæ, quicunque tandem es, O homo Christiane! dic mihi, amabo, quomodo tu hactenus animam tuam æstimâsti? & quanti illam etiamnum æstimas? Ah pudet me dicere, vix dignam teruntio aut crucifero, dum eam ob rem vilissimam diabolo devoves, & ob voluptatulum unius momenti perdis? O animæ pretium, quàm leve pondus habes! *Cadit asina*, ait S. Bernardus, *& est, qui sublevet; perit anima, & nemo est, qui reputet?* O curatores animarum! hîc attendite, & pretium vestrorum laborum considerate.

S. Bern. ad Eug. Pap. l. 4. c. 6.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XX.

SS. COR JESU, Amatoris noſtri maximi, tanquam optimum objectum noſtri cordis meditationi præfigitur.



Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur DEUS. Pſal 63,8.

1. QUantùm poſſit in anima pia ac ſeria de SS. ac diviniſſ. CORDE JEſu meditatio, vel ex ipſis irrationabilibus animantibus habemus, quod diſcamus, & imitemur. Refert Sacer Codex, quomodo Jacob hanc ſe ditandi artem invenerit, & felici ſucceſſu probaverit. Iniit is cum Labano, homine aliàs avariſſimo, hunc contractum, quatenus oves unicolores ad ſocerum ſuum, oves verò diverſicolores ad ſe Jacobum impoſterum loco debitæ mercedis pertinerent. Quid agit hîc Jacob, ut majorem ovium partem ad ſe traheret? Virgas aliquas populeas, & amygdalinas cœpit decorticare, ita, ut ex una parte candidæ, & ex altera ſubrubicun-

UVA. BHSC. BU 00661

dæ apparerent, quas variegatas, & semicorticatas virgas canalibus; ex quibus oves aquam pro more haurire solebant, imposuit, unde factum est, ut oves ferè omnes ob illarum virgarum diversicolorem conspectum, fortémque imaginationem similes fœtus conciperent: *Posuítque eas in canalibus, ubi effundebatur aqua, ut cùm venissent greges, ante oculos haberent virgas.* Quibus pro lemmate inscribimus:

Gen. 30, 38.

Similem dant vulnera formam.

Per has virgas variegatas, candidas, & rubicundas meritò illum intelligimus, de quo Sponsa ait: *Dilectus meus candidus & rubicundus.* Candidus propter eminentem cordis puritatem, rubicundus propter passionem, & sanguinem in salutem animarum effusum. Per canalem autem, ex quo bibebant oves, videtur non incongruè fuisse præsignatum ipsum sacratissimum COR JEsu, de quo sanguis & aqua in redemptionem ovium fidelium non guttatim, sed magno cum impetu, nec mixtim, sed distinctè, ac separatim profluxêre: *Cùm extraheretur lancea de corpore,* ait B. Virgo ad S. Birgittam, *statim abundanter exibat de vulnere illo cum impetu, quasi quidam fluvius sanguinis.*

Cant 5, 10.

In Revel. ad S. Bir. c. 15.

O bone DEUS! si unicus aspectus, & contemplatio prædictarum virgarum in canali positarum tam mirabilem effectum in ovibus concipientibus potuit producere; quid, obsecro, in nobis, tanquam ovibus rationalibus non faciant Christi JEsu in Cruce suffixi, & inter latrones morientis vulnera, ac præsertim mitissimum, ac divinissimum COR ejus, utpote omnium cœlestium donorum inexhaustum gazophylacium, si illud per piam contemplationem, ac meditationem ad mentem reducamus? *Si Christum Dominum,* sunt verba doctissimi Quaresmii, *electam virgam de radice Jesse nudatam, & decorticatam, in tótque partibus rubricatam, & livore aspersam contemplabimur, fieri haud poterit, quin sui memoriam menti nostræ non imprimamus, & sanctos passionis fructus pariamus.*

Franc. Quares. t. 1. *c.* 6. *sect.* 3.

2. Et hoc est, ad quod Propheta Regius alludit: *Accedet homo ad*

UVA. BHSC. BU 00661

ad cor altum, & exaltabitur DEUS. Hoc Cor altum SS. COR JEsu Crucifixi est, ad quod homo tunc accedit, quando hæc terrena linquit, ac devitat, & Cor suum cum hoc amantissimo CORDE JEsu per piam meditationem conjungit, atque conformat. Unde Magnus ille Avila: *Ingrediamur carcerem amoris DEI, qui ingressus est carcerem amoris nostri. Funes corpus, amor Cor illi strinxit; ligetur Cor nostrum amore illius: In CORDE Christi vulnerato manebit nostrum, & ad flammam amoris illius calesiet.* *Avila de casto connubio c. 5. p. 1. ep. 36.*

De S. Catharina Senensi refert vita illius, quòd aliquando hunc pientissimum Sanguinum Sponsum amabiliter interrogaverit, quare sibi post mortem sacratissimum COR suum voluerit aperiri? cui Christus inter alias rationes etiam hanc, & quidem inter cæteras præcipuam insinuavit: *Ut per lateris aperturam secretum CORDIS mei homini manifestaretur, indéque edisceret, amorem meum, quo hominem diligo, esse infinitum.* *Mansit. 3. tr. 59. disc. 19.*

En objectum meditationis tuæ SS. COR JEsu, amoris tui centrum! O anima! accede & tu ad hoc COR altum, & si Cor tuum superbum & arrogans est? Ecce COR JEsu, ex omnibus humillimum, & usque ad mortem Crucis se humilians. Si Cor tuum avarum est? en COR JEsu liberalissimum, dedit enim omnia pro te. Si Cor tuum lascivum est? ecce COR JEsu ex omnibus purissimum, ac mundissimum. Si Cor tuum invidum est? en COR JEsu ex omnibus mansuetissimum, sinceriſſimum, patientissimum, &c. &c. Talis sincera contemplatio in Corde tuo pravam exuret scoriam, educétque aurum electum, & probatum, & conflabit ex Corde tuo *vas in honorem.*

3. Et ut hanc veritatem magis roboremus, attende ad id, quod Salomon, omnium mortalium sapientissimus, & per os ejus ipse Spiritus S. tibi, O Anima Christiana, tam seriò præcepit, & singulari quâdam energiâ inculcavit: *Sapientis*, inquit, *oculi in capite ejus.* quasi dicere vellet: qui veram in hoc mundo vult sectari sapientiam, & animæ suæ desiderat obtinere salutem, hic ante omnia procurare debet, ut oculos suos in capite habeat: *Sapientis oculi in* *Eccl. 2. 14.*

UVA. BHSC. BU 00661

capite ejus. DEUS bone! quàm mirabilis est hæc sententia? quid ais, sapientissime Monarcha! Homo sapiens oculos suos in capite habeat? ubi ergo stultus suos habet oculos? nunquid pariter in capite? & quis hominum unquam oculos suos in pedibus habuit? Suspende judicium tuum, prudens Lector! hic enim sapientissimus Ecclesiastes longè aliud caput prævidit, in quod continuò cum sacra Sponsa oculos nostros figamus; hoc autem caput non aliud est, quàm Christus JEsus & hic Crucifixus: *Caput autem est Christus,* in quo sacratissimo Capite, & in sanctissimis ejus vulneribus, ac præsertim in divinissimo CORDE ejus nos, utpote indigna membra & oves pascuæ ejus, per devotam meditationem mentis oculos sæpius habeamus oportet: *Oculi sapientis*, ait S. Gregor. M. *tunc in capite ejus sunt, dum Redemptoris sui opera, quæ imitari debeat, contemplatur.* Quid autem imitandum, colendum, & amandum magìs nobis est, quàm COR JEsu? huc oculos, mentémque nostram feramus, & gratiam hujus fidejussoris nunquam obliviscamur, dedit enim pro nobis animam suam. *Accedamus,* inquit Seraphicus Bonaventura, *ad Latus ejus, & sugamus sanguinem ejus, quia hoc beneplacitum ejus est.* Et in alio loco de SS. CORDE JEsu hæc verba habet: *Ecce, aperta est apotheca! præ nimio amore aperuit sibi latus, ut tibi tribuat COR suum; sibi etiam voluit pedes & manus perforari, ut tuæ manus intrent, & pedes tui. Inflammabitur Cor tuum. O Vulnera, corda saxea vulnerantia, & mentes congelatas inflammantia, & corda adamantina liquefacientia præ amore!*

Ephes. 4, 15.

S. Greg. l. 20. *Moral. c.* 4.

S. Bonav. stim p. 1. *c.* 19.

Idem stim. div. amor. p. 1, *c.* 1.

4. Enimverò dicet aliquis, quomodo possum de SS. CORDE JEsu cum animæ fructu meditari? audi facilem modum. Num considerâsti aliquando nobilem illum Centurionem, cui à Pilato Romano Judice custodia innocentissimi JEsu in Cruce pendentis demandata est? Ecce, cùm hic pientissimus Redemptor noster supremâ mortis horâ appropinquante Patri spiritum suum commendâsset, & valido cum clamore expirâsset: *JEsus autem emissa voce magnâ expiravit.* Cúmque ulteriùs hic Centurio observâsset, solem obscurari, petras findi, monumenta reserari, orbem terræ motu con-

Marc. 15, 37.

UVA. BHSC. BU 00661

concuti, & dextrum JEsu Latus (ubi lancea per COR, & pericardium ejus transierat) à milite transfodi, ex quo mox sanguis & aqua copiosè emanavit, DEO mentem illuminante clarè agnovit, JEsum plusquàm hominem esse, idcirco coram omnibus ibidem in Golgothæa rupe circumstantibus exclamavit: *Verè hic homo Filius Dei erat.* Neque solùm illic Crucifixi Deitatem publicè confessus, sed & teste Baronio, post Christi resurrectionem, relictâ militiâ, in Cappadocia DEO unicè militans, ob fidei orthodoxæ professionem à Judæis trucidatus est. Res stupenda, quæ non immeritò in admirationem me trahit, quòd hic Centurio inter tot millia adstantium tunc solus Crucifixi Deitatem agnoverit, & sine mora ad illum conversus fuerit. Et nunquid etiam alii Christum in patibulo morientem viderant, & confiderabant? cur hic convertitur, cæteris ad peccata pristina redeuntibus?

Hîc advertas, rogo, prudens Lector, quod mox S. Marcus subjungit, qui hunc Centurionem ex adverso stantem, & Christum Crucifixum contemplantem inducit: *Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat.* Nota hîc tò *STABAT*, non præteribat, cæteri enim erant prætereuntes. *Et prætereuntes blasphemabant eum.* Aspiciebant quidem Crucifixum JEsum cum extremis doloribus luctantem, sed obiter tantùm: intuebantur quidem SS. Vulnera, & apertum COR JEsu, sed per transennam: hic verò in ipso conspectu Redemptoris *stabat*, perpendens altiùs luctuosissimam morientis faciem, profundissima suspiria, amaras lacrymas, cruciatus immensos, patientiam infinitam, & purpureum sanguinem ex omnibus vulneribus copiosè promanantem, ac denique, quòd ipsum COR suum tradiderit transfigendum; hic serius Crucifixi aspectus, & contemplatio vulnerum prædictum Centurionem non aliter, quàm magnes ferrum ad SS. & amorosum COR JEsu pellexit, ut non abhorreret publicè coram omnibus Deitatem Crucifixi JEsu profiteri: *Verè hic homo Filius Dei erat.* *Marc.* 15, 39.

Audis hoc, anima Christiana, quid unica meditatio, ac serius Crucifixi Salvatoris aspectus in Centurione potuerit? imitare, si

UVA. BHSC. BU 00661

salutem tuam amas, hoc pulcherrimum militis exemplum, quod tibi in monte Calvariæ monstratum est. *Sta* pariter ex adverso cum hoc centurione, *& respice in faciem Christi tui;* demitte exinde oculos tuos ad sacratissimum, & vulneratum COR JEsu, ac considera, *quis* sit ille, qui tam indigna patitur. *Sta*, & meditare, *quid* patiatur. *Sta*, & perpende, *pro quibus*, & quàm ingratis hominibus patiatur. *Sta*, & contemplare, *cur*, & in quem finem tanta sustineat tormenta. *Sta*, & recogita, quid hactenus pro tot beneficiis tuo Redemptori, Patri amantissimo, Benefactori maximo, ac tandem Judici integerrimo rependeris, nec discede priùs ab hoc Crucifixo tuo Servatore, & sacra ejus effigie, donec pium aliquem affectum, & motum in mente tua senseris: sic fieri non poterit, quin Cor tuum, licèt petrâ, & saxis durius per talem piam, ac seriam meditationem, præsertim divinissimi CORDIS JEsu frangatur, & oculi tui in compatientes lacrymas solvantur. *Nemo*, inquit Blosius, *Christi Crucifixi effigiem oculis compassionis aspicit, quin ab ipso Crucifixo respiciatur oculis pietatis.*

Ps. 83, 10.

Blosius in Instit. spirit. c. 6.

5. Occurrit hîc mihi, idque ad intentum meum, quod refert Franciscus Stradiera de Raphaële Urbinate pictore, qui, cùm in hac arte pictoria inter omnes illius ævi pictores solum Michaëlem Bonarotam observâsset summè excellere, ejúsque manum, ac modum pro suo modulo in arte pingendi discuperet imitari, quid fecit? In absentia Bonarotæ importunis precibus, ac pretio non levi à servis ejus impetravit, ut cubiculum Bonarotæ ad tempus aliquod posset introire. Hæsit in hoc cubiculo sine cibo & potu Raphaël integro die, considerans attentiore animo è diversis, & necdum absolutis ejus imaginibus modum, artísque ingenium, quo in pingendo Bonarota solebat uti, & quomodo pari modo illam pingendi methodum imposterum posset pro viribus imitari. Et ecce! unica hæc dies dum in quiete ad singula attendebat, tantùm illi profuit, ut imposterum Raphaël Urbinas factus sit pictor celeberrimus, & altero die pingens se ipsum vicerit, & velut alterum Bonarotam in hac arte induerit.

Stradiera Italicè inganni. tr. 4. c. 8.

Hoc

UVA. BHSC. BU 00661

Hoc tibi suadeo, quisquis es, prudens Lector, ingredere de die semel cubiculum tuum, in quo tibi imaginem crucifixi Redemptoris tui pro objecto tuarum meditationum propones; hîc pinge per memoriam, intellectum, & voluntatem, tanquam tres animæ potentias, adjungendo affectus commiserationis, gratiarum actionis, contritionis, admirationis, amoris, fiduciæ, & imitationis. Hîc labora juxta illum S. Pauli locum: *Ante quorum oculos JESUS Christus præscriptus est in vobis crucifixus.* Gal. 3, 1. Ubi Syrus in Bibliis maximis habet: *Ecce quasi pingendo depictus fuerat JEsus Crucifixus.* Hîc imitare naturam, ac sedulitatem apum ad conficiendum tibi mel devotionis, nunc volando ad sacrorum pedum vulnera, nunc te elevando ad SS. manuum foramina, nunc transeundo ad ipsum dilectissimum, ac divinissimum COR JEsu, ideo apertum, & in æternum apertum permansurum, ut optatum ibi reperias animæ asylum, in laboribus requiem, & dulce manna, quo in tot curis, miseriis, ac tentationibus animam deficientem possis reficere. Audi in hanc rem mellifluum Bernardum, verbo & exemplo tibi præeuntem: *Accede*, inquit, *tandem ad COR humillimum altissimi JEsu per januam lateris lanceati, ibi thesaurus ineffabilis charitatis latet, ibi nova devotio invenitur, inde lacrymarum gratia extrahitur, discitur mansuetudo, patientia in adversis, compassio in afflictis, & præcipue COR contritum, & humiliatum ibi invenitur.* S. Bern. Tr. de pass. D. N. c. 44.

6. Perpendamus pro dictorum confirmatione, quod aliquando Augusto Imperatori evenit, ad quem miles quidam non infimæ conditionis, cùm in jus vocatus esset, & de capite periclitaretur, accessit, supplicem libellum illi porrigens, ac humiliter flagitans, quatenus sibi in judicio adesse dignaretur. Ad quem Cæsar: *Commendavi causam tuam alteri*, inquit, & vicarium constitui, qui mei loco defensionem, & patrocinium tuæ personæ aget. *Sed non ego, ô Cæsar*, reponit miles vociferans, *commendavi causam tuam alteri.* Cùm enim in bello Actiaco de vita, honore, & regno periclitareris, non alium vicarium quæsivi, sed ipse pro te pugna- Le Blanc. in Ps. 129. v. 6.

UVA. BHSC. BU 00661

pugnavi, simúlque cicatrices vulnerum in pectore suo ostendit, quæ pro salute Cæsaris quondam sustinuisset. Erubuit ad hæc vehementer Augustus, & ne apud cæteros superbus, aut ingratus haberetur, ipse cum hoc milite in advocationem descendit, ejúsque causam defendit, & illi vitam conservavit.

Age, anima Christiana! ad te hic pertinet sermo meus. Cùm de tua æterna salute in Judicio Divino ageretur, DEUS in tui auxilium non Angelum, aut alium quemdam legatum submisit, sed Filium suum unigenitum de cœlo amandavit, qui tuus Advocatus fieret, & per passionem, ac mortem suam in cruce ab interitu te redimeret. Et tu anima ingrata! pro honore Eucharistici, aut Crucifixi Redemptoris tui vix pedem de terrâ levare, vix unicam injuriolam illius causâ tolerare, vix in adversis vel levem patientiam exercere vis? En! monstrat tibi pretiosissimus Redemptor tuus etiamnum sacratissima sua Vulnera, & per apertum latus ipsum divinissimum COR suum, unicum Patris gaudium, habitaculum Spiritûs Sancti suavissimum, Primogenitum Matris Virgineæ, & deliciosissimum animarum sanctarum paradisum. Et hæc omnia tepidum ac durum Cor tuum ad redamandum ex toto Corde hoc SS. COR JEsu non permoveant? Nunquid si centum, si mille, si infinita haberes Corda, ea omnia, ac singula pro honore, & exaltatione hujus SS. CORDIS JEsu te oporteret impendere? *Si haberem COR unum*, ait S. Bonaventura, *quod majus esset, quàm si simul essent omnia corda filiorum hominum, & omnes Angelorum affectus: adhuc tanto Domino munusculum parvum, imò quasi nihil esset: quantò magis ergo illam parvam scintillam cordis, quam habeo, tibi dabo.*

S. Bonav. Stim. p. 2. c. 3.

7. Imitare denique naturam pullorum, qui, cùm vel umbram accipitris in aëre circumvolitantis advertunt, sine mora ad matrem suam gallinam recurrunt, sub cujus alarum præsidio non tam proteguntur, quàm & mira charitate foventur, unde lemma: *Fovet, atque tuetur.*

Solent autem proles illæ, quæ Cordi Gallinæ matris suæ viciniores adhærent, cæteris sub alis tantùm degentibus, longè esse vivaciores, quia plus caloris à Corde illius, quàm reliquæ de pennis tantùm recipiunt.

O anima Christiana! vide hîc & considera pulcherrimum typum SS. CORDIS JEsu, qui seipsum ejusmodi gallinæ assimilavit: *Quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas &c.* Si vis ergo ab insidiis infernalis accipitris, mundi, & carnis defendi, sub pennis quidem ejus in cruce extentis tutum asylum reperies; sed longè vivacior in SS. & amabilissimo illius CORDE efficieris. Proinde ad hoc COR altum Eucharistici & Crucifixi JEsu tui sæpius per devotam meditationem accede, & invenies in eo optatam requiem ac tandem vitam æternam.

Matth. 23. 37.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XXI.

SS. COR JESU, quod usque in finem dilexit nos, parem quoque amorem & Dei & proximi à Corde nostro requirit.



Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Joan. 13, 34.

1. POstquam David plenius per experientiam didicit, DEum per suam essentiam, præsentiam, ac potentiam ubique existere, & intima cordis humani abscondita rimari, ut omnes imposterum peccandi occasiones, quibus aliàs Principum Aulæ scatere solent, ex integro evitaret, virtutémque cum ardore sequeretur, pennas à DEO Cordi suo impensè postulavit, quibus instructum ab hominum consortio se elongare, & super mare in desertam quandam insulam posset transvolare, ubi solum per reliquum vitæ curriculum cum Deo solo ageret, & admissa delicta

UVA. BHSC. BV 00661

Pſ. 54. 7. Pſ. 138. 8. expiaret: *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam.* Et in alio loco: *Si ſumpſero pennas meas diluculò, & habitavero in extremis maris &c.*

Quærunt hîc Sacrarum Litterarum Periti, quidnam per has pennas, quas ſibi Cor Davidis quondam tot ardentibus votis optaverat, propriè ac genuinè intelligatur? Reſpondet ad intentum Le Blanc illuſtris Pſalmorum Interpres: *Duæ alæ Sanctorum ſunt duplex Charitas, Dei ſcilicet atque proximi.* his duabus alis ſi Cor noſtrum inſtructum eſt, rectà ſurſum in cœlum volabit: *Dilectio,* ſubintrat hîc S. Bernardus, *habet duas alas, ala dextra eſt dilectio Dei, ala ſiniſtra eſt dilectio proximi, nec ſola dilectio proximi ſine dilectione Dei valet.*

le Blanc. in Pſ. 54. v. 7.

S. Bern. tract. de diligendo Deo fol. 297.

Et ſicut avis unâ tantummodo alâ nequaquam volare, aut in altum ſe levare poteſt, ſed omninò neceſſe eſt, ut duas habeat pennas: ſic *nullus homo*, pergit in alio loco idem mellifluus, *cum una ala poterit volare ad cœlum, quare? quia nec ſola dilectio Dei ſine dilectione proximi, nec ſola dilectio proximi ſine dilectione Dei valet ad conſequendam æternam beatitudinem.*

Idem ſer. 13 de modo bene vivendi.

Proinde non immeritò columbæ unâ tantùm alâ inſtructæ, & ab hac terra volatum ſuum in cœlum ſed fruſtrà dirigenti, impones in Schemate:

Non ſufficit una.

2. Et hoc eſt, quod SS. ac diviniſſimum COR JEſu à corde noſtro requirit, ut ſit pariter alatum, & duabus his pennis inſtructum; unde cùm jam ad Patrem ex hoc mundo per Paſſionem ſuam transire vellet, acrem hunc ſtimulum pro ſingulari valedictionis memoriâ nobis reliquit: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Et quomodo, dices, mandatum novum hoc eſſe poteſt? Et nunquid in Veteri Teſtamento hoc idem mandatum à Deo impoſitum fuit? Conſule Librum Deuteronomii c. 6. v. 5. & Levit. c. 19. v. 18.

Joh. 13, 34.

Reſpondent ad hoc Interpretes, non ideo à Chriſto dici novum man-

UVA. BHSC. BU 00661

mandatum, quia recenter impositum, sed quia semper in novitate sua conservandum est, ut nunquam in nobis quasi vetus obsolescat, lex enim cùm nova est, strictè solet observari. Et sicut ignis, nisi novo alimento nutriatur, facilè & citò extinguitur, ita charitas Dei & proximi in Corde nostro novis semper accessibus crescere & augmentari debet. De qua veritate figuram subministrat Leviticus, ubi DEus præcepit, ut ignis in altari perpetuò arderet, & per Sacerdotem sedulò nutriretur, qui manè ac vespere per dies singulos nova itendidem ligna subjecit, &c. *Levit. 6, 12.*

Et quemadmodum SS. COR JEsu sine ullis nostris meritis priùs dilexit nos, sic pariter Cor nostrum proximum diligat necesse est, mutuóque amore illum præveniat, ac vitam, si opus erit, pro salute animarum impendat: *Mandatum habemus à DEO, ut qui diligit DEum, diligat & fratrem:* hoc enim ille præcepit, qui de se dixit: *Ego sum Via, Veritas, & Vita:* Via in exemplo, Veritas in promisso, & Vita in præmio. *1. Jo. 4. 21. Jo. 14, 6.*

3. Hanc geminatam dilectionem Dei & proximi, quo jugiter Cor nostrum flagrare debet, pulcherrimè adumbrârunt duo illi aurei Cherubini, ad utrumque Propitiatorii latus collocati, quorum unus alterum assiduò respexit, & nec latum quidem unguem ab alio deflexit: *Extendentes alas, & tegentes propitiatorium, séque mutuò & illud aspicientes.* *Exod. 37, 9.*

Per Propitiatorium rectè intelliges SS. COR JEsu, quia factum est apud Patrem propitiatio pro peccatis nostris, ad hoc ergo diviniſſimum COR JEsu respiciat amor Cordis nostri tum in Deum, tum in proximum: *Habeto*, inquit S. Augustinus, *charitatem in Deum, & in proximum, & eris sedes Dei, pertinebis ad Cherubim.* *S. Aug. in Ps. 98.*

Hanc utramque charitatem præsignavit scala illa miranda, per quam Jacob Angelos Dei ascendentes & descendentes observavit, supra quod eleganter S. Laurentius Justinianus: *Per dilectionem Dei ascenditur, & per dilectionem proximi descenditur*, & tamen eadem charitas est, quâ proximus in Corde nostro amatur propter Deum, quia ejus imago est, ut non solùm comparativè, aut appretiati- *Gen. 28, 12. S. Laur. Just. lib. de obed. c. 28.*

UVA. BHSC. BU 00661

tiativè ſuper omnia diligatur, ſed etiam ut omnes quoque noſtræ actiones ad eum finaliter referantur.

Hunc geminũ amorem præfiguravit pretioſus ille Thronus à pacifico Salomone ex puriſſimo auro & candidiſſimo ebore præparatus, cujus ſedile duæ manus ſibi invicem incluſæ tenebant: *Et duæ manus hinc atque inde tenentes ſedile &c.* *Sic*, inquit Dionyſius Carthuſianus, *dilectio Dei & proximi ſe mutuò complectuntur.* Manus dextra charitas Dei eſt, & ſiniſtra charitas proximi. Si ergo tibi vis ſedem æternam, & thronũ regium in cœlo præparare, juxta exemplar SS. CORDIS JEſu, ama Deum & proximum: *Non enim proximum diligit*, ait Innocentius III. *quem inediâ perimit, & egeſtate conſumit, neque Deum diligit ſuper omnia, qui præfert aurum, & præponit argentum.* Vide hîc Lector, quàm falsò tibi de amore in Deum blandiaris, ſi fratrem ac proximum tuum non diligas.

3. *Reg.* 10, 18. *Dionyſ. Carthuſ. ſup.* 1. *Petri c.* 4. *a.* 8. *S. Innoc. III. lib.* 2. *de cont. mundi c.* 11.

4. Auſcultemus majora. Cur Moyſes duas illas ſanctas legis tabulas ex pretioſo lapide manu Angelica elaboratas, cùm populum Iſraëliticum tripudiantem, & vitulum aureum adorantem vidit, ſine mora confregit, & à ſe cum indignatione abjecit: *Iratus valde projecit de manu tabulas, & confregit eas?* Mitiùs Moyſes! ad quid iſta pretioſa perditio? ubi reſpectus in Deum, qui ipſe proprio digito in his tabulis decalogum conſcripſit? quid in te peccârunt geminæ iſtæ & gemmeæ tabulæ? cur ſaltem non unam reſervâſti integram? Obſervate Myſterium. In his duabus tabulis ſcripta erant præcepta, amorem Dei & proximi unicè concernentia, quia ergo populus legem Dei prævaricatus eſt, dum idolum ex auro conflatum adoravit, per facilem & certam conſequentiam Moyſes concluſit. Ergo neque mandata, quæ proximum tangunt, hic populus obſervabit: confringantur itaque ambæ legis tabulæ, cùm una ſine altera nequaquam poſſit conſiſtere, hinc Caſſiodorus: *utrumque conjunctum, utrumque ſociatum, ut nec Deus ſine proximo ametur, nec proximus ſine Deo diligatur.*

Exod. 32, 19.

Caſſiod. ſup. Pſal. 12.

Amor Dei & proximi circino non eſt abſimilis, qui, ſi circumducitur, in eodem puncto, à quo inceperat, iterum terminabitur, ut

UVA. BHSC. BU 00661

ut orbem perficiat. En, Anima Christiana! sic proximus in Corde tuo amari debet purè propter Deum, in quo puncto ac centro omnia præcepta terminantur, cæteræ leges ac virtutes sunt circumferentia, sed amor punctum est: *Qui enim diligit proximum, legem implevit*, & in eodem loco: *Plenitudo legis est dilectio.* *Rom. 13, 18.*

Amor Dei & proximi sunt duo luminaria, majus & minus, Sol & Luna, post solem enim sequitur luna, & iterum post lunam sol: *Sed scito*, ait Oliva, *in lunam à sole lucem esse refundendam, non placet amor in proximos, qui aliunde, quàm à Dei amore emanat.* *Oliva tom. 2. strom.*

5. Vultis adhuc plura ejusmodi geminæ charitatis Symbola? Dicite, cur olim Deus præcepit, ut omne Sacrificium sale condiretur: *Quidquid obtuleris Sacrificii, sale condies?* Ad quid sal in omni Sacrificio? Advertite. Sal ex duobus elementis componitur ex igne & aquâ. En typum veræ charitatis, nullum enim opus SS. CORDI JEsu ita placet, quàm si ex charitate fiat, unde monet Veritas: *Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos.* *Levit. 2, 13.* *Marc. 9, 49.*

Cur olim Deus voluit, ut Pontifex vestimentum ex cocco bis tincto gestaret: *Facient autem Superhumerale de auro & hyacintho & purpurâ coccóque bis tincto?* Respondet S. Gregorius Magnus, quòd per illum coccum charitatis Cordis nostri subaudiri debeat. Erat autem pretiosus ille coccus bis tinctus, qui geminam dilectionem, & Dei & proximi in Cordibus nostris indicat. *Exod. 28, 6.* *S. Greg. hom. 16. in Ezech. c. 40.*

Cur quondam animalia illa non tam ab usu sacrificii, quàm etiam ab esu ut immunda fuerunt rejecta, quæ non divisam ac bisulcam habebant ungulam: *Omne, quod habet divisam ungulam, & ruminat in pecoribus, comedetis?* En iterum eleganter typum geminati amoris, qui per fissam animalium mundorum ungulam adumbratus est: *Quamvis multùm jejunes*, ait devotissimus Blosius, *quamvis eleemosynas largiter tribuas, quamvis templum assiduè ingrediaris, jugitérque ores, quamvis cœleste illud sacrificium quotidie in altari offeras; si fratrem odisti, non es de numero filiorum Dei. Charitate filii Dei à filiis diaboli secernuntur.* O *Levit. 11, 2.* *Blos. par. an. c. 31.*

UVA. BHSC. BU 00661

notent sibi hoc Sacerdotes, Religiosi, & sæculares omnes! O notent sibi hoc! De quibus Osee: *Divisum est cor eorum.*

Osee. 2, 10.

6. Transeo ad novum Testamentum. Dicite, cur optimus ille Samaritanus pro peregrino Jerichuntino sanando & alendo duos hospiti denarios exsolvit: *Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario?* Rationem assignat S. Augustinus: *Duo denarii,* inquit, *sunt duo præcepta charitatis.* Quare Christus Dominus ad prædicandum & disseminandum sacrosanctum Evangelium binos Discipulos hinc & inde in diversa castella, pagos & oppida dimisit: *Et misit illos binos ante faciem suam.* Causam adstruit S. Gregorius, ut per hoc duplex charitatis præceptum insinuaretur: *Dominus binos in prædicationem Discipulos mittit, quia duo sunt præcepta charitatis, Dei videlicet amor & proximi.*

Luc. 10, 35.

S. Aug. in quæst. Evang.

Luc. 10, 1.

S. Gregor. hom. 17. in Evang.

Quare mitissimus orbis Redemptor Christus viduam illam pauperculam adeò dilaudavit, quòd plus in gazophylacium templi, quàm cuncti cæteri divites miserit, cùm tamen solùm duo minuta, aut duos quadrinos (ex quibus quinque unum bajocum aut cruciferum faciunt) in ærarium projecerit: *Et convocans Discipulos suos ait: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc plus omnibus misit.* Rationem assignat Bessæus & alii, quia hæc duo minuta geminum amorem, Dei videlicet & proximi præfigurabant; hic enim omnia dat, qui Cor suum DEO præbet, atque ex toto Corde suo juxta exemplar sacratissimi CORDIS JEsu Deum ac proximum amat.

Marc. 12, 42.

Quare quinque illæ Virgines fatuæ à cœlestibus nuptiis à Divino Sponso fuerunt exclusæ: *Amen dico vobis, nescio vos?* Causam indicat ipse sacer Scriptor; *Non sumpserunt oleum secum*: per quod oleum Lyranus charitatem in Deum & proximum subaudit, quod in earum lampadibus, hoc est, in Corde earum, velut in amoris sede erat extinctum.

Matth. 25, 12.

7. Collige ex his dictis Christiane Lector, quàm necessariò Cor tuum Deum amare debeat & proximum. Amor hic est primum illud mobile, quod omnes reliquos inferiores virtutum cœlos com-

UVA. BHSC. BU 00661

commovet; Sol est, qui omnes stellas ac cœli mystici sidera illuminat. Vestis nuptialis est, quâ qui indutus est, sine dubio ad nuptias Agni perveniet, quia domestici ejus vestiti sunt duplicibus. Mons ille est, in quo cum Lotho te oporteat salvari, si cum Sodomitis æternùm non velis comburi: *In monte salvum te fac.* Auriga est, ipsum Cor amantis in cœlum vehens. Experto crede Augustino, sæpius ita ad DEUM & ad SS. COR JEsu suspiranti: *Amor meus, pondus meum, illuc feror, quocunque feror*: de cujus Corde scribitur, quod adhuc certis temporibus ad DEum, velut si adhuc viveret, æstuare, aspirare, & quibusdam motibus subsilire soleat, ac tunc præsertim, quando in solenni hymno *Te DEum &c.* Sanctus, Sanctus, Sanctus decantatur. *Nadas. in Anno cœlest. 28. Augusti.*

Idem Sanctus à S. Gertrude quondam visus est in cœlesti paradiso singulari pulchritudinis gloriâ decorus, de cujus Corde ad SS. COR JEsu splendores ignei emittebantur, per quos ejus ignita eloquentia, quâ corda hominum ad amorem Dei inflammabat, ei divinitus manifestata est. Aliâ vice eadem Sancta Divum illum Antistitem vidit Cor suum divino dilectionis jaculo transfixum DEO in modum pulcherrimæ rosæ ambabus manibus offerentem. O utinam Cor nostrum simili amore & ardore in Deum ac proximum arderet! O divinissimum COR JEsu! accende denuo hunc amoris ignem in Cordibus nostris. Expelle, ah expelle amorem proprium, qui quasi quibusdam catenis Cor nostrum vincit & adstringit, ne Deum, sicut tenemur, ex toto Corde, & proximum sicut pupillam oculi nostri diligamus. *Idem loc. cit.*

8. In hac dilectione Dei & proximi eminebat fidelissimum Cor dilecti JEsu Discipuli & dilecti MARIÆ Filii S. Joannis Evangelistæ, qui jam senex 99. annorum, cùm ante obitum suum omnium concionum de dilectione proximi epilogum peculiarem faceret, hanc medullam addidit: *Filioli diligite alterutrum.* Rogatus, cur eandem semper clausulam in collectis suis ingeminaret? respondit: *Quia præceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit.* Audis hoc, *sufficit?* *S. Hier. in ep. ad Gal.*

Vide

UVA. BHSC. BU 00661

Vide ergo & considera, anima Christiana, qualem charitatem dilectus ille Apostolus è dulcissimo CORDE JEsu hauserit. Proinde existimat Divus Ambrosius, quòd non solùm Joannes in SS. PECTORE Christi JEsu, sed & JEsus vicissim in pectore S. Joannis recubuerit. Vis in eodem SS. CORDE JEsu æternùm quiescere, ama Deum & proximum.

S. Ambr. serm. 1. de Epiph.

Alterum exemplum tibi Cor S. Ignatii Societatis JEsu Fundatoris glorioſissimi exhibet, suis moribus & virtutibus ac præsertim dilectione Dei & proximi SS. COR JEsu accuratissimè in se depingentis, cujus ignita charitas totum terrarum orbem complexa est, dum omnium salutem & conversionem flagrantissimè desideravit, qui quandoque sublimis à terra inter orandum splendidâ apparens facie, auditus est dicere: *O Deus! O Domine! si te homines nossent! Deus amor cordis mei &c.*

Nadas. in an. cœl. die 31. Jul.

Recentius illud est, quod cum V.P. Rocho Gonsalez ex eadem Societate JEsu accidit, qui Vir planè Apostolicus zelo animarum impulsus usque in Americam penetravit, ut ibidem gentiles ad fidem Christi converteret. Tandem post ingentem collectam animarum segetem à barbaris captus, vinculis adstrictus, & crudelem in modum interfectus est, dum caput ejus crebro verbere contusum, tandem immiti ferro resecuerunt, corpus autem truncum & exanime cum devota quadam crucifixi imagine, quam è pectore gestaverat, in ignem projecerunt. Et ecce ingens prodigium! Postridie cùm gentiles ad crudelitatis suæ spectaculum redirent, non tantùm sacram illam Crucifixi JEsu effigiem in ignibus illæsam, sed & cadaver ejus truncatum, penitus innoxium invenerunt, reliquis rogo & lignis in cinerem resolutis, ubi novum miraculum accidit, dum vox Cordis venerandi illius Sacerdotis gentiles attonitos & in obtutu defixos sic allocuta est: *Cur occidistis me, qui vos dilexi, qui vos quæsivi, qui solùm vestræ salutis causâ huc usque peregrinatus sum? Occidistis corpus meum, & ossa mea contrivistis, at non animam, quæ jam inter Beatos versatur in cœlo: veniam ad opem vobis in vestris calamitatibus ferendam.* Vide hìc & attende prudens Lector, veram charitatis victimam! O mortales omnes discite, ac vos præsertim, quibus animarum cura à Deo ac Superioribus demandata est, qualiter Deus & proximus amandus sit: *Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.*

P. Joan. Weyer S. I. in Fil. Adopt. to. 3 l. 1 c. 6. §. 6.

Epheſ. 5, 1.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XXII.

SS. COR JESU propter scelera nostra attritum, Cor quoque contritum & humiliatum à nobis exigit.



Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Ps. 146, 3

1. SAcrificia quondam diversa Deus diversis anni temporibus à populo suo electo exigebat. Pro Paschate agnum immaculatum sibi à populi multitudine voluit immolari. Pro Pentecoste primitias panum exegit. In Festo Tabernaculorum cæterarum frugum primitiæ offerebantur. In Festo Expiationis à summo Pontifice vitulus & aries; à senioribus verò populi duo capri ad ostium tabernaculi offerendi erant, quorum unus pro peccatis totius gentis immolatus, & alter liber in desertum dimissus est. Tempore partûs & purificationis à parentibus duos turtures, aut duos pullos columbarum postulavit, &c. Verùm inter omnia

Exod. 12, 3. *Levit.* 23, 17. *Levit.* 23, 40. *Levit.* 16, 3. *Levit.* 12, 8.

UVA. BHSC. BU 00661

hæc sacrificia, & oblationes nullum Divinæ Majestati adeò acceptum fuit, ac Cor contritum & humiliatum hominis verè pœnitentis. Quid enim Deus bovis, ovis, aut hirci occisionem, & concremationem curat, si Cor offerentis longè ab illo est? unde David pœnitens:

Ps. 50, 18. *Si voluisses Sacrificium, dedissem utique.* sed per experientiam scio, quia *holocaustis non delectaberis.* Ast ubi idem Rex DEO suo Cor contritum & humiliatum, atque ad omnem satisfactionem paratum obtulit, & veniam, & gratiam meruit obtinere. Proinde lætus decantavit, & pro solatio nostro scriptum reliquit illud orbi decantatum: *Cor contritum & humiliatum, DEUS, non despicies.*

Ps. 146, 3. Et in alio loco: *Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum,* hoc est, sanans Corda contrita à morbo lethali peccatorum,

Luc. 10, 34. & velut bonus Samaritanus appropians alligat vulnera, *infundens oleum & vinum.* Quod optimus Deus in Cruce tunc fecit, quando

Joan. 19, 34. militis lancea dextrum ejus latus usque ad diviniſſimum Cor, & pericardium penetravit, ex quo *continuò exivit sanguis & aqua:* sanguis, ut Martyrium signaret; aqua verò, ut Baptismum & pœnitentiam exprimeret, ubi Cor contritum ob offensum Deum, tanquam summum & unicum Bonum, in amaras lacrymas effunditur:

Lib. 3. *sup. lam. Hier. c.* 2. *Nullum munus*, ait S. Hieronymus, *Deo acceptabilius est, quam compunctio cordis, prolata ex radice veræ dilectionis.*

2. Hanc veritatem de Corde contrito & humiliato per aliqua Emblemata conati sumus non tam adumbrare, quàm & magis dilucidare. Finge tibi Genium, qui botrum maturum manu continet, eúmque usque ad lacrymas in phialam exprimit cum Lemmate: *Quàm dulce dolere!* Finge tibi pro alio Emblemate pretiosa aromata, quæ, si integra permaneant, nullum suavem emittent odorem, sed, si pistillis in mortario contundantur, fragrantiam miram per aëra spargent cum Lemmate: *Contusa fragrant.* Aut pone tibi ob oculos fornaculam Chymicam, seu fornacem stillatoriam, in qua igne intùs agente pretiosus liquor, seu quinta essentia ad instar lacrymarum copiosè emanat cum Lemmate: *Est honor & lacrymis.* Vel considera pro Symbolo vineam, tempore veris falce & cultro

UVA. BHSC. BU 00661

cultro aduneo à vinitore putatam, de cujus vitibus lacrymarum rivuli ubique profluunt cum Lemmate Italorum: *Doppo le lagrime i frutti.* aut Latinè: *Post lacrymas jam fundet opes.* Vel denique finge tibi (prout hîc ad propositum nostrum in schemate tibi exhibemus) aliqua corda humana, gravissimo saxo molari pressa & coangustata, quibus Cordibus non incongruè illud Picinelli pro Lemmate inscribes: *Contrita placebunt.* Aut, si fortasse magìs tibi ad intentum arridet:

Cœlo contrita resurgent.

O Anima Christiana! vide, quàm gratum SS. CORDI JEsu sit Sacrificium Cor contritum & humiliatum. *Nullum*, ait Blosius, *in hac vita charius dignúsque Sacrificium Deo Omnipotenti offerri potest, quàm Cor humile atque obediens.* Ejusmodi enim Cor contritum & humiliatum uva pressa, aroma contusum, fornax distillatoria, divino amoris igne intùs accensa, & vinea dilecta Domini Sabaoth est, quæ, licèt ab initio ex consideratione gravitatis peccatorum, & ob offensum tantum, ac tam infinitum Bonum animam amaritudine repleat: *Potásti nos vino compunctionis:* attamen in fine Cor plenum cœlesti consolatione relinquit. Hinc omnes Psalmi Pœnitentiales, prout observat S. Bonaventura, incipiunt à lacrymis, & terminantur in exultatione. *O quantùm in se dulcoris habet pœnitentia*, exclamat S. Antiochus Abbas, *quàm est suavis! eò maximè, quia suavis est Dominus noster malè à nobis commissorum facilè immemor, benignus, miserator humani generis; imò animarum amantissimus, modis omnibus prospiciens nostræ omnium saluti.*

In Apol. pro Thaulero c. 6.

Ps. 59, 5.

S. Antiochus Abbas hom. 77.

3. An observâstis aliquando, quod probati Authores de sanguinatione cadaverum ad præsentiam homicidarum commemorant? Certè sanguis innocui Abelis, quem Cain in agro interfecit, absque ulla mora à Deo, justissimo omnium malorum Vindice contra impium suum interfectorem vindictam expetiit: *Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra?* imò & ossa arida per ejusmodi sanguinationem sæpe visa sunt contra suos persecutores vindictam postulare. Ita refertur de Reliquiis & aridis ossibus Tho-

Gen. 4, 8.

UVA. BHSC. BU 00661

mæ Herofordienſis in Anglia quondam Epiſcopi ſanctitate celeberrimi, quæ Reliquiæ, poſtquam longo poſt mortem ejus intervallo in conſpectum Comitis Gloverniæ, priùs hunc pium Antiſtitem ob Catholicæ fidei conſtantiam extremè perſequentis, veniſſent, ſubitò copioſum cruorem effuderunt.

Non abſimilem caſum recenſet Beyerlinck in Theatro Vitæ Humanæ quòd Faber quidã cultrarius non procul à civitate Viennenſi in Auſtria turpis lucri gratiâ peregrinationis ſuæ ſocium interfecerit, & in denſa ſylva occiſi cadaver ſepeliverit. Accidit, ut poſt 20. annos Nobilis quidam Auſtriacus in venatione ſecretiora nemoris illius antra luſtraret, & canes cuncta dumeta, ſylvæque latebras perveſtigarent, qui tandem ad hujus interfecti cadaver penetrantes, illud inſolito cum latratu è terra pedibus eruerunt: & quia hæc arida oſſa nive candidiora erant, dictus Vir Nobilis aliqua ſibi in uſus manubriorum reſervare voluit. Et ecce! dum ea Viennam reverſus ad prædictum Cultrarium defert, ſine mora ad attractionem, & contactum homicidæ largiſſimum ſanguinem effuderunt, & publicè latronem prodiderunt, qui conſcientiæ ſtimulis agitatus, ultrò patratum ſcelus confeſſus, & juſtô magiſtratûs judiciô ad condignam mortis pœnam condemnatus eſt.

Conſideremus nunc homicidium innocentis Uriæ, Davidis quodam juſſu in acie derelicti, & occiſi: *Poſuit Uriam in loco, ubi ſciebat, viros eſſe fortiſſimos, egreſſique viri de civitate bellabant adversùm Joab, & ceciderunt de populo ſervorum David, & mortuus eſt etiam Urias Hethæus.* Cæterùm nihil hîc in Scriptura inſinuatur, quòd ſanguis hujus viri innocentiſſimi à Deo juſtiſſimo omnium Arbitro contra Davidem vindictam expetierit. Res notatu & admiratione digna! cur unius interfecti ſanguis, & non pariter alterius à Deo ultionem de homicida exegit? Reſpondet S. Ambroſ. *Quia Cain non confitebatur, David autem confeſſus eſt: Dixi, confitebor adversùm me injuſtitiam meam Domino.* Nec nudè hoc ſuum delictum confeſſus eſt, ſed Corde contrito & humiliato, atque in imbrem lacrymarum ob offenſum Deum, & gravitatem delicti lar-

2. Reg. 11, 16.

S. Ambr. cit. à Vega. Pſ. 31, 5.

UVA. BHSC. BU 00661

largissimè effuso. unde ait: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Has lacrymas (Cordis contriti indices ac testes) tanquam pretiosas margaritas & gemmas benignus Deus *in conspectu suo posuit*, unde sanguis Uriæ, licèt innocenter effusus, vindictam clamare non potuit. Econtra, quia Cain nec unicam lacrymulam pro delictis suis effudit, imò per omnem vitam impœnitens corde permansit, idcirco justo Dei judicio à sanguine Abelis accusatus, & condemnatus fuit. Disce ex hoc, quàm gratum apud Deum sit Sacrificium Cor contritum & humiliatum! *Ps.* 118, 136. *Ps.* 55, 9.

4. Nondum recedo à Davide. Revocate, obsecro, in memoriam miserandam stragem, quam quondam civitas Hierosolymitana spectavit, dum vindex Divinæ Justitiæ gladius intra paucas horas septuaginta hominum millia per vehementissimam pestem devoravit. Et ecce, dum furit vindicta, David Rex videns Angelum truci vultu, & stricto mucrone horridum, mox cum suis supplex in terram procidit. Et quid sequitur? *Misertus est Dominus, & ait Angelo percutienti populum: sufficit.* Unde, & quam ob causam tam subita Divinæ Justitiæ mutatio? O mortales omnes! videte hîc, & considerate, quàm benignum, ac misericors sit COR Divinum his, qui contrito sunt corde! David vix culpam suam agnoverat, & confessionem suam ex animo contrito publicè inchoaverat: *Ego sum, qui peccavi, ego inique egi.* Et ecce! mox Angelus furentem gladium in vaginam recluſit. *Et propitiatus est Dominus terræ.* O quàm igitur salutare verbum: *Ego sum, qui peccavi*, si ex intimo CORDIS dolentis sinu ad DEUM progreditur! O salutaris contritio! *O beata pœnitentia*, exclamat S. Laurentius Justinianus, *tu es refugium humilium, contritorum levamen, veniæ porta, spes indulgentiæ, propriæ agnoscendæ infirmitatis magistra, terror dæmonum, virtutum nutrix, gratiarum custos, orationis incentivum, lacrymarum origo, consequendæ misericordiæ præcursor, amica Angelorum, & spiritualis disciplinæ norma præcipua.* 2. *Reg.* 24, 16. *De gradibus perfect. c.* 3.

5. Dicite, quid Ninivitas, cum jam ultimum civitati instaret excidium, adhuc servavit incolumes? Nonne Cor eorum contritum,

UVA. BHSC. BU 00661

Jonæ. 3,10. & humiliatum? *Vidit DEUS opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, & misertus est:* etiam ringente Jonâ, qui noluit Prophe-
ta mendax haberi. O quàm satiùs est confugere ad Dei, quàm ho-
minum tribunal! Quid impium Manassen cum Deo reconciliavit?
2. *Paral.* 33,11. nónne COR illius contritum, atque humiliatum? *Egit pœnitentiam valde coram Deo Patrum suorum, & exaudivit orationem ejus, reduxítque eum in regnum.* Quid Samariam à fame, bello, & ulti-
mo excidio liberavit? nónne Cor contritum & humiliatum Regis
4. *Reg.* 6. & 7. ac populi? *Vidítque omnis populus cilicium, quo vestitus erat ad carnem intrinsecus.* Quid ignitos serpentes, ne universum murmu-
rantem populum inficerent, in deserto sustulit? nónne Cor eorum
Num. 21, 7. contritum & humiliatum? *Venerunt ad Moysen, atque dixerunt: peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum, & te,* ora, *ut tol-
lat à nobis serpentes.*

Quid Petrum in atrio, Paulum in campo, Matthæum in telonio, Magdalenam in convivio, Zachæum in Sycomoro, Publicanum in templo, Filium prodigum in agro, & latronem in crucis ligno divi-
næ gratiæ restituit? nónne Cor eorum contritum, & humiliatum?

Et quid dico? Cor contritum non tantùm homines, sed etiam ju-
Ps. 48, 13. menta salvat. Unde Vates Regius: *Homines, & jumenta salvabis Domine.* Et quæ jumenta, ais? num & bruta in cœlum venient?

Ps. 48, 13. Audi bone vir, an non peccator jumentum est? Ita Psaltes: *Comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* An non superbus splendidum pavonem præ se fert? an non avarus ca-
nis naturam imitatur? An non libidinosus hircum olet? invidus serpentem; gulosus porcum; iratus leonem; desidiosus asinum? Et tamen, ô admirabilem Cordis contriti virtutem! & tamen, in-
quam, unica lacrymula de Corde verè contrito promanans, hæc jumenta in homines, bruta in Angelos, & bestias in Dei amicos transmutat. O stupendum prodigium!

Nondum credis, & dubius hæres? Regem Nabuchodonosorem
Dan. 4, 13. consule per peccatum in ferum bovem, seu bisontem mutatum: *Cor ejus ab humano commutetur, & cor feræ detur ei.* In quo

statu,

UVA. BHSC. BU 00661

ſtatu, ut fera, nudus imbri & rori aliísque cœli injuriis obnoxius, & humi manibus ac pedibus reptans, comedénsque fœnum, ut beſtia, ſeptem annos conſumpſit, donec tandem ad ſe reverſus, Altiſſimum cognoverit, à quo toto corde contritus, compunctus, & humiliatus veniam, & regnum, ipsámque denique ſalutem æternam conſecutus eſt, ut apud & cum Cornel. à Lapid. cenſent multi. O quàm verum igitur eſt, quod in hanc rem S. Chryſoſtomus inſinuat: *Nihil ita Cor Philoſophicum facit, ſicut tribulatio.* Et S. Bernardinus Senenſis, ubi peccatum ut lethale animæ vulnus, & ut peſtiferum apoſtema conſideravit, tandem hanc ſaluberrimam medicinam nobis præſcribit: *Contritio*, inquit, *apoſtema pungit, confeſſio aperit, & ſaniem emittit, ſatisfactio cataplaſmata apponit; per hanc igitur punctionem conteritur cor humanum, & tunc peccati delectatio totaliter effunditur.*

S. Chryſ. ſ. 24. in Ep. ad Epheſ.

S. Bern. Sen. tom. 1. ſerm. 12. a. 1. c. 2.

7. Occurrit hîc mihi memorabile factum, quod Ferrariæ celeberrima Italiæ urbe contigit. Cùm adoleſcens quidam, viribus robuſtus vegetus ac ſanus ibidem plateas animi gratiâ obambularet, accidit, ut humi prolapſus inopinata morte extingueretur. Mirantur omnes in homine juvene ac ſano tam inexpectatam necem; advocantur Medici, cogunt conſilium, rimantur, & ſcrutantur cum chirurgis omnia hominis membra, ſed neque in pulmone, neque in jecore, neque in ſplene, aut in aliis inteſtinis aliquid lethale reperiunt. Tandem, cùm ad cor veniſſent, illúdque medium cultro diſſecuiſſent; ecce in imo cordis fonte vivum vermem inveniunt, qui adoleſcenti ima cordis rodendô tam inopinatam mortem attulit; quem malefactorem vermem cùm Medici nulla arte, liquore, aut medicinâ poſſent occidere, tandem illum in ſucco, ab alliis, & cepis expreſſo, necârunt.

P. Zehenter de verme malæ conſc. f. 38.

O Chriſtiane! ſi Cor tuum ſimili verme malefactore laborat, ſi malæ conſcientiæ ſtimulo à ſimili occulto latrone jugiter Cor tuum roditur atque compungitur, non certius remedium, aut ſalubriorem medicinam invenies, quàm ſimilem ſuccum ceparum, hoc eſt, lacrymarum, quæ ex Corde contrito, compuncto, & humiliato exprimun-

UVA. BHSC. BU 00661

S. Thom. Villan. conc. 1. de judicio.

primuntur, quibus amoris lacrymis solùm ille vermis infernalis potest necari: *Peccavimus, fratres*, ait S. Thomas Villanovanus, *aut pœnitendum, aut ardendum* (non datur hîc medium) *quantò ergo melius est modicùm pœnitere, quàm perpetuò ardere.* O quantò melius!

8. Neque adeò difficilis est, prout multi arbitrantur, contritio, cùm amor super omnia non habeat tantam in exercitio difficultatem, sed difficultas nostra potissimùm in ignorantia radicem figit, dum optimum DEUM, ac tam infinitam ejus majestatem, bonitatem, amabilitatem, sanctitatem &c. non, sicut oportet, æstimamus, sed sæpe sæpius, ô miseriam nostram sanguineis lacrymis non satis deplorandam! etiam rebus vilissimis postponimus; hoc, inquam, si peccator magis perpenderet, quantùm Deum inter & cæteras res omnes discriminis intersit, sine dubio sæpius, & faciliùs, ad veram contritionem (quæ est filialis dolor, & detestatio peccati, proficiscens ex motivo sinceri amoris erga DEum offensum) excitaretur.

Neque existimo, facilius motivum ad excitandam perfectam contritionem inveniri posse, quàm considerationem SS. amabilissimi, ac divinissimi CORDIS

Gen. 4, 8.

JEsu Crucifixi. De Protoparentibus nostris referunt antiquæ Hebræorum traditiones, quòd tam seriò, & animo verè contrito, & humiliato pœnituerint, amarisque lacrymis tam enorme scelus suum, olim in paradiso in Deum admissum, deplorârint, quando Abelem dilectum, & priùs speciosissimum filium suum, nunc autem à fratre proprio tam perfidè vulneratum, occisum, sanguine conspersum, & in agro deformatum jacentem invenerunt, ex cujus deformitatis, & mortis per peccatum in orbem inductæ consideratione oculi amborum longè magis aperti sunt, quàm ex jactura paradisi, à quo fuerunt eliminati: hinc seriò peccatum suum detestati sunt, & quia animo contrito, & humiliato ad Christum JEsum, futurum Messiam in umbra jam tunc suspirabant, ideo ad veniam, & gratiam meruerunt pervenire. Age, quisquis es, ô mortalis homo! En ostendo tibi longè innocentioris vitæ Abelem, pariter occisum, vulneratum, deformatum, sanguine conspersum, & in cruce propter te suffixum, vis scire tam nefarium homicidam, qui Authorem vitæ innocentissimum JEsum interemit? ah quid circumspicis? quid miraris? tu es ille vir mortis, tua superbia caput JEsu spinis coronavit, tua libido clavis illum affixit, tua gula illum felle & aceto potavit, tua invidia illum flagellavit &c. ac tua denique scelera SS. COR JEsu tam crudeliter sauciârunt: sic scilicet sustinet DEUS, quod committit homo. Quid ergo consilii anima peccatrix? Ecce non habes aliud medium, quàm SS. Vulnera, quàm divinissimum COR JEsu! huc, huc Corde contrito, & humiliato confuge, non deerit gratia, quamdiu COR ejus erit apertum. Dic proinde: O JEsu, summum Bonum meum, super omnia amo te, ideóque ex animo doleo, quòd te unquam offenderim, propono seriam emendationem, confessionem, & satisfactionem &c.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XXIII.

SS. COR JESU ex omnibus amabilissimum est, cujus immensa charitas præsertim ex institutione SS. Eucharistiæ mirè relucet.



Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Joann. 13, 1.

1. EGit quondam Sapientissimus DEus in Veteri Testamento, ut pictor quidam peritus agere solet, qui imaginem aliquam artificiosam posteritati consignaturus, non statim à principio operis ad vivos solet transire colores, sed priùs illam imaginem nigro carbone designat, & quasi in umbra describit, dein penicillum, sed adhuc rudem, adhibet; demum cùm omnia juxta propositam sibi ideam adumbravit, primùm vivos adhibere colores solet, quibus imaginem mirè illustrat, ac tandem ad vivum perficit. Ita, inquam, à primordio creationis mundi, ac per totum Ve-

UVA. BHSC. BU 00661

tus Testamentum egit benignissimus DEus, dum divinam imaginem unigeniti Filii sui, aliquando in SS. Eucharistia, & in ara Crucis pro nostra omniúmque salute immolandi, non statim à principio ad vivum, sed quasi in obscura adhuc umbra per varios typos ac figuras illi populo Hebraico voluit delineare, ubi tandem, cùm venit plenitudo temporis, ad vivos colores progressus est, dum ex purissimo CORDE & Sanguine B. Virg. MARIÆ, cooperante Spiritu S. hanc divinam imaginem (unigenitum Filium suum JEsum Christum) non tantùm ad vivum produxit, sed & illius SS. COR, tanquam perfectissimam Divini in nos Amoris ac virtutum omnium ideam, tum in SS. Eucharistia, tum etiam in Cruce (quod idem Sacrificium est, solâ offerendi ratione diversâ) nobis proponere voluit ad amandum, colendum, & imitandum, imo etiam ad percipiendum, ac intimè cum corde nostro conjungendum.

2. Hanc SS Eucharistiam ex Sacratissimo CORDE JEsu principaliter promanantem adumbravit quondam illud salutiferum vitæ lignum in paradisi medio plantatum, quod vitam humanam (humido etiam radicali deperdito) adhuc longissimè protraxisset: *Gen. 2, 9.* *Produxítque Dominus lignum etiam vitæ in medio paradisi &c.* Hanc præsignavit Manna illud cœleste, populo quondam Israëlitico per quadraginta annos in deserto communicatum, per quem panem medicinalem per omne illud tempus omnis populus etiam à corporis infirmitate servatus est immunis, hinc illud Regii Vatis: *Ps. 104, 37.* *Et non erat in tribubus eorum infirmus.* Hanc significârunt Panes Propositionis, Deo quondam in aurea mensa oblati, qui solùm à puris & sanctificatis mentibus poterant manducari: *Exod. 25, 30.* *Et pones super mensam Panes Propositionis in conspectu meo semper, &c.* Hanc præfiguravit Agnus ille Paschalis, & Agnus Matutinus, ac Vespertinus, quotidie pro salute populi in templo oblatus: *Exod. 29, 38.* *Hoc est, quod facies in Altari: Agnos anniculos duos per singulos dies jugiter, unum agnum manè, & alterum vespere, &c.* Hanc expressit in umbra Panis ille subcinericius, in cujus fortitudine quondam Elias Propheta ambulavit usque ad Montem Dei Horeb: *3 Reg. 19, 6.* *Et ecce ad caput suum sub-*

UVA. BHSC. BU 00661

subcinericius panis &c. Item farina Elisæi, quæ omnem amaritudinem in olla mortis sustulit: *Et non fuit amplius quidquam amaritudinis in olla.* Item pulmentum Habacuc, in quod panem intriverat, quo Danielem in lacu à morte liberavit: *Dixitque Angelus Domini ad Habacuc: Fer prandium, quod habes, in Babylonem Danieli, &c.* 4. *Reg.* 4. 41. *Dan.* 14. 33.

Mitto plures alias figuras & umbras, quibus infinitus DEUS imaginem unigeniti Filii sui Eucharistici quondam illi populo Israëlitico quasi adhuc in umbra descripsit, sed postquam Verbum incarnatum fuit, & denuò, explanatâ lege Evangelicâ ad Patrem, unde exierat, redire cupiens quid fecit? O ingeniosus amor Sacratissimi CORDIS JEsu! Ecce in signum ac tesseram summæ charitatis suæ, quâ usque in finem nos constantissimè dilexit, seipsum non in umbra ampliùs, sed in ipsa veritate, in SS. scilicet Eucharistiæ Sacramento, tanquam vivam imaginem proposuit sumendam, adorandam, & amandam, per quam admirandam hujus SS. & augustissimi Sacramenti institutionem omnes umbræ cessârunt, proinde pro Lemmate ejusmodi superiùs designatis figuris impones:

Umbram fugat veritas.

3. Fateor, magnus fuit ille amor in Corde Jonathæ Principis erga Davidem humili loco natum, quo eum in omni periculo, ac vitæ discrimine semper constantissimè usque ad finem vitæ dilexit, ideo ad contestandum hunc suum amorem propriâ etiam tunicâ se exuit, & quodammodo sic dignitatem personæ suæ exinanivit, ut amicum suum optimum ac maximum contegeret, atque à Patris irâ, modo quo posset, protegeret: *Inierunt autem David & Jonathas fœdus: diligebat enim eum quasi animam suam, nam expoliavit se Jonathas tunicâ, quâ erat indutus, & dedit eam David.* 1. *Reg.* 18. 4.

Cessent umbræ! Major fuit ille amor SS. CORDIS JEsu erga animam tuam & Cor tuum, O Christiane! quando eo ipso tempore, quo Crucem tu illi parabas, non tantùm tunicam suam, sed & seipsum tibi in SS. Eucharistia tradidit sumendum. Perpende, si poteris,

UVA. BHSC. BU 00661

teris, divinæ hujus charitatis amplitudinem, quâ SS. COR JEsu te indignum amavit, & etiamnum non cessat amare, dum toties ad te dignatur venire, quoties tu cupis ad hunc gratiæ thronũ accedere.

Isa. 5. 4. O amor! *quid est, quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei?*

4. Elias in cœlum per turbinem ascensurus Elisæo discipulo suam pellotem seu pallium candidum in singularem sinceri amoris tesseram reliquit, quo ille mox mira patravit prodigia, dum aquas Jordanis per illius contactum divisit, & viam sibi ab una ad alteram fluminis ripam paravit: *Et levavit pallium Eliæ, quod ceciderat ei.*

4. Reg. 2, 13. Plus Dominus noster in SS. Sacramento, quàm Elias in plaustro: cùm enim per turbinem Passionis jam iter in cœlum pararet, non pallium suum, sed seipsum & SS. COR suum sub candido pallio specierum panis & vini in SS. Eucharistia in singulare animarum nostrarum solatium & futuræ gloriæ pignus reliquit.

O anima Christiana! perpende hîc mirandam divini amoris abyssum. Mari quondam DEus suos terminos posuit: *Usque huc venies, & non procedes amplius*, sed amor SS. CORDIS JEsu in SS. Eucharistia nullum novit habere modum: *Vere*, infert hîc S. Chrysostomus, *in finem dilexit eos, hoc est, ad finem amoris, quia quid amplius pro amore nostro præstare potuit, quàm ut seipsum traderet nobis?*

Job. 38, 11.

S. Chrys. hom. 6. in Joan.

Multum amavit Joseph fratres suos, licèt perfidos proditores, omnique amore indignissimos, quos non tantùm tempore summæ egestatis benigno vultu & cum lacrymis excepit: *Osculatúsque est Joseph omnes fratres suos, & ploravit super singulos*, sed & illos ad regalem suam mensam admisit: *Ponite panes, &c.* Vide hîc & considera in Josepho Cor planè regium, ac plus quàm humanum, quod non solùm omnium injuriarum obliviscebatur, sed & pessimos hostes suos, nunc amicos optimos ultro pane & vino abundè refecit, frumentóque pro viatico in abundantia stabilivit: *Ubique gratiosus Joseph*, inquit Petrus Cellensis, *sed in convivio magis; in convivio etiam venditus non negat negatam sibi germanitatem &c.* Sed quid hæc umbra respectu illius immensi amoris, quo divinissimum COR JEsu in SS. Eucharistiæ Sacramento & Discipulos suos & nos omnes, licèt

Gen. 45, 15.

Pet. Cell. de panibus c. 1.

UVA. BHSC. BU 00661

licèt omni amore indignissimos, etiam cùm inimici essemus, dilexit, & necdum hodie amare cessat: *Quis loquetur potentias Domini*, exclamat præ admiratione Os illud Aureum, *& quis pastor oves proprio pascit cruore!* *S. Chrys. loc. cit.*

5. Aman supremus Aulæ Persicæ Minister magno sibi quondam honori ac gloriæ duxit, vel unicâ vice in Regis mensa esse convivam, unde ad amicos dixit: *Cras cum Rege pransurus sum.* Prande tu cum Rege tuo, & cras suspenderis in patibulo, hic mundi favor est, & simul interitus. Nos alium Regem habemus: qui non ad regiam duntaxat, imò divinam suam mensam affectu planè plus quàm paterno nos invitat, sed & seipsum dulcissimúmque COR suum nobis apponit, atque in cibum potúmque tradit, ac sic quodammodo Cor unum facit. O bone JEsu! *Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum Cor tuum?* O extasin amoris? & quid non cogis facer amor? DEum ipsum extra se rapis, ut planè in hoc sanctiss. amoris Sacramento nobiscum intimè uniatur: *Sicuti*, sunt verba S. Cyrilli Alexandrini, *si quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat necesse est. Sic qui carnem & sanguinem Domini recipit, cum ipso ita conjungitur, ut Christus in ipso, & ipse in Christo inveniatur.* O felix unio SS. CORDIS JEsu cum Corde nostro! Et quin aliquando Cor nostrum amore liquescet erga hoc amabiliss. COR JEsu, præsertim in SS. Eucharistiæ Sacramento? *O dulcissime & benignissime JEsu!* exclamat devotissimus Kempensis, *quanta tibi reverentia & gratiarum actio cum perpetua laude pro susceptione Sacri Corporis tui debetur, cujus dignitatē nullus hominū explicare potens invenitur?* *Esth. 5, 12.* *Job. 7, 17.* *S. Cyrill. Alex. cit. à P. Leone à S. Laur. f. 557.* *Thom. à Kemp. l. 4. de Imit. Chr. c. 2.*

6. Ad roborandam magis hanc veritatem, occurrit mihi, quod scriptura de Elisæo commemorat. Venerant eo temporis intervallo in Samariam milites Regis Syriæ, in hunc finem ab eo in illam regionem ablegati, ut Elisæum Prophetam aut vivum caperent, aut mortuum Regi suo adducerent. Quid agit optimus Elisæus? Cùm Rex Israël nunc peraccomodam occasionem nactus, de hostibus suis à DEO cœcitate percussis, vindicare se vellet: *Nunquid percu-*

UVA. BHSC. BV 00661

tiam eos Pater mi? Non permisit Propheta, ut vel unus illorum militum occideretur, sed ultionis loco eos ex longo itinere famelicos
4. *Reg.* 6, 22. abundanti pane, magnóque ciborum apparatu refecit: *At ille ait: non percuties, neque enim cepisti eos gladio & arcu tuo, ut percutias, sed pone panem & aquam coram eis, & comedant & bibant, & vadant ad Dominum suum.* Et sequitur: *Appositáque est eis ciborum magna præparatio, & comederunt & biberunt, & dimisit eos, abierúntque ad Dominum suum, & ultrà non venerunt latrones Syriæ in terram Israël.* Quis hîc non obstupescat ingentem Elisæi amorem erga latrones? Verumenimverò infinities major fuit SS. CORDIS JEsu amor erga te, ô anima ingrata; cùm enim ipsi lignum crucis
Jerem. 11, 19. pro pane præparares: *Mittamus lignum in panem ejus;* cùm ei acetum & fel amarissimum in potum propinares: *Fel draconum vinum*
Deut. 32, 33. *eorum, & venenum aspidum insanabile;* cùm instanter hunc in-
Sap. 2, 20. nocentissimum Agnum ad mortem crucis postulares: *Morte turpissimâ condemnemus eum.* Ecce mitissimum COR JEsu harum omnium oblitus injuriarum, non gladio justitiæ te percussit, sed apposuit tibi panem & vinum, imò propriam carnem & sanguinem in cibum & potum in SS. Eucharistia toties quoties tibi placet, sumendum. O pulcherrimum vindictæ genus! ô amor nullis unquam sæ-
Habac. 1, 5. culis auditus! *Aspicite & videte, admiramini & obstupescite, quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet, cùm narrabitur.* O mi JEsu! leo ille à Samsone occisus in ore suo favum mellis pro-
Judic. 14, 12. prio suo interfectori subministravit: *Ecce in ore leonis favus mellis!* Tu ô mi Redemptor, tanquam leo de tribu Juda pro immensa tua benignitate etiam infensissimis inimicis, imò & interfectoribus tuis divinissimum manna SS. Corporis & Sanguinis tui in cibum & potum subministras, quid dulcius hoc Eucharistico melle? & quid forcius hoc leone? O quàm magna est multitudo dulcedinis Sacratissimi CORDIS tui? O animæ Christianæ gustate & videte, quàm
S. Laur. Just. de disc. Monast. cap. 9. suavis sit Dominus, & quàm dulce divinissimum COR JEsu: *Cujus vel ferreum pectus*, exclamat S. Laurentius Justinianus, *aut adamantina mens non liquescat præ devotione, cùm Deum sibi & se Deo sen-*

UVA. BHSC. BU 00661

senserit corporaliter unitum? non capit cor, lingua deficit, humanus sopitur sensus ad investigandum tanti arcana mysterii. O quantæ ibi deliciæ, quantus ardor, qualia verba, quam casti amplexus gustantur &c.

7. Num aliquando considerâsti prudens Lector illam benedictionem, quam Isaac Patriarcha morti vicinus filio suo Jacobo natu minori impertiit? Miserat hic optimus Senex Esau filium majorem in sylvam, ut de venatione sibi cibum pararet, & sic supremam patris benedictionem acciperet. Audiit hoc Rebecca mater, & filiũ, quem diligebat, Jacobum vestimentis optimis fratris sui Esau indutum, pellibúsque hœdinis circa colli nuda contectum ad patrem in cubiculum amandat, cui mox pater, cùm ab eo cibum recepisset, vinúmque propinatum delibâsset, largissimam benedictionem impertiit: *Det tibi DEus de rore cœli & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini.* Gen. 27. Tandem & Esau de sylva domum redit, ac præparatis cibis, sicut velle patrem suum noverat, supremam ab eo benedictionem exposcit: *Surge pater mi, & comede de venatione filii tui, ut benedicat mihi anima tua.* Quid ad hoc optimus parens? *Expavit*, ait scriptura, *stupore vehementi*, & Esau clamore magno quasi leo in sylva de erepta præda *irrugiit*: & cùm vehementiùs saltem pro aliqua paterna benedictione instaret, ad eum pater conversus dixit: *frumento & vino stabilivi eum: & tibi post hæc, fili mi, ultrà quid faciam?* quasi diceret: nihil ampliùs habeo pro te, dedi fratri tuo omnia. Bone Deus, quis hîc non obstupescat? quis non miretur tam inexpectatam boni hujus Senis responsionem? Et nunquid mi Pater similem quoque benedictionem filio tuo Esau potuisses impertire? minimè, reponit Isaac, jam *frumento & vino stabilivi eum*, pro Esau autem nil ampliùs occurrit: *At tibi post hæc, fili mi, ultrà quid faciam?* Respondet ad rem appositè Abbas Paschasius, quòd per illud frumentum & vinum, quo Isaac discessurus nunc ex hoc mundo filium suum Jacob stabilivit, optimè SS. & Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum intelligatur: *Hoc est*, inquit, *aperte dicere: firmavi eum pane Corporis Christi, vino sanguinis;* *Paschas. de Corp. & sang. Chr. c. 21.*

UVA. BHSC. BU 00661

guinis; tibi autem filio ultrà quid faciam? Hìc non ampliùs datur: *Plus ultrà*, quia inter omnia opera divina ac mirabilia, quæ unquam patravit, aut patrare poterat divina potentia, hoc longè maximum est, dum diviniss. COR JEsu quodammodo seipsum exinanivit, exhausit, atque evisceraverit, ut se nobis in cibum ac potum præberet: *Ultimus gradus amoris est*, ait S. Bernardinus, *cùm se dedit nobis in cibum, quia dedit se nobis ad omnimodam unionem & transformationem, sicut cibus & cibans invicem uniuntur; sic dignè illum recipiens in ipsum per ardentissimum amorem totaliter transformatur.*

S. Bern. cit. à Mansi tom. 2. disc. 47.

8. Magnus, fateor, fuit amor illius viri pauperis in unicam oviculam suam, quam tam tenerè amabat, ut de mensa propria participaret, & ex eodem calice cum ipso biberet, quam parabolam quondam Nathan Propheta Regi Davidi peccanti, ut illum ad frugem reduceret, in faciem objecit: *De pane illius comedens, & de calice ejus bibens.* Sed ad quid hæc enarro? Plùs & infinities plùs te amavit, O Anima Christiana! SS. COR JEsu: *In finem dilexit eos*; & ut jugem hujus immensi amoris haberes memoriam, ecce quotidie in SS. Eucharistiæ Sacramento tibi COR suum tradit in pignus futuræ gloriæ: *Qui est pignus hæreditatis nostræ in redemptionem acquisitionis.*

2. Reg. 12, 3.

Joan. 13, 1.

Ephes. 1, 14.

9. Quid igitur superest, quàm ut debitum cultum ac dignam venerationem huic Divinissimo CORDI JEsu in SS. Sacramento deferamus? Si olim Hebræi umbram & figuram hujus sacrosancti Mysterii, hoc est, Arcam fœderis tanto prosecuti sunt honore, ut David mandaverit, coram illa victimas & sacrificia solenniter immolari: *Et introduxerunt Arcam Domini, & imposuerunt eam in loco suo, in medio tabernaculi, quod tetenderat ei David: & obtulit David holocausta & pacifica coram Domino.* Si Rex Salomon eidem Arcæ fœderis templum magnificentissimum immensis propemodum sumptibus curavit ædificari, pro qua Arca ob peculiarem illius dignitatem singulare ac pretiosissimum tabernaculum extrui jussit, quod Sanctum Sanctorum voluit appellari: *Et intulerunt Sacerdotes Arcam Fœderis Domini in locum suum, in Oraculum templi, in Sanctum Sanctorum.* Quali igitur honore & adoratione dignum erit ipsum vivum ac Divinissimum COR JEsu in SS. Sacramento, ubi diu noctúque præsens tibi, O Anima! pro omni tempore paratum se exhibet, ut in rebus adversis tibi solamen, in dubiis consilium, & in periculis optatum ferat auxilium? *Et erunt oculi mei & COR meum ibi cunctis diebus.*

2. Reg. 6, 17.

3. Reg. 8, 6.

3. Reg. 9, 3.

Accede igitur cum omni fiducia ad hunc thronum gratiæ, memor semper, quòd etiam Petri umbra plures à suis curaverit infirmitatibus: *Ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quenquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.* Quid igitur non faciet mitissimum ac diviniss. COR JEsu in SS. Eucharistia, si illud debito cultu & adoratione ac in animo contrito & humiliato visitaveris?

Act. 5, 15.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XXIV.

SS. CORDIS JESU singularis effectus fuit institutio SS. Sacrificii Altaris, quod prorsus idem est cum Sacrificio Aræ Crucis.



Vespere autem facto discumbebat cum duodecim Discipulis suis. Matth. 26, 20.

1. QUod Sol est inter sidera, hoc SS. COR JEsu est inter cætera humana & omnium prædestinatorum Corda. Sol ideo sitcus est in medio planetarum, ut eis non præsit tantùm, sed & singulis lumen suum impertiat. *Sol*, inquit S. Ambrosius, *est oculus mundi, jucunditas diei, pulchritudo cœli, mensura temporum, & vigor omnium stellarum;* quo surgente omnia vivificantur, quo abeunte omnis natura languescit. Verbo: universus terrarum orbis participat de beneficio Solis, sine quo omnia sunt morsua, infructifera, cœca, & atra tecta caligine. Proinde haud imeritò

S. Ambr. in Hex. die 4.

UVA. BHSC. BU 00661

huic sereniſſimo aſtrorum Regi, poſt illuſtratum orbem terrarum paulatim ad occaſum properanti illud S. Petri pro Leñate inſcribes:

Pertranſiit benefaciendo.

Per hunc Solem omnibus in ſuo curſu diurno benefacientem, ac tandem magnis paſſibus ad vitæ occaſum properantem non incongruè Sacratiſſ. COR JEſu intelliges, de quo S. Petrus coñemorat: quòd *pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo.* O quis poterit enumerare omnia ac ſingula beneficia, quæ miſeris mortalibus hoc diviniſſ. COR JEſu per omnem vitam contulit, ac etiamnum nobis confert? quæ ſi connotarentur, arbitratur S. Joañes, *nec ipſum mundū capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.*

Actor. 10, 38.

Joan. 21, 25.

Et ecce! ut tandem epilogum ſuæ omnipotentiæ demonſtraret, & affectum infiniti amoris ſui pleno impetu in nos effunderet, quid fecit? *Veſpere autem facto,* inquit S. Matthæus, *diſcumbebat cum duodecim Diſcipulis ſuis, &c.* Et S. Paulus: *In qua nocte tradebatur, accepit panem, & dixit: Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur &c.* Ubi ingens ac planè ſtupendum amoris certamen in hoc amabiliſſimo CORDE JEſu exortum eſt: *Duo amores,* ait Didacus Stella, *ad invicem oppoſiti COR Chriſti expugnabant, unus eorum abire hortabatur, alter manere. Maximus amor, quem erga nos habebat, abire accumbentem agitabat, quandoquidem mors ejus in noſtram vitam & redemptionem cedebat, & ſic Diſcipulis dixit: Expedit vobis, ut ego vadam, neceſſarius enim erat nobis ejus tranſitus. Itaque unus amor dicebat, ut abiret, & redimeret nos, ſed alius erat amor maximus, quo nos proſequebatur, qui ſuadebat manere, cùm enim nos maximo proſequeretur amore, à nobis abeſſe renuebat, nam qui multùm diligit, ſemper rem ſibi amatam præſentem eſſe, & in conſpectum dari maximè deſiderat. Utrique amori ſapientiſſimè Chriſtus ſatisfecit, nam abiit, & nobiſcum manſit.* Abiit videlicet ad paſſionem, Crucem & mortem, & nobiſcum manſit in SS. Euchariſtiæ Sacramento, *in quo,* prout loquitur Sacra Synodus Tridentina, *divitias ſui erga homines amoris velut effudit.*

Matth. 26, 20. *1. Cor.* 11, 23.

Didacus Stella in c. 22. *Luc.*

Concil. Trid. ſeſſ. 13. *c.* 2.

2. Pla-

UVA. BHSC. BU 00661

2. Placuit autem SS. CORDI JEsu hoc amoris Sacramentum instituere, ac primum incruentum Missæ Sacrificium Deo Patri suo offerre circa vesperum, ubi Sol aut jam occubuit, aut certè ad occasum properabat: *Vespere autem facto.* Et cur vespere ad Solis occasum dulcissimum COR JEsu hoc divinum Epulum & incruentum Sacrificium instituit? cur non manè, aut in meridie? Observa, prudens Lector, quòd mitissimus Redemptor tuus non venerit solvere legem, sed adimplere; non enim voluit, ut jota unum, aut unus apex de lege præteriret, donec omnia adimplerentur. Hujus autem SS. Sacrificii perfectissimum typum quondam gessit Agnus ille Paschalis, vespertino quoque tempore ante transitum maris rubri à Patribus immolatus: *Tollat unusquisque agnum per familias... Et edent carnes nocte illâ assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus;* quo manducato, mox populus se ad iter per mare rubrum in Palæstinam paravit. *Exod. 12. 3.*

Parem typum gestavit Agnus ille vespertinus, quotidie ad solis occasum pro peccatis totius populi, tanquam juge Sacrificium immolatus: *Alterum verò Agnum offeres ad vesperam juxta ritum matutinæ oblationis, & juxta ea, quæ diximus, in odorem suavitatis.* De eodem Agno legali singulis diebus ad Solis occasum in templo oblato etiam mentionem facit Daniel Propheta, dum illi tunc pro salute populi oranti Gabriel Archangelus circa vesperum, & durante adhuc illo Sacrificio vespertino apparuit, eúmque clarissimè edocuit, quomodo ex hac figura figuratum deberet cognoscere, & quomodo post hebdomades sexaginta duas Christus esset occidendus: *Tetigit me in tempore Sacrificii vespertini &c.* *Exod. 29. 41.* *Daniel. 9. 21.*

Vide hîc, & admirare, quomodo SS. COR JEsu Patri per omnia factum sit obediens usque ad mortem, & quàm exactè similes de se prædictas figuras impleverit. Et hæc causa est, quòd non manè aut in meridie, sed vespere hoc SS. Sacrificium Altaris, ut verum propiatoriúmque holocaustum, & hostiam pacificam voluerit instituere. Alludebat nimirum hoc benignissimum COR JEsu ad illud cruentum Sacrificium, quod sequenti die in Ara Crucis pro omnium

UVA. BHSC. BU 00661

salute, etiam circa vesperam ad Solis occasum esset completurum, demonstrans per hoc universo orbi, idem planè esse Sacrificium & Altaris & Crucis, atque unam eandémque esse hostiam sub hoc solo discrimine, prout insinuat Sacra Synodus: *In hoc divino Sacrificio,* inquit, *incruentè immolatur, qui in Ara Crucis semel seipsum cruentè obtulit.*

Sess. 22. cap. 2.

3. Ex adductis hactenus rationibus capio, quod usque huc capere non potui, quod scilicet impii illi ac scelerati Judæi amantissimo Servatori nostro lignum in panem voluerint miscere: *Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium.* Et quid lignum ad panem, & panis ad lignum? quomodo hæc possunt convenire? Define mirari, Anima Christiana! cùm hæc & plura alia illis contingerent in figura, nobis autem ad correptionem. Lignum Crucem Dominicam & panis in lignum missus SS. Eucharistiam præsignavit, qui Panis Eucharisticus semper ligno Crucis est conjungendus, vix enim amantiss. JEsus hunc Panem in ultima cœna consecravit, & Apostolis suis præcepit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ecce mox & impii Judæi hunc Panem vitæ, qui de cœlo descendit, comprehenderunt, & in Crucis ligno confixerunt: *Panis*, subintrat hîc Hugo Cardinalis, *quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita; Panem hunc ligno confixerunt, qui putabant, se memoriam illius extincturos.* Est ergo SS. Sacrificium Missæ vera Dominicæ Passionis commemoratio, non tantùm in repræsentando, sed etiam, prout Scholæ loquuntur, in essendo.

Jeremiæ 11, 19.

Luc. 22, 19.

Joan. 6. Hugo Card. ibidem.

4. At verò de fornace etiam inquires, in qua hîc panis vitæ coctus & paratus sit, & de mensa, seu Altari, in quo pretiosissimus Servator Orbis hoc SS. Sacramentum instituerit? Quod mensam concernit, videbis illam Romæ in Templo Lateranensi S. Joannis religiosè asservatam, quàm singulis annis in die Cœnæ veneration fidelium exponunt. Verùm non de materiali hac mensa, aut de illa fornace mihi sermo est, sed aliam ac mysticam mensam & fornacem inquiro. Ad hanc cogitationem magis enucleandam apprimè mihi

P. Rup. Ludovig. in apothec. spirit. p. 4. c. 5. §. 3.

UVA. BHSC. BU 00661

mihi inſervit, quod de S. Luciano Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopo ac Martyre glorioſiſſimo Sanctorum referunt Faſti: qui, cum præclariſſima ſui ingenii reliquiſſet monumenta, in perſecutione Maximi Nicomediæ nobile Martyrii genus conſummavit, dum poſt varia exantlata tormenta tandem in carcere duodecim diebus inediâ afflictus, & ſupra acutiſſimas teſtas extenſus, imminente jam morte, adhuc ante finem vitæ S8. Miſſæ Sacrificium celebrare voluit, ut ſalutifero Viatico ſe, ſuósque Diſcipulos communiret, & ad ultimum Martyrii agonem fortiter ſuſtinendum animaret. Verùm non aderat in ſqualido illo carcere aut menſa aut altare, in quo Sanctus Epiſcopus divina hæc myſteria conſecraret: quid igitur fecit? Audi, & admirare. Pedes ejus gravi catenâ erant conſtricti, ille verò jacebat ſupinus in terra ſupra teſtas & vitrorum fragmina, manibus tamen liber pectus ſuum denudare cœpit, mox converſus ad cæteros Chriſti Martyres concaptivos: *Hoc*, inquit, *COR meum, ô fortes Chriſti Martyres, erit altare, & vos Templum Dei: in hoc CORDE DEO ſacrificabo Hoſtiam laudis.* Dixit, miſſam inchoavit, & SS. Euchariſtiam ſuper altare CORDIS ſui conſecravit, quâ non tantùm ſe ſed & reliquos SS. Martyres refecit, ac paulò pòſt, conſummato feliciter martyrio glorioſus in cœlum migravit, cujus feſtum ſeptimo Januarii ab Eccleſia in Martyrologio celebratur: ejus etiam laudes mirè celebrat S. Chryſoſtomus. Ex hoc colligo, quodnam altare fuerit, in quo Chriſtus Sacrificium miſſæ Deo Patri obtulit. Aderat jam decretoria & fatalis illa dies, quâ JEſus traderetur in manus peccatorum. Quid fecit? O prodigium ſummi amoris! *Accepit JEſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis, & ait: accipite, & comedite: Hoc eſt Corpus meum.* Quod ergo altare adhibuit? Ecce ſacratiſſimum COR JEſu! hoc, inquam, erat altare, in quo Panem illum Angelicum conſecravit. Erat & fornax, in qua vehementiſſimo amoris igne hic Panis Euchariſticus erat excoctus, ſed ubi lignum? Aſpice crucem in SS. & ardente CORDE JEſu, quibus mediantibus lignis hic Divinus Panis coctus, & præparatus fuit. O mortales omnes

Matth. 26, 26.

UVA. BHSC. BU 00661

videte, & considerate, quæ posuit prodigia Dominus super terram!

5. Placuit autem huic summo animarum nostrarum Episcopo Christo JEsu sub speciebus panis & vini hoc Augustissimum Sacrificium peragere & instituere. Et cur sub speciebus panis & vini? Utrumque bene, prudens Lector; panis enim confirmat, & vinum lætificat COR hominis. Solet autem panis ex tritico flagellato molâque contrito fieri. Quis verò *contritus est propter scelera nostra*, nisi Christus DEus noster? De vino notum est, quòd in torculari ex maturis botris exprimatur. An non *Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi?* Accedunt & vestimenta Sacerdotis & ceremoniæ omnes, quæ in Missa ab Ecclesia adhiberi solent, nunquid hæc omnia in memoriam tibi revocant, quod reverà SS. Sacrificium missæ sit perpetuum memoriale vitæ passionis & mortis Domini? Hinc illud Apostoli: *Quotiescunque manducabitis Panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Quod in visione quadam clarissimè conspexit S. Elzearius, qui cùm in missa, quæ de S. Cruce cantabatur, introitum audiret: *Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri JEsu Christi, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra*, mox à principio hujus Sacrificii totam Dominicam passionem renovari, & ad vivum in Corde suo repræsentari advertit: hinc factum est, ut Cor ejus erga Christum JEsum & hunc Crucifixum, præsertim sub missa, miris affectibus inflammaretur; unde ab eo tempore nil aliud petiit, quàm unicè habitare in aperto latere & SS. CORDE Christi JEsu Crucifixi. Eandem gratiam à SS. CORDE JEsu impetravit B. Elisabetha Schonaugiensis, de qua Hadrianus Cyræus recenset, quòd durante Sacrificio missæ in Cœna Domini totam Christi passionem ad vivum de novo repræsentari conspexerit, & dum sacerdos calicem exaltavit, vidit supra illum Christum Dominum in cruce diris clavis confixum, de cujus perforato latere & sacratissimo CORDE divinus sanguis in calicem defluebat. O quis dicet, quanto animi cum solatio, amore & mixto dolore hujus pientissimæ Matronæ? Et si quondam Sacrificium Abrahæ,

Ps. 103, 15.

Isa. 53. 5.

Cant. 1, 13.

1. *Cor.* 11, 26.

Lyræus de Imit. JEsu patientis l. 5. *c.* 9.

Idem f. 399.

UVA. BHSC. BU 00661

brahæ, ubi DEO T. O. M. unigenitum filium ſuum imolare ſtatuit, tanti valoris extitit, ut de eo dictum ſit: *Quia non pepercisti unigenito filio tuo propter me, benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Quid non efficiet ipſe Dei Filius ac SS. COR ejus, ſi Patri æterno in miſſa offertur? Eundem SS. CORDIS ſui amorem tum in SS. Miſſæ Sacrificio, tum in ſacra comunione repræſentavit Crucifixus JEſus dilectæ ſuæ ſponſæ Gertrudi, cui pientiſſimæ Virgini, ſumpto S. Epulo, Chriſtus Dominus in forma amantiſſimi Pellicani, roſtro ſanguinem è Corde ſuo prolicientis, apparuit: *Vide*, inquiebat, *quàm excellenter anima tua hoc pharmaco vivificatur in vitam æternam, quemadmodùm pullus Pellicani vivificatur in ſanguine cordis paterni.* *Gen. 22, 18.* *Idem Lyranus fol. 403.*

6. Ex his collige anima Chriſtiana immenſam dignitatem hujus diviniſſimi Sacrificii & communionis tum actualis, tum ſpiritualis. Proinde ſi huic Myſterio per manus Sacerdotum quotidie offerri ſolito præſens cum devotione aſſiſtis, idem eſt, ac ſi cum B. Virgine & Matre doloroſa aliiſque Crucifixi amatoribus in Calvario Monte ſtares, participans de SS. CORDE & Sanguine Chriſti. Et ſi tunc in cruento illo Sacrificio manſuetiſſimum COR JEſu tam benignum, ac clemens fuit, ut etiam pro transgreſſoribus, ſuiſque Crucifixoribus, imò & pro ingratiſſimis peccatoribus Patrem exoraret, *& exauditus eſt pro ſua reverentia:* quid, obſecro, non ſperandum per SS. miſſæ ſacrificium, ubi eadem paſſionis memoria recolitur, mens repletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur? Et quid majus dici, imò verò quid excellentius poteſt excogitari, quàm quòd DEus ille, qui jam ſemel introivit in Sancta Sanctorum, atque pro omnium ſalute in Cruce mori dignatus eſt, denuo de novo pro te in miſſa offeratur? Et *ſi ſanguis hircorum*, ait Apoſtolus, *& taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis?* *Hebr. 5, 7.* *Hebr. 9, 13.*

7. Et

UVA. BHSC. BV 00661

Segneri in Homine Christiano disc. 12.

7. Et ut magis adhuc capere possis hujus divini mysterii dignitatem ac valorem, imaginare tibi, ac si per cœlum apertum videret ipsam Dei Matrem, augustissimam illam cœlorum Reginam, universâ Angelorum multitudine stipatam, ac Beatorum omnium cœtu comitatam, ad Thronum SS. Trinitatis accedere, eique ad augendum cultum & amorem omnia sua & cunctorum Sanctorum merita offerre. Ex altera parte tibi pauperculum Sacerdotem statue, in Sacratissimo missæ Sacrificio Agnum illum immaculatum SS. Triadi offerentem: talis, inquam, etiam pauperculus Sacerdos plus gloriæ & honoris per hoc SS. Sacrificium DEO tribuet, quàm universa Beatorum curia licèt collectivè sumpta. Ratio est, quia ipse Christus est principalis offerens, verus DEus & homo, major cunctis creaturis ab eo infinitè differentibus &c. Hîc sta, & considera, an aliquid majus dici possit? Et tu ô mortalis homo, quomodo æstimas hoc Sacrosanctum nimisque tremendum Sacrificium? quomodo (si Sacerdos DEI es) ad illud peragendum ritè te paras? Nunquid maledictus ille, qui facit opus Dei negligenter aut fraudulenter? O quàm multi hîc sunt imbecilles, & dormiunt multi? Plura Viro sapienti non addo. Si verò laicus es, qua devotione huic tremendo mysterio assistis? Heu! quàm malè timeo, ne etiam SS. COR JEsu tibi possit objicere, sicut quondam ingratis Judæis in faciem improperavit: *Populus hic labiis me honorat, Cor autem eorum longè est à me.*

Jerem. 48, 10. 1. *Cor.* 11, 30. *Matth.* 15, 8.

8. Quid ergo in re tanti momenti consilii? Imitare, quisquis es, pauperem illam Ruth Moabitidem, in agro divitis Booz deciduas spicas colligentem, cui Booz in æstu ad sedandam sitim, & Cor lassum confortandum præcepit, ut panem suum in aceto intingeret: *Comede panem, & intinge buccellam tuam in aceto.* Sic, inquam, & tu fac anima Christiana, cùm tempus est, ut in agro divitis Booz Christi JEsu, ac præsertim de SS. CORDE ejus in SS. Sacrificio missæ deciduas gratiarum spicas colligas. Ecce eum Pane Eucharistico simul & acetum amarissimæ Passionis Domini conjunge, est enim memoriale mortis Domini: *Hæc quotiescunque feceritis, mortem Domini annuntiabitis.* Imitare & Sponsam, unicè ac ex toto Corde Dilecti sui amores exposcentem: *Fasciculus myrrhæ Dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Et vis videre, Anima devota, hunc myrrhæ fasciculum? leva in circuitu oculos tuos. En, in SS. Eucharistia est JESUS CRUCIFIXUS adinstar unius fasciculi omnium amaritudinum passionis ejus. Hunc, inquam, fasciculum ac Dilectum tuum intra Cor tuum porta jugiter, ac præsertim dum Missam audis, aut ad Sacram Synaxin te disponis, O quàm dulcis erit Cordi tuo hic licèt amarissimus fasciculus! Si modicum farinæ quondam ollam mortis potuit indulcorare: *Mors in olla:* quid non faciet divinissimum ac vivum COR JEsu in SS. Eucharistia, & in SS. Sacrificio Missæ Panis ille Angelicus, & Manna esurientibus?

Ruth. 2, 14. *Cant.* 1, 12. 4 *Reg.* 4, 39.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XXV.

SS. COR JESU ex omnibus purissimum, purum quoque Cor à nobis requirit, præsertim in administratione & susceptione SS. Eucharistiæ.



Lava à malitia Cor tuum. Jerem. 4, 14.

1. RECTÈ Seraphicus Doctor & S. R. E. Cardinalis S. Bonaventura ingentem hominum mundanorum stultitiam, miseriámque jam suo ævo admiratus est, cùm eos observavit magìs de munditia corporis quàm Cordis esse solicitos: hinc stupore plenus exclamavit: *O stultitia mirabilis! mundat homo faciem, manus, pedes, imò etiam calceos, & miserum Cor non mundat?* O quàm mundum esse Cor illud oportet, quòd Deum suum suscipit! O quàm mundum! O quàm mundum! *S. Bonav. serm. 2. fer. 2. post Pasc.*

Justus ille ac magnus Patriarcharum Princeps Abrahamus, ubi

UVA. BHSC. BU 00661

tres cœlestes hospites de longinquo ad se properantes vidit, eis non tantùm in occursum venit, sed & amicissimè ad suum hospitium invitavit, quibus, antequam ad convivium sese accingerent, raro humilitatis exemplo pedes lavit: *Afferam pauxillum aquæ, & laventur pedes vestri.* Quod olim Abraham suis hospitibus, hoc mitissimus JEsus suis Discipulis fecit, qui, antequam eos ad cœnam illam magnam, in qua propriâ suâ Carne & Sanguine hospites suos velut novus Pelicanus amoris erat refecturus, admitteret, priùs ipse illorum pedes à sordibus abluere voluit: *Misit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes Discipulorum.*

Gen. 18, 4.

Joan. 13, 5.

O bone JEsu quid agis? An omnino oblitus es dignitatis tuæ? O cœli obstupescite! En Creator vester ante pedes Discipulorum suorum jacet prostratus, lutum eorum abluit, pedes linteo tergit, & demum affectuosissimo osculo dignatur omnes! Ad quid, obsecro, O mi Redemptor, hæc pedum lotio? Nunquam solitus eras hactenus Discipulorum tuorum lavare pedes, quando eos in Montem Thaboræum ad gloriam, vel in Montem Olivarium ad meditationem, vel in templum ad orationem duxisti. Nunc verò in hac Cœna suprema post Agnum Paschalem oblatum & comestum de mensa surgis, & ipse non abhorres eorum mundare sordes? O cœli obstupescite!

Causam hujus Mysterii communiter assignant SS. Patres, ut per istam pedum lotionem mitissimum COR JEsu orbi universo insinuaret, quàm eximia & exquisita ad dignam SS. Corporis & Sanguinis sui perceptionem requiratur Cordis puritas, ut non solùm anima recipientis ab omni peccato mortali sit libera, sed etiam à peccati venialis affectu, ac præsertim ab omni amore sensuali immunis existat: *O quàm mundæ debent esse manus illæ*, ait devotissimus Kempensis, *quàm purum os, quàm sanctum corpus, quàm immaculatum erit Cor Sacerdotis, ad quem ingreditur Author pietatis &c.* Ecce cor parandum, cor priùs mundandum erit: *Præparate corda vestra Domino.*

Thom. Kemp. l. 4. c. 11.

1. *Reg.* 7, 3.

2. In hunc finem pro Symbolo Reverendissimus Aresius Episcopus

UVA. BHSC. BU 00661

pus Tortonensis Cygnum sibi pingi curavit, inter crystallina aquarum salientium fluenta se se lavantem, cum Lemmate ex hoc Evangelio de lotione pedum mutuato: *Mundus totus.* Alius Recentior ejusmodi cygno ante comestionem, ut solet, se in fonte mergenti, & ab omni sorde se abluenti, pro Lemmate inscripsit illud Jobi: *Joan.* 13. 10.

Antequam comedam.

Job 3. 34. Utrumque bene & mundum Cor illud esse debet, quod ad hoc tremendum divinissimúmque Eucharistiæ Sacramentum accedit, & antequam comedat, oportet illud pariter cum Jobo ob præterita delicta suspirare: *Antequam comedam, suspiro, & tanquam inundantes aquæ, sic rugitus meus.* Hoc est, ad quod allusit quondam Gentium Doctor Paulus: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Probet, inquam, se homo per veram priùs contritionem, integram noxarum confessionem, firmum emendationis propositum, humilitatem sinceram, vivam fidem, spem solidam, & quàm maximè per ardentem erga SS. COR Jesu charitatem, quæ est vinculum perfectionis: *In Christi Corpore*, ait S. Augustinus, *vita nostra consistit; mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam.* *1. Cor.* 11. 28. *S. Aug. serm.* 1. *de temp.*

3. Si olim in Veteri Lege Sacerdotes, cùm in Tabernaculum ingredi vellent, ut ibidem in Altari Deo suavissimum thymiama offerrent, priùs in labro æneo manus ac pedes lavare debuerunt, ut sic legaliter purificati, digni coram Deo apparerent: *Et missâ aquâ lavabunt in ea Aaron & filii ejus manus ac pedes.* Quantò magis Cor oportet esse mundum & Sacerdotum, hoc Divinissimum Mysterium offerentium, & Laicorum illud recipientium? *Quo igitur solari radio*, ait S. Chrysostomus, *non puriorem ac splendidiorem esse oportet manum, carnem hanc dividentem & linguam, quæ tremendo nimis sanguine rubescit?* Si quondam Arca Testimonii ex lignis Setim incomputribilibus magnâ prorsus & accuratissimâ diligentiâ fabricari, auróque purissimo ac splendidissimo foris & intus vestiri debuit, ut ibidem Manna ex nubibus cœli delapsum, & duæ Tabulæ Mosaicæ condignè reponerentur: *Arcam ex lignis* *Exod.* 30. 18. *S. Chrys. hom.* 83. *in Matt.* *Exod.* 25. 10.

UVA. BHSC. BU 00661

Setim compingite & deaurabis eam auro mundissimo intus & foris &c. Quàm longè majori studio Arca Cordis nostri paranda, purissimóque charitatis auro ac virtutum omnium splendore adornanda erit, dum in ea non cœleste Manna, sed ipse Panis vivus, qui de cœlo descendit, nec duæ legis tabulæ, sed ipse supremus Legislator DEUS & HOMO CHRISTUS divertere desiderat?

4. De Davide recensent Sacri Regum Annales, quòd jam omnibus necessariis ad ædificationem Templi Solymæi paratis, universos Regni Principes paulò ante obitum suum ad se vocaverit, eísque in unum congregatis totum cor suum de ædificando in honorem Summi Dei magnificentissimo Templo aperuerit, in hæc eos verba allocutus: *Salomonem filium meum unum elegit Deus adhuc puerum & tenellum: Opus enim grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed DEO, ego autem totis viribus meis præparavi impensas Domûs Dei mei &c.* Audis hoc prudens Lector? Hoc & tibi applica, quoties ad sacratissimam Communionem te accingis: hîc priùs paulisper in corde tuo subsiste, & computa sumptus, qui necessarii sunt: Opus enim grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed DEO: *Cogitemus*, subinfert hîc iterum Os aureum, *quòd illius Corpus & Sanguinem gustamus, qui in cœlestibus sedet, qui ab Angelis adoratur, qui proximè assistit immortali Dei potentiæ &c.* O quanta hîc requiritur præparatio! quanta mentis probatio! ac Cordis nostri dispositio! *Puritas cordis*, ait S. Bonaventura, *via est regia, per quam ad Sponsi amplexus, per quam tandem ad patriam pervenitur, &c.*

1. *Paral.* 29, 1.

S. Chrys. hom. 3. ad pop.

S. Bonav. in spec. discipl. p. 2. c. 6.

5. De Nabuchodonosore potentissimo Babyloniorum Rege & expugnatore Jerosolymæ refert Daniel Prophera, quòd ex omnibus captivis filiis Israël, quos cum Joachim Rege eorum in Persidem in durissimam servitutem abduxerat, solùm illos ad sua obsequia delegerit, in quibus nulla erat macula, quíque præ cæteris & raræ formæ elegantiâ, & mentis sapientiâ eminebant; hos regio cibo ac vino enutriri jussit, ut expeditiores in palatio ac vivaciores ad regalem suam mensam ministrarent: *Et constituit eis Rex annonam per singulos*

Dan. 1, 5.

UVA. BHSC. BU 00661

gulos dies de cibis suis & de vino, unde bibebat ipse. Adverte & perpende. Plus hîc in altari est, quàm olim in palatio Nabuchodonosoris, Rex Regum videlicet & Dominus universorum, qui, cùm sit potentissimus, sapientissimus, justissimus juxtà ac purissimus, nihil magis, quàm à sordibus Cordis tui abhorrere solet: proinde speciosas formâ ac decoras animas desiderat, quæ ad mensam Eucharisticam non tam sibi inserviant, quàm & de cibo ac vino regio, hoc est, de SS. carne ac cruore suo nutriantur. Esther neptis Mardochæi, priusquam in sponsam regiam à potentissimo Persarum Monarcha Assuero admitteretur, per integrum annum adornari debuit, dum sex mensibus oleo myrrhino, & aliis sex mensibus aliis quibusdam pretiosis pigmentis & aromatibus inuncta fuit, sic *formosa valde & incredibili pulchritudine omnium oculis gratiosa & amabilis videbatur.* O anima mea tu es illa Esther, à summo Rege Christo JEsu in tantùm amata, ut te unicè SS. CORDIS sui Sponsam desideret: *Et sponsabo te mihi in sempiternum: & sponsabo te mihi in justitia & judicio & in misericordia & in miserationibus: & sponsabo te mihi in fide, & scies, quia ego Dominus sum.* Quantâ igitur præparatione omniúmque virtutum ornatu opus erit, ut ad COR JEsu & Eucharisticas nuptias digna admitti queas? *Esther.* 2, 12. *Osea* 2, 19.

6. Centurio Evangelicus, vir in paucis egregius omnino indignum se reputabat, ut in domum suam pretiosissimus Salvator diverteret; hinc humiliter se excusans, & indignitatem suam ingenuè profitens, dixit: *Domine non sum dignus &c.* Joannes Magnus ille Præcursor Domini, quo major inter natos mulierum non surrexit, prorsus indignum se pensabat, ut Christo Redemptori vel solùm corrigiam calceamentorum solveret; proinde missis ad se ex urbe Hierosolymitana Sacerdotibus respondit, & hoc illustre de Christo testimonium tulit: *Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est: cujus ego non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti.* Elisabeth Sancta Præcursoris Mater, cùm B. Virginem ac Matrem Domini per montana ad se properantem conspexit, præ admiratione se ipsam non capiens, exclamavit: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* *Matth.* 8, 8. *Joan.* 1, 27. *Luc.* 1, 43.

UVA. BHSC. BU 00661

Angelus ille, quem quondam Isaias aperto cœlo ad altare Dei volantem viderat, non ausus est pretiosum calculum (SS. Eucharistiæ typum) nudis manibus de altari tollere, sed ob peculiarem reverentiam aureâ eum forcipe tulit, quo polluta Isaiæ Prophetæ labia mundaret: *Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari.* *Isa.6,6.*

David, cùm arcam fœderis insigni pompâ in urbem regiam cuperet invehere, & Ozam ob levem irreverentiam, eidem arcæ illatam, percussum audiret, non solùm vehementer extimuit, sed ne quidem ausus est ulteriùs cum arca progredi: unde eam in domo Obededom deposuit: *Quomodo ad me ingredietur arca Domini?* *2.Reg.6, 9.*

O anima mea! quomodo tu digna eris, ut ad Cor tuum non arca Domini, sed ipse Dominus universorum divertat? quomodo tu angustiis pectoris tui concludere poteris, quem cœli & terra capere non possunt? An non ille omnipotens Creator est, & tu vilissima creatura, quos infinita distantia distinguit? An non ille DEUS est infinitè perfectus, id est, omnes omnium rerum existentium & possibilium perfectiones formaliter & eminenter in se continens? Et tu plasma imperfectissimum infinitis repletum miseriis, cœnum, lutum, esca vermium, & filius putredinis? An non ille ipsa Bonitas & Sanctitas est; & tu abyssus omnium miseriarum, ipso nihilo vilior & abjectior? Et præsumis ad tam immensum Bonum accedere? si etiam in Angelis reperit pravitatem, quomodo tu stabis dignus in conspectu Dei?

7. Quid ergo consilii in re tanti momenti? Audi, quid dives ille & verè nobilis decurio Josephus ab Arimathæa fecerit. Cùm observâsset Christum in cruce mortuum, solémque ad occasum declinantem, sepositio omni metu, audacter introivit ad Pilatum, & petiit ab eo Corpus JEsu, quod & ultrò ei Judex concessit. Unde abruptâ omni morâ, mercatus est sindonem mundissimam, in qua venerandum Corpus ejus de ligno depositum involvit: *Tunc Pilatus jussit reddi corpus, & accepto corpore Joseph involvit illud in sindone munda.* *Matth. 27,59.* Nota hîc prudens Lector mysterium & doctrinam moralem:

UVA. BHSC. BU 00661

lem: Joseph involvit SS. Corpus JEsu *in sindone munda*; mundum COR Sponsus cœlestis, qui inter lilia pascitur, à te requirit: *Foris canes & impudici*, & immundi corde. Foris, foris! *Apoc. 22, 15.*

Idem Joseph decurio studiosè curavit, ut Sacratissimum Corpus JEsu jam sepulturæ mandandum, optimis aromatibus, ac præcipuè pretiosâ myrrhâ condiretur: *Acceperunt ergò Corpus JEsu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus &c.* Cæterùm myrrha pœnitentiam denotat, & seriam peccatorum detestationem, aromata autem suavem virtutum odorem designant. Hâc igitur mysticâ myrrhâ & his aromatibus unge COR JEsu, dum ad SS. hanc mensam te confers, atque simul in spem magnam consurge, te ab illo in gratiam recipiendum, qui pro te nec infame patibulum crucis aspernatus est. Dic ergo cum omni fiducia & in Corde contrito: Domine *qui latronem exaudisti, mihi quoque spem dedisti &c.* *Joan. 19, 40.*

8. Deinde offer purissimo CORDI JEsu ex integro Cor tuum in novum & vivum sepulchrum, & non aliter ad illum accede, ac si ex sacris Salvatoris tui vulneribus, præsertim ex Divinissimo CORDE, apertóque ejus latere manantem adhuc sanguinem delibares: dic proin animæ tuæ illud Isaiæ: *Amodò hauries aquas in gaudio de fontibus Salvatoris &c.* *Isaiæ 12, 3.*

Imitare denique exemplum illius Filii Prodigi, denuo ad frugem redeuntis, qui, dum famelicus, lacrymans, ac pœnitens in brachia dulcissimi Patris sui convolat, ipse vicissim *misericordiâ motus, cecidit super collum ejus, & osculatus est eum.* Ubi observandum, quòd pœnitens Filius præcipuè ad COR Patris sui accessum quæsierit, à quo veniam sperabat & gratiam. Siste hîc parumper prudens Lector, & considera filium in terram prostratum, gementem, & dulce COR Patris sui cum lacrymis osculantem; econtra patrem expansis in modum crucis brachiis filium benignè amplexantem, & in pristinam gratiam eum recipientem. Hoc, inquam, & tu imitare exemplum, si ad Mensam Eucharisticam accedis, ubi ad ipsum COR JEsu penetrandum erit. *Luc. 15, 20.*

Eja igitur, surge fidelis anima, & magna cum fiducia ad hoc SS.

COR

UVA. BHSC. BU 00661

COR JEsu accede: Si esuris? *Panis vitæ* est, *qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Si sitis? *Fons vitæ* est, qui bibit ex hoc fonte, non amplius sitiet. Si ægrotas? *Medicamentum* est ad sanandas omnes infirmitates tuas. Si vulnerata est? *Balsamum vitæ* est, depellens omnes tuos languores, & sanans omnia vulnera. Si tristis es? Ecce *vinum*, quod lætificat cor hominis! Si debilis es? Ecce *mensam*, quam paravit Deus adversus eos, qui tribulant te. Si cœca es? Ecce candidam *columnam* nubis & ignis, securissimam viæ tuæ ducem: Si demum moribunda es? En *Viaticum*, ex cujus virtute transibis usque ad montem Horeb, & terram illam promissionis, perpetuo melle & lacte manantem. *Surge* igitur, *& comede, grandis enim tibi restat via.* non equidem ad montem Horeb, in cujus demum fastigium subcinericii panis alimoniâ saginatus Vates Elias evasit, Deúmque *in sibilo auræ tenuis* videre est commeritus; sed ad consummatæ virtutis apicem, & ad illos denique montes, ad quos terrena nauseans toties auxilia petiturus oculos mentémque levavit Rex Solymæus: *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Quò haud gravatè pervenies, si in vita sæpius conscendas montem Sion, unde divinum hoc amoris Epulum nobis allatum est, per frequentem devotámque Communionem: uti & montem Golgothæum per compassivam Crucifixi JEsu contemplationem. Si hæc præstiteris, obtinget tibi fortè similis favor ex COR. DE divino, quem expertus est Ven. P. Joannes Cardim è Societate JEsu, qui Anno Christi 1615. die 18. Febr. sanctè obiit. De hoc magno servo & amico Dei refertur, quòd Corejus, dum viveret, ingenti charitatis flammâ in Deum exarserit. Hinc pro viribus allaboravit, ut se se amabilissimo CORDI JEsu Crucifixi penitus conformaret, totóque in illud affectu se transferret. Unde accidit ipsi aliquando, ut sub ardentissimis ad Deum precibus sublimis à terra quasi in aëre pendulus à Collegii Rectore conspiceretur. Tandem cùm suprema obitûs ejus instaret hora, Sacro Viatico ad beatæ æternitatis iter jam optimè instructus, totum Cor suum, omnésque, quæ moriturienti adhuc supererant, animi corporisque vires in Crucifixum Amorem convertit, eique intensissimis inflammati amoris actibus animam suam séque ipsum totum ex asse consignavit. Et ecce ingens prodigium! veneranda Crucifixi Imago manus suas de crucis ligno resolvens fidelem hunc famulum suum benignè amplexus est: ipse verò in hoc suavissimo mutui amoris complexu felicem animam in SS. COR JEsu expiravit, cujus corpus etiam post mortem cœlesti luce collustratum apparuit. Sequere hunc præeuntem anima Christiana. En expectat te COR JEsu, ut se cum corde tuo conjungat. O vis amoris! O prodigium Divinæ Bonitatis!

3. *Reg.* 19. 7.

Ps. 102. 1.

P. Joan. Weyer in Fil. Dei adopt. 10. 3. *l.* 1. *c.* 7. §. 5.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XXVI.

SS. COR JESU prævidit omnes injurias sibi in SS. Eucharistia inferendas; & tamen Amor vicit, & instituit.



Charitas omnia suffert, omnia sustinet. 1. Cor. 13, 7.

1. ANtequam Moyses Dux ac Legifer virgâ suâ, ingentium prodigiorum operatrice, sibi & omni populo Israëlitico viam per mare rubrum in Palæstinam adaperiret, priùs ipse & populus universus Agnum Paschalem cum panibus azymis & lactucis agrestibus manducavit, cujus cibi typici virtute roboratus, ipse & populus lætus hoc iter, licèt remotissimum ac periculis plenum ingressus est, ac tandem superatis difficultatibus omnibus, & frustra allatrantibus canibus Ægyptiis, tunc in mari submersis, ad locum optatum pervenit, quam terram desiderabilem exinde Josue omni populo in funiculo distributionis divisit: *Et eâdem die eduxit Dominus filios Israël de terra Ægypti &c.* Exod. 12, 51.

UVA. BHSC. BU 00661

Non Moyses, sed qui per Moysen in typo præsignatus est, tibi hic exhibetur, Anima Christiana, hoc est, Christus JEsus, Dei hominisque Filius, Dux ac Legifer noster, qui, cùm ex hoc mundo ad Patrem transiturus virgâ SS. Crucis (quam semper hactenus non sicut Moyses in manu, sed in SS. CORDE suo gestavit) viam per mare rubrum amarissimæ passionis sibi & nobis ad cœlestem Palæstinam vellet reserare, priùs Agnum Paschalem simili ritu immolatum cum Discipulis suis manducavit: *Et paraverunt Pascha.*

Matth. 26, 19.

2. Nunc considera, & intimiùs inspice SS. COR JEsu, quo affectu & animi teneritudine hunc Agnum Paschalem, veru ligneo affixum, igne assatum, & juxta S. Justinum M. per bacillos in modum Crucis expansum (sui ipsius typum) contemplatus fuerit. Audi in hanc rem Cornelium à Lapide: *In eo*, inquit, *quasi in viva sui imagine intuebatur suam crucifixionem, in qua ipse simili modo distendendus, clavis affigendus, & igne tum doloris tum magis amoris postero die assandus erat in Cruce &c.* Hunc igitur Agnum stans JEsus, & cum Discipulis suis baculum tenens in manu, renibúsque accinctus quasi peregrinus cum panibus azymis & lactucis agrestibus festinanter comedit: ubi post lotos Discipulorum pedes denovo mitissimus Salvator mensam in cœnaculo repetens, accepit panem in manus suas, & elevatis in cœlum oculis, *benedixit ac fregit, dedítque Discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: HOC &c.*

Cornel. in Matth. c. 26. v. 19.

O Domine JEsu! siste, quid agis? *Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum COR tuum?* Ad quid te totum & omnem potentiam tuam (dando nimirum te ipsum in SS. Eucharistia) vix exinanire, &, ut ita dicam, eviscerare? Quid boni aut beneficiorum unquam tibi præstitit Mundus? Cùm natus esses in Bethlehem, pro palatio tibi sordidum stabulum præbuit. Cùm pertransires regiones benefaciendo omnibus, & sanando oppressos à diabolo, tibi injurias ac millenas paravit insidias, nunc in egressu tuo tibi Crucem fabricat, infame illud, contemptibile ac patibularium lignum: *Morte turpissima condemnemus eum.* Et tu, O mi JEsu! huic ingratissimo mundo teipsum & carnem tuam Deificatam

Job 7, 17.

Sap. 2, 20.

UVA. BHSC. BU 00661

tam in perpetuam Passionis tuæ memoriam, & in pignus æternæ salutis relinques? O amabilissimum COR JEsu quid cogitas? quid pensas? An non prævides injurias tibi in SS. Eucharistia à diversis hominum statibus inferendas, qui hoc summum donum ac beneficiorum omnium maximum ne quidem agnoscent? Et quid dico, agnoscent? imò & persequentur, & millenis afficient opprobriis, blasphemiis, contumeliis: & tu hoc sanctum vis dare canibus?

3. Verùm nihil evinco, Animæ Christianæ! nihil evinco per objectionem meam; pergit Amor SS. CORDIS JEsu, & pronunciat: O cœli obstupescite! quid? *HOC EST CORPUS MEUM.* Matth. Postea ad Discipulos, quos unà secum hâc divinâ escâ refecerat, 26, 26. conversus ait: *Hoc facite in meam commemorationem.* O Pelagus Luc. 22. Divini Amoris! quantumvis latrent canes impudici & immundi 19. (prout Emblema exhibet) evomat orcus omnem furorem suum in SS. COR JEsu in SS. Altaris Sacramento verè præsentissimum, pergit tamen hæc mystica luna in suo cursu, contemptis omnium adversariorum dicteriis, opprobriis, & maledictis. Proinde ejusmodi furioso cani lunam in suo cursu frustra de nocte allatranti pro Lemmate pones;

Inanis impetus.

Ita est: *Inanis impetus:* Vicit Amor SS. CORDIS JEsu: *Super omnia autem vincit Veritas, & prævalet.* Et sicut olim Petra illa, virgâ Mosaicâ bis, hoc est, per modum Crucis percussa, etiam populo ingrato, murmuranti, & totâ die contradicenti abundantes ex suo reserato corde subministravit aquas, qui fons vivus inde emanans populum per desertum in omni itinere usque in terram Chanaan secutus est: *Bibebant autem de spirituali* (hoc est, typicâ) 1. Cor. 10. *consequente eos petrâ; Petra autem erat Christus.* Sic amabilissimum COR JEsu in SS. Eucharistia semper ad inserviendum nobis præsto est, imò etiam nos sequitur, dum nunc prodit ad ægrotos etiam per vilissima tuguria; nunc per vicos & plateas civitatis in publicis defertur supplicationibus; nunc in prælio sauciis medicina

UVA. BHSC. BU 00661

est, nec ullam spernit mortalium conditionem. O infinita bonitas hujus SS. CORDIS JEsu! quod neque Magdalenam peccatricem à se rejecit, nec leprosum repulit, nec mulierem cum sanguinis fluxu contempsit, nec claudos ac cœcos, nec debiles & infirmos à se
Ps. 22, 6. excluſit. Verè Domine *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ*, dum gratiarum fontem singulis diebus ex SS. CORDE tuo per hoc Divinum Mysterium nobis subministras.

4. Revocate hîc in memoriam Animæ Christianæ splendidissimum illud convivium, quod Assuerus Rex ad ostentationem potentiæ ac gloriæ suæ omnibus provinciarum suarum Optimatibus ac Satrapis toto semestri exhibuit, ad quod cùm perhumanè etiam Reginam Vasthi accersisset, ut coram universa nobilitate regio ornata amictu, & diademate coronata appareret, recusavit ipsa venire. Unde meritò ex consilio Sapientum repudiata, & loco illius formosa Esther in Reginam electa est: *Quæ renuit, & ad Regis im-*
Esther. 1, 12. *perium, quod per eunuchos mandaverat, venire contempsit.*

Quid per hanc Reginam Vasthi meliùs intelliges quàm superbam Synagogam Judaicam? Hanc quidem pretiosissimum COR JEsu ad Convivium Eucharisticum inter omnes nationes primò in-
Joan. 6, 61. vitavit; sed renuit illa venire: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Et sicut eadem Synagoga jam olim cœleste illud ac sapidissimum Manna, quod omnem ciborum suavitatem in se con-
Num. 11, 6. tinebat, protervè contempsit: *Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man:* Sic & hoc divinissimum Epulum ex SS. CORDE JEsu immediatè promanans, impiè aspernata est; imò verò omnibus allaboravit modis, & adhuc allaborat, ut hoc Sacrosanctum Mysterium extinctum eat. Hinc proh dolor! tot tragicæ historiæ (prout in SS. Hostiis Deggendorffii in Bavaria, Passavii, Budorgi, & plurimis aliis in locis videre est) integros libros complerunt, ex quibus abundè patet, quàm capitales inimici hu-
Psal. 24. 19. jus augustissimi Sacramenti etiamnum existant Judæi: *Odio iniquo oderunt me.* Et tamen his non obstantibus pergit SS. COR JEsu in institutione hujus ac tanti Mysterii, & seipsum nobis in cibum

ac

UVA. BHSC. BU 00661

ac potum præbet? O amor! O amor! *Quis pastor oves proprio pascit cruore? &c.* *S. Chrys. Hom. 6. in Joan.*

5. Orbi decantatum est, quod de filio prodigo enarrant Sacræ Litteræ, qui, postquam lautissimam optimi parentis mensam nauseare ac contemnere cœpit, acceptâ bonorum suorum substantiâ in regionem longinquam abiit, ubi brevi temporis intervallo eò miseriarum redactus est, ut tempore famis vix inter porcos paucas siliquas reperiret, quibus malesuadam famem satiaret? *Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant.* *Luc. 15. 16.* En optima & justa retributio. Ille, qui priùs magnificam Patris mensam ejúsque delicias in Corde suo aspernatus est, nunc ut canis famem patitur. O notate hoc voluptuosi, gulosi, luxurioši, mundani, quibus hæc Divina Mensa Eucharistica pariter fastidio est, ut eò liberiùs in cœno voluptatum vitam possitis transigere. Sed veniet profectò tempus, quando cum prodigo famem patiemini ut canes: *Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.* *Luc. 14. 24.*

Sed etiam ad vos, ô hæretici, ô sectarii, ô tepidi Christiani, hic pertinet sermo meus; dicite, quæ origo vestrarum sectarum aut depravatæ vitæ extitit, nónne hujus Divinæ Mensæ & deliciarum Eucharisticarum vilipensio? dum enim paulatim de veritate hujus SS. Sacramenti ambigere, & rarius ad id accedere cœpistis, tandem eò deveniſtis miseriarum, ut nunc cum prodigo vix aliquas siliquas habeatis, quibus ventrem & mentem inaniter soletis implere, cùm in vestra secta nec sit Sacerdos, & consequenter nec verum ibidem Sacramentum altaris existat. O quàm longè recessistis à SS. CORDE JEsu!

6. Et quid dubitatis miseri de illo, quod os Domini locutum est? An non ipse dixit, & facta sunt omnia? an non ipse mandavit, & creata sunt omnia? Et ipse pariter dixit: *Hoc est Corpus meum*, non dixit: hoc significat Corpus meum, vel hic panis figuratè est Corpus meum, prout volunt Calviniſtæ. Nec dixit: hic panis est simul panis, & erit Corpus meum primùm in sumptione & in usu,

UVA. BHSC. BU 00661

prout opinantur Lutherani, sed hoc est Corpus meum de præsenti per transubstantiationem videlicet & conversionem substantiæ panis & vini in substantiam Corporis & Sanguinis Christi, solis accidentibus panis & vini remanentibus sine subjecto; qui enim virgam Moysis potuit mutare in serpentem, aquas Ægyptiorum in sanguinem, & aquas in Cana Galilææ in optimum vinum, ipse quoque in ultima cœna mutavit substantiam panis in carnem suam & vinum in sanguinem suum, dum dixit: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur*: Et *hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur*, sed non nuda figura Corporis Christi pro nobis in cruce tradita est, sed verum Christi Corpus, verúsque sanguis illius pro salute mundi effusus est. Ergo &c.

Exod. 4, 3. *Exod.* 4, 9. *Joan.* 2, 9.

Collige ex hoc rursus prudens Lector infiniti amoris argumentum in Sacratissimo CORDE JEsu, quod non in cruce duntaxat, sed etiam in SS. Sacramento altaris positum est in signum, cui ubique ab hæreticis contradicitur, & in quod tot adversantium tela & blasphemiæ etiamnum hodie emittuntur. O quanta tulit hoc Divinissimum COR optimi Redemptoris nostri in SS. Eucharistia hactenus ab insania Judæorum, à perfidia hæreticorum, à furore paganorum, & ab impietate malorum Christianorum? Quoties immundis canibus, imò dæmonibus à sagis fuit objectum, à sacrilegis raptoribus in fornaces & cloacas immissum, pugionibus & cultris usque ad sanguinem confossum, pedibus proculcatum, à spurcis Sacerdotum Sacrilegorum manibus tractatum, & ab indignè communicantibus in fœtulentissimum sterquilinium injectum! Horresco plura enarrare: hæc, inquam, & innumera alia opprobria & indignitates optimè in primæva institutione prævidit SS. COR JEsu, vicit tamen immensus amor, dum etiamnum in SS. Eucharistia & usque ad finem mundi desiderat manere. O bone JEsu: *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus*, ac præsertim SS. CORDIS illius?

S. Chrys. hom. 60. *ad pop. Antioch.*

7. Ex quibus clarè & evidenter patet, quàm submisso, & humili latriæ cultu à nobis sit colendum & adorandum SS. COR JEsu in SS.

UVA. BHSC. BU 00661

SS. Eucharistia, quantò magis ab aliis ingratis homuncionibus blasphematur & vilipenditur: *Dominum DEum tuum*, inquit Veritas, *adorabis, & illi soli servies.* Si ergo Christus in SS. Eucharistia non minùs DEUS est, quàm qui est in cœlo, ergo non minùs ibidem adorandus erit. In hunc finem SS. COR JEsu inflammatum supra Tabernaculum Dei, ubi in Templo habitare solet cum hominibus, jam in pluribus locis Augustanæ Diœceseos erectum cernitur, ut sic Corda Sacerdotum offerentium & laicorum in divinis præsentium eò fortiùs ad DEum verum & vivum, ibi in spiritu & veritate adorandum attrahantur, cui pro lemmate illud Apocalypseos inscribes: *Hîc DEum adora.* Vel illud Patriarchæ Jacobi: *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam:* Aut illud Sapientis: *In simplicitate cordis quærite illum.* Vel denique illud Regii Vatis: *Sperate in eo omnis congregatio populi: Effundite coram illo corda vestra: DEus adjutor noster in æternum.* *Matth.* 4, 10. *Apoc.* 22, 9. *Gen.* 28, 16. *Sap.* 1, 1. *Ps.* 61, 9.

8. O Christiane, ô Catholice! quid adhuc stas otiosus? *Interroga jumenta*, ait Job, *& docebunt te, & volatilia cœli & indicabunt tibi.* Vis aliqua & luculenta de hac veritate exempla? *Job.* 12, 7.

Interroga agnellum S. Francisci Seraphici, quem hic Sanctus Pater ex tenero affectu erga Divinum illum Agnum pro nostra salute in cruce immolatum, prece & pretio à macello liberavit: hic, inquam, agnus, quoties cum liberatore suo ad rem Divinam aut in Ecclesiam se contulit, toties SS. Sacramentum humili inclinatione adoravit. *In vita S. Franc. Seraph.*

Interroga equum, de quo refert Pepinus, quòd SS. Hostiam, à Sacerdote in pyxide ad ægrotum ver vicum deportatam poplite flexo in confusionem sui insessoris submissè veneratus sit, qui impius eques miraculo commotus, mox ab infidelitate ad DEum conversus est. *Pepin. serm.* 2. *de Ven. Sac.*

Interroga tauros & vaccas, quæ jumenta pariter ad S. Salvatorem prope Ingolstadium in Bavaria augustissimum altaris Sacramentum, quod pastor quidam simplex tempore paschali in baculo suo pastorali pro sua privata devotione incluserat, flexis genibus *Ex actis & pictur. illius Ecclesiæ.*

UVA. BHSC. BU 00661

nibus per circuitum humiliter adorârunt, in quo loco postea Ecclesia ad Salvatorem dicta, variis in miseros mortales beneficiis illustris, erecta est.

Bagatta tom. 2. fol. 103.

Interroga oves & capras prope Gandavium in Flandria SS. Hostias in ciborio à furibus ex templo PP. Augustinianorum asportatas, & in agro defossas, lugubri balatu ac positis genibus honorantes, quas Sacrosanctas Hostias in sanguine purpureo natantes Venerabilis Clerus anno 1354. cum solennissima processione in dictum Templum intulit, in quo loco in memoriam hujus ac tanti prodigii celeberrima quædam Sodalitas sub titulo SS. Sanguinis JEsu erecta est.

In vita S. Anton. Paduan.

Interroga asinum Bonovilli hæretici Bononiæ in Italia SS. Hostiam à Divo Antonio Paduano monstratam, humiliter & prociduo genu adorantem, quo miraculo Divus Thaumaturgus illum hæreticum, qui priùs SS. Eucharistiæ omnem cultum negaverat, ad saniorem mentem revocavit, & ad orthodoxam fidem convertit.

Stengel. in lib. de spe & fiducia in Deum.

Interroga denique canem, Ulissipone semper ad primum campanæ signum, dum SS. Eucharistia ad ægros deportanda erat, in Ecclesia apparentem, & cum gaudio SS. Hostiam usque ad destinatum locum comitantem, & si fortè contigit, ut ingrati quidam homines huic divinissimo mysterio debitum cultum non exhiberent, illos vi & dente mordaci in terram attraxit, ut sese coram tanto Domino humiliarent.

9. En anima Christiana! Etiam stupida animalia docent te, quo cultu adoranda sit SS. Eucharistia, & in ea primariò SS. COR JEsu supremo semper dignum honore. Quid igitur nunc restat, quàm ut talibus provocata exemplis eò allabores, quomodo imposterum honorem SS. CORDIS JEsu Eucharistici & Crucifixi pro viribus, tum comprimis in te, tum etiam in aliis promoveas. Imitare illustre exemplum S. Bonaventuræ, qui cupiebat loco illius lanceæ fuisse, quo miles Sacratissimum COR JEsu transfixit, de quo divino CORDE noluisset ampliùs exire, sed perpetuum ibi figere domicilium. Tandem cùm viribus destitutus ad agonem deveniisset, & ob vomitum ac stomachi debilitatem, quâ vehementer affligebatur, SS. Viaticum sumere non posset, instanter petiit, ut saltem Corpus Domini in Ciborio ad se deferretur, cujus divinâ præsentiâ roboratus felicem sortem & mortem inveniret. Factum id ex voto est, & ecce cùm Sacrosancta Hostia pyxidi inclusa lateri ejus admoveretur, non sine ingenti miraculo illa pars pectoris, quæ Cor solet contegere, in formam purpureæ rosæ reserata est, per quam SS. Corpus Domini è pyxide in illius Cordis intimum sese ultro immisit; sic lætus & solamine plenus illud Simeonis decantans: *Nunc dimittis servum tuum Domine &c.* beatam animam in dulcissimum COR JEsu expiravit. Si vis similem beatam obire mortem,

Lyræus lib. 7. c. 1.

ama SS. COR JEsu, & invenies.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XXVII.

SS. COR JESU Eucharistici indignè cum Juda communicantes summâ injuriâ afficiunt, & de novo in mortem tradunt.



Et post buccellam introivit in eum Satanas. Joann. 13, 27.

1. QUàm ardenti desiderio pientissimum ac Sanctissimum COR JEsu ante amarissimam passionem suam desideraverit cum Discipulis suis Sacrum Pascha manducare, in quo seipsum tanquam verum Agnum edendum in mensa apponeret, patet ex ipsis benignissimi Redemptoris verbis, quibus jam ad mensam considens duodecim Apostolos est allocutus: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Et ecce paulò pòst, cum Sacro Epulo Discipulos suos jam refeciisset, ex intimo Corde ingemiscere, ac publicè coram omnibus suspirare cœpit: *Cùm hæc dixisset, turbatus est spiritu.* Quid, obsecro, O mi Re-

Luc. 22, 15.

Jo 13, 21.

UVA. BHSC. BU 00661

Redemptor! adeò in suprema illa cœna Cor tuum turbavit? priùs ingenti desiderio ad hanc divinam mensam, in qua vitale nobis epulum parares, memoriámque mirabilium tuorum relinqueres, sæpius in vita tua anhelâsti. Nunc cùm optatum illud tempus advenit, conturbaris spiritu, doles, & ingemiscis Corde?

Causam insoliti hujus mœroris Sacri Scriptores assignant, quia tunc in Mensa Eucharistica præsentem convivam habuit Judam Iscariothem, impiissimum proditorem suum, quem pariter hoc divino Pabulo ac vitæ Ferculo refecit, hinc illa suspiria: *Turbatus est spiritu, & protestatus est, & dixit: Amen, amen dico vobis: quia unus ex vobis tradet me:* de novo enim ille Christum in mortem tradit, qui Corde inquinato ac conscientiâ pollutâ, velut alter proditor, præsumit ad hanc divinam Mensam accedere: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini,* quod idem est, interprete S. Chrysostomo: *Ita reus erit Corporis & Sanguinis Domini, ac si Christum occidisset, & ejus Sanguinem effudisset.* Quod idem Os Aureum in alio loco affirmat? *Multò igitur dæmoniaco pejor est, qui peccati sibi conscius accedit, quoniam æternis tradetur tormentis. Nullus igitur communicet, nisi ex Discipulis sit, nullus impuro animo, sicut Judas, panem cœlestem assumat, ne similia patiatur.*

1. Cor. 11, 27.

S. Chrys. in hunc locum.

2. Hanc veritatem per aliquod Emblema vobis ob oculos ponimus, ubi in horto ex una parte apiculam adumbrari curavimus, quæ ex corde liliorum, rosarum, flosculorum & herbarum dulcissimum sibi mel exsugit. Ex altera verò parte sordidum scarabæum collocavimus, qui ex iisdem fragrantibus flosculis & viridantibus in gramine gemmis non dulce mel, sed lethiferum venenum, nec longiorem vitam, sed mortem præproperam sibi haurit. Simile quid narratur de aranea, quæ dulcem flosculorum succum in toxicum & mortiferum venenum convertit: Hinc Lemma:

Hæc mel, ille venenum.

Vel ponamus pro Symbolo Arcam Dei, ab impuro Oza non impunè attactam, cum Lemmate Ecclesiæ:

2. Reg. 6, 7.

Mors

UVA. BHSC. BU 00661

Mors malis: Vita bonis.
Vel
Sancta sanctè.

En hìc genuinum typum illorum, qui benè & conscientiâ purâ cum cæteris Christi Discipulis, & qui malè cum Juda sordido ac impuro corde ad hoc divinissimum Epulum & Cibum Angelorum accedunt: Hinc Ecclesia: *Vide paris sumptionis, quàm sit dispar exitus!*

3. Sic candida illa columna nubis & ignis Israëlitis in omni periculo certæ saluti, Ægyptiis verò sequentibus ruinæ extitit: *Respiciens Dominus supra castra Ægyptiorum per columnam nubis & ignis interfecit exercitum eorum.* Sic Arca fœderis domui Obededom omnem benedictionem, Philistæis verò incredibilem stragem tulit: *Fiebat enim pavor mortis in singulis urbibus, & gravissima valde manus Dei.* Sic panis ille subcinericius Gedeonis ex hordeo devolutus, & in castra hostilia descendens, Madianitis infallibilem interitum, Israëlitis verò insignem victoriam annuntiavit: *Cúmque perveniſſet ad tabernaculum, percussit illud, atque subvertit, & terræ funditus coæquavit.* Sic fornax Babylonica tribus pueris suavissimo rori similis videbatur, econtra Chaldæos flamma ex illa erumpens momento temporis consumpsit: *Porro viros illos, qui miserant Sidrach, Misach, & Abdenago, interfecit flamma ignis.* Sic per scalam illam admirandam, quam olim Jacob conspexerat, aliqui Angelorum in cœlum saliebant, alii verò ad terram descendebant: *Vidit Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam.* Collige ex his figuris figuratum. Similis facies illorum est, qui dignè aut indignè communicant, ubi piis acritè dispositis Sacratissima Eucharistia est Panis Vitæ, certa salus, medicina cœlestis, & futuræ gloriæ pignus; impiis verò ac tepidis, & sine dispositione sumentibus ruina & judicium, imò ipse infernus. Audi rursus S. Chrysostomum: *Nolimus, obsecro, fratres, nolimus impudenter nos ipsos interimere, sed cum omni honore & munditia ad Deum nostrum accedamus, ut sic immortalem vitam, Angelorum sedem, & Christi consuetudinem acquiramus.*

Exod. 14. 24.

1. *Reg.* 5. 11.

Judic. 7. 13.

Dan. 3. 22.

Gen. 28. 12.

S. Chryſ. in 1. *Cor. hom.* 24.

UVA. BHSC. BU 00661

4. In hunc finem non sine singulari Mysterio pretiosissimus Salvator in eadem suprema cœna duos gladios ad latus parietis suspensos secum habere voluit: *Domine, ecce, duo gladii hîc.* Ita quondam in figura Abimelech Sacerdos gladium illum, quô David Goliæ caput in valle Terebinthi amputaverat, juxta auream mensam, in qua panes propositionis Deo offerebantur, involutum pallio post Ephod suspendit: *Ecce hîc gladius Goliath Philistæi.* Ita S. Joannes, dilectus ille Discipulus Christum, Dei hominisque Filium conspexit acutissimo gladio instructum: *Et de ore ejus gladius, utraque parte acutus exibat.* Ad quid, obsecro, hi gladii?

Luc. 22, 38.

1. Reg. 21, 9.

Apoc. 1, 16.

O tepidi Christiani! O fratres Judæ! O Deicidæ! qui cum hoc traditore, antesignano vestro non horretis ad divinissimum COR JEsu sordido animo accedere. Vos, vos, inquam, estis, quos uterque ille gladius in ultima cœna præsens concernit, dum per indignam communionem non tam pœnam Ecclesiasticam, quàm civilem, non tam temporaneam, quàm æternam incurritis. Ita Marcellinus de Pisis: *Hos duos gladios moraliter expendo de duplici modo vindice temporalis & æternæ pœnæ, qui indignè surgentes ab hac cœna in utrumque gladium incurrunt.*

Marcell. de Pisis in hunc locum.

5. Indignamur, dum audimus, aut legimus horrendum illud scelus, quo se à mundi primordio impiissimus Cain contra unicum fratrem suum Abelem contaminavit, dum sine ulla causa invidus fratricida illum è medio sustulit, cujus innocuus sanguis supra terram effusus mox à cœlo de tam scelerato capite vindictam expostulavit: *Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra!* Et quid dico? An non multò magis indignemur illis impiis & execrandis Christianis, qui impuris manibus, sordido ore & corde non verentur ipsis Angelicis Spiritibus veneranda Sacramenta indignè recipere ac contrectare? An non tales tigrides innocentissimum sanguinem veri & justi Abelis Christi JEsu de novo profundunt, & SS. COR ejus pedibus proculcant? Audite Venerabilem Bedam: *In sempiternum væ homini illi, qui ad mensam Domini indignè accedit, ille enim in exemplum Judæ Filium hominis tradit.*

Gen. 4, 10.

Ven. Beda hic.

Irasci-

UVA. BHSC. BU 00661

Iraſcimur Joabo, dum in memoriam nobis revocatur, quàm falſo ac ſubdoloCorde hic perfidus ſiccarius cum innocente Amaſa egerit, dum eum blandè apprehenſum, ſuóque pectori adſtrictum, & quaſi amicum optimum oſculo honoratum, interim gladio in cor ejus adacto interemit, omniáque ejus inteſtina in terram effudit: *Porro Amaſa non obſervavit gladium, quem habebat Joab, qui percuſſit eum in latere.* Et quid aliud facit indignè communicans, ſive Sacerdos ille ſit, ſive laicus, quàm ut pariter COR JEſu de novo proditorio modo occidat, mactet, & perdat? An non hoc grande nefas eſt morte æternâ piandum? *Dic*, ait S. Hieronymus, *quisquis fueris, qui Sacramenta ſumis, qualiter cum eis labiis Filium Dei oſcularis, qnibus oſculatus es labia meretricis? O Juda! Filium hominis tradis!* 2. *Reg.* 20, 10. *S. Hier. in quadam epiſtola ad Sacer.*

6. Cæterùm ſuccenſemus Pilato, quando in mentem nobis venit, quòd abominandus hic deicida, ſententiam mortis in Chriſtum Dei Filium fulminaturus, priùs ſacrilegas manus ſuas coram omni populo abluerit, per quam actionem & ritum cor ſuum omnino voluit probare innocuum: *Acceptâ aquâ lavit manus coram populo, dicens: innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus: vos videritis.* O impiiſſimum ſycophantam! *Matth.* 27, 24.

O Miniſtri & Myſtæ ſummi Dei! qui *offertis ſuper altare* Domini *panem pollutum*, ad vos pariter hic pertinet ſermo meus. Dicite, ſi in mortali conſtituti, nec ſatis contriti, aut per ſeriam pœnitentiam cum DEO reconciliati, ad Sancta Sanctorum & ad hoc auguſtiſſimum nimísque tremendum Altaris Sacramentum præſumitis accedere, An non cum impio Pilato noxias manus veſtras coram cuncto populo Chriſtiano lavatis, & interim de novo Chriſtum immaculatum illum Agnum ad mortem crucis condemnatis? *Et quidem Judæi*, ait Madridius, *ſi Regem gloriæ cognoviſſent, nunquam utique crucifixiſſent. Tu verò quoties indignè ſumis hoc ſalutare Sacramentum, quantùm in te eſt, & ſciens & volens toties Chriſtum cruci affigis.* Ah abſit à vobis! abſit, obſecro, Cordis iſta perverſitas: priùs contingat mille *Malach.* 1, 7. *Madrid. de Ven. Sacram.*

UVA. BHSC. BU 00661

subire neces, quàm ita reum fieri SS. Corporis & Sanguinis Domini.

7. Olim in Lege Veteri severissimè cautum ac præceptum erat, ut, qui de carne pacificorum, aut de adipe illius, qui DEO in incensum offerri debebat, aliquid comedisset, non solùm indignationem Summi Numinis, sed & temporalem mortem incurreret; *Levit. 7. 15.* *Si quis adipem, qui offerri debet in incensum Domini, comederit, peribit de populo suo.* O Bone DEus! quantò magis ille Christianus omni supplicio dignus erit, qui in graviori noxa, quam ex verecundia inani in sacro tribunali abscondit, sciens & advertens de Pacifica Hostia Sacratissimæ Carnis ac Sanguinis Unigeniti Filii Dei & Mariæ Virginis participat? An non hoc est SS. COR JEsu projicere canibus, & gemmam pretiosissimam porcis? *Cogita,* subintrat hîc iterum Divus Chrysostomus: *S. Chrys. hom. 83. in Matt.* *Quantùm adversus proditorem indigneris, & contra eos, qui illum crucifixerunt; itaque considera, ne tu quoque sis reus Corporis & Sanguinis Christi: illi Sanctissimum Corpus occiderunt, tu autem polluta suscipis animâ post tot beneficia?*

8. De Josepho ab Arimathæa nobilissimo illo Decurione, viro justo ac pio, qui nunquam consenserat consilio & actibus Judæorum, recensent Sacri Scriptores, quòd cordatè & sine ulla formidine in die parasceves ad Pilatum Romanum Judicem fuerit ingressus, à quo Corpus JEsu in cruce mortui instanter expetiit: *Marc. 15. 43.* *Audacter introivit ad Pilatum, & petiit Corpus JEsu: Pilatus autem mirabatur, si jam obiisset: & accersito centurione interrogavit eum, si jam mortuus esset, & cùm cognovisset à centurione, donavit Corpus Joseph.* Quid agis mi Joseph, vir clarissime? summo hîc odio & certæ vitæ periculo apud perfidam gentem tuam te expones? Edic nobis, in quem finem exangue & inanime Corpus Christi à Pilato tanto cordis ardore & zelo postulâsti? *Italus quidam recentior in medit. de pass. Dom.* Respondent nonnulli Sacri Interpretes, ideo Josephum Corpus JEsu tanto desiderio expetiisse, ne hoc SANCTUM à Sacrilegis Judæis in turpem cloacam, aut in fœtidum sterquilinium (prout cæteris duorum

UVA. BHSC. BU 00661

rum latronum cadaveribus accidit) denuo indignissimè projiceretur. Hinc posthabito omni vitæ, aut famæ perdendæ periculo, solicitè curavit, ut idem Sacratissimum Corpus Domini honestæ sepulturæ mandaretur. Et quid, inquit S. Bernardus, ille Christianus aliud agit, qui mortiferi sceleris sibi conscius ad SS. COR JEsu accedit: An non *præstantissimum sæculi pretium in conscientiæ suæ fœtidum sterquilinium projicit?* O væ homini illi, meliùs enim esset, si natus nunquam fuisset. *S. Bern. decl. de bonis deser.*

9. Recordor hîc illius impudentis convivæ, qui olim sine veste nuptiali, solùm suis consuetis centonibus contectus ad regias illas nuptias, quas æternus Pater Filio suo paraverat, penetrare, & inter cæteros ornatissimos convivas Regiæ mensæ assidere non erubuit, quem ubi Rex conspexit, absque mora eum tortoribus tradidit cruciandum: *Tunc dixit Rex ministris: ligatis manibus & pedibus ejus mittite eum in tenebras exteriores.* Et quid, obsecro mi Domine, hic miser peccavit? An quia non habuit vestem nuptialem? Sed pauper erat, & indigus, & tu æquè pauperem quàm divitem respicis, quia apud te non est respectus personarum? Advertite: per carentiam hujus vestis nuptialis defectus debitæ dispositionis denotatur. Non erat ergo hic impudentissimus homuncio dignus, ut de hac Regia & Eucharistica Mensa participaret, quia peccator erat, pluribúsque pravis habitibus deditus. Proinde optimè in hanc rem Magnus ille Augustinus: *Ecce,* inquit, *qualem sententiam merebitur audîsse, qui ad convivium nuptiale, id est, ad altare Domini aut ebriosus, aut in corde suo odium retinens, præsumit accedere?* Addo ego: & qui in amore sensuali & impudicitiis vivens, aut injustè acquisita non restituens, aut blasphemiis, perjuriis, & detractionibus deditus (cùm ejusmodi peccatores non facilè ad cor redire soleant) non veretur ad Divinissimum COR JEsu accedere? Heu! quàm formidabilem sententiam isti indigni non merebuntur? *Matth. 22, 13.* *S. Aug. serm. 1. de dedic. Eccles.*

10. De Christo denique habemus, quòd post mensam mox ad cœlum glorioſus migraverit: *Et convescens præcepit eis &c.* *Act. 1, 4.*

Econ-

UVA. BHSC. BU 00661

Dan. 5, 30. Econtra Rex Balthasar & dives epulo cum hoc conviva Evangelico rectà post mensam ad infernum descenderunt. Hæc est facies illorum, qui dignè aut *Luc.* 16, 22. indignè communicant. Cave, quisquis es, si imparato corde aliquando ad hanc tremendam & Eucharisticam Mensam accessisti, ne similiter illud audire debeas: *Amice, quomodo huc intrâsti:* crimen enim hoc summæ læsæ Majestatis est, nec majori injuriâ SS. COR JEsu poteris afficere, quàm si purissimum 2. *Cor.* 6, 15. hoc COR cum impurissimo Corde tuo conjungis; *quæ enim conventio Christi ad Belial?*

Quid igitur consilii in re tanti momenti? Audi, quid Petrus fecerit, de hoc refert Evangelium, quòd post gloriosam Christi resurrectionem ad mare Tiberiadis cum sociis suis se contulerit, ut ibidem copiosam piscium multitudinem concluderet. Et ecce, cùm per totam noctem nihil prehendisset, manè facto, stetit JEsus in littore, quem omnium primus Joannes agnovit, dicens *Joan.* 21, 7. Petro in aurem: *Dominus est.* Quod cùm audisset Petrus, sine mora *tunicâ succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare.* Quid agis mi Petre? an non vestes te magis in natando impedient? & quid tunica in aquis? nunquid sic meliùs per mare ad Christum poteris venire? Non, inquit Petrus, non, non; neutiquam enim decet, ut sic nudus coram tanto cœli & terræ Domino compaream. Respectus, respectus hîc habendus est &c. Audis hoc Sacerdos tepide, qui nec calidus nec frigidus es? Audis & tu laice? antequam ad SS. COR Eucharisticum accedendum est, oportet priùs tunicam, vestémque *Levit.* 11, 45. nuptialem, hoc est, primam innocentiam induere; *Sancti estote, quia ego Sanctus sum, ne polluatis animas vestras.*

Vidit aliquando Zacharias Propheta JEsum Sacerdotem stantem coram Angelo Domini: hoc bene, sed quale monstrum stipabat latus ejus, & quidem *Zach.* 3, 1. dextrum? *Et Satan stabat à dextris ejus*, inquit Propheta: hoc malum omen: pessimum verò, quod sequitur: *Et JEsus erat indutus vestibus sordidis.* Has *v.* 3. non potuit tolerare cœlestis Genius. Hinc cum indignatione circumstantibus *v.* 4. dixit: *Auferte vestimenta sordida ab eo.* qualia autem hæc vestimenta fuerint, indicant verba protinus subjecta: *Ecce abstuli à te iniquitatem tuam.* Sacerdos Christianus ad aram faciens stat & ipse sine dubio coram Angelo Domini: imò non uno tantùm, ut scribit, & vidit S. Chrysostomus, sed coram multitudine Angelorum, cum summa reverentia altare ambientium. Væ illi, si cum vestibus sordidis accedat, hoc est, conscientiâ impurâ, graviúmque scelerum, quin & levium culparum maculis sordidatâ, quæ faciunt, ut & dæmonem sacrificaturus comitem habeat & stipatorem. Absit hoc probrum à te, Sacerdos sancte, vel Laice Eucharistico Epulo saginande! Absit, absit!

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XXVIII.

SS. COR JESU Eucharistici est verus ille Cypri Botrus, in torculari Crucis in salutem omnium sitientium animarum expressus.



Botrus Cypri Dilectus meus. Cant. 1, 13.

1. NOn sine singulari mysterio SS. COR JEsu à dilecta illa Sponsa suavissimo Cypri Botro assimilatum est: *Botrus Cypri Dilectus meus;* sicut enim Botrus Cypri cæteras terrarum uvas & dulcedine & magnitudine longè antecellit, & dum in torculari exprimitur, mirum quendam odorem, quasi flos odoratissimus per aëra spargere solet; sic SS. COR JEsu in torculari Crucis expressum, tanquam Botrus Cypri suavissimus & odoratissimus per universum terrarum orbem odoris sui suavitatem & passionis dulcedinem longè latéque diffudit, & etiamnum in SS. Eucharistia, (quod prorsus idem Sacrificium cum Cruce est) per omnem *Cant.* 1, 13.

UVA. BHSC. BU 00661

Cornel. à Lap. in Isaiam hic.

Ecclesiam in cunctas fidelium animas benignissimè diffundit. Prœlum seu torcular, in quo hic Botrus mysticus (SS. COR JEsu) ad supremam usque sanguinis stillam pro salute mundi expressus est, juxta mentem SS. Patrum Crux Dominica extitit, de qua Isaias

Isa. 63, 3. in persona Christi Crucifixi ait: *Torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum*, quam cruentissimam vindemiam ac pressuram cùm Angeli pacis attoniti spectâssent, præ compassione in has voces soluti sunt: *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Et quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?*

O Sionidæ! O Animæ Christianæ! invito vos omnes hodie ad hanc cruentam, & nullis unquam sæculis auditam vindemiam, heu! quis hanc considerans pressuram non contremiscat? quis non animitus huic SS. CORDI condoleat? cui sub prœlo gementi pro Lemmate affigo:

Premitur, ut exprimat.

2. Ita est: *Premitur*, heu! nostris gravissimis peccatis, quæ quasi onus grave super hoc SS. COR JEsu gravata sunt, *ut exprimat* suavissimum illud Manna ac dulcissimum falernum, quod nunc quotidie in SS. Eucharistiæ Sacramento suis fidelibus propinat. O immensus Amor! O inæstimabilis dignatio charitatis!

Lyr. de imit. Jes. pat. fol. 276.

Et hoc est, quod Ven. P. Hieronymus Petruccius è Societate JEsu de hoc Sanctissimo ac Divinissimo CORDE JEsu Romæ in sacro Palatio coram Urbano VIII. Pontifice Maximo, & in præsentia Purpuratorum Patrum in publica oratione ingenti zelo prædicavit, dum præsentem Pontificem, antequam Jubilæum universo orbi aperiret, hisce verbis allocutus est: *Mucro ille diræ lanceæ Pontificalem mutatus in clavem, ad apertum vitæ ostium* (SS. COR JESU CRUCIFIXI) *nos invitat, & ideo miles ille latus aperuit, ut tu largâ potentique manu, superfusis in subjectos populos indulgentiæ divinæ donis, exulanti mortalitati cœlum aperires.* Vide hîc, obsecro, Anima Christiana! & perpende, quàm infinita, quàm im-

UVA. BHSC. BU 00661

immensa, quàm inenarrabilia bona ex hoc CORDE JEsu (mystico Cypri Botro in torculari Crucis presso) profluxerint, à quo omnis potestas Clavium Ecclesiæ, indulgentiæ omnes, & tota remissio peccatorum suam trahunt vim & originem: *Et sine sanguinis effusione non fit remissio.* Et licèt Christus Dominus hoc SS. CORDIS Vulnus primùm post mortem acceperit, illud tamen à prima conceptionis hora prævidit, liberè acceptavit, & pro peccatis omnium æterno suo Patri in litrum Redemptionis nostræ obtulit. O animæ peccatrices! annuntio vobis gaudium magnum, adhuc vestræ superest spes salutis; ite, ite animo contrito & humiliato ad SS. COR JEsu Eucharistici & Crucifixi, *& si fuerint peccata vestra sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana munda erunt.* *Hebr. 9, 22.* *Isa. 1, 18.*

3. Recordor hîc illius prægrandis & suavissimi Botri, quem quondam duo Viri Israëlitæ, cùm Chanaan terram illam desiderabilem, à fructu frumenti, vini, & olei ubertim à Deo stabilitam, explorarent, in abitu cum racemo abscíderunt, & ex vecte suspensum ad castra, tunc in solitudine Arabiæ locata, deportârunt: *Pergentesque usque ad torrentem botri, abscíderunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt in vecte duo viri.* Celeberrima est hæc figura, multísque referta mysteriis. *Num. 13, 24.*

Per Botrum illum suavissimum ex terra promissa, hoc est, ex purissimo CORDE B. Virginis progerminantem, haud immeritò SS. ac diviniſſimum COR JEsu intelliges, per vectem autem, in quo Botrus ille pependit, Crucem Dominicam, & per racemum, quem simul cum Botro abscíderunt, racemum spinarum SS. COR JEsu cingentium accipies. Per duos autem viros hunc Botrum portantes, duo testamenta, vel populus Judaicus & Christianus intelligitur, ubi Judæi quidem in fide in Christum Messiam præibant, sed in Crucifixum credere noluerunt; Christiani verò Botrum illum Mysticum secuti, salutem & vitam obtinuerunt; ubi in expositione hujus elegantis figuræ subintrat S. Augustinus: *Laboremus ergo, ne à cervicibus nostris tam sanctam sarcinam deponamus.* Quin imò *S. Aug. serm. 100. de temp.*

UVA. BHSC. BU 00661

laboremus, ut hanc sacram sarcinam (SS. COR JEsu) in ipso Corde nostro portemus, ut sic COR JEsu & Cor nostrum unum Cor fiat, juxta exemplar S. Catharinæ Senensis, quæ Cor suum in apertum Christi latus intrare, atq; ibidem cum SS. CORDE JEsu in unũ conflari vidit. O quàm felix es, Anima Christiana! si in SS. Eucharistia, quam percipis, Cor tuum cum SS. CORDE JEsu in unum coalescat!

Nadas. an. cœl. die 30. April.

4. O quàm felix fuit Pincerna ille Regius cum Josepho quondam in Ægypto incarceratus, dum in somno divinitùs immisso vitem quandam fertilissimam vidit, de qua maturas uvas collegit, & in calicem Regis expressit: *Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores uvas matureſcere, calicémque Pharaonis in manu mea: Tuli ergo uvas, & expressi in calicem, quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni.* Placétne videre, Anima Christiana! hanc figuram ad amussim expletam? Converte oculos tum corporis tum mentis ad SS. COR JEsu supra Tabernaculum Sanctissimi ac Divinissimi Sacramenti publicæ devotioni expositum. En, hîc habes vitem, tres propagines & uvam! Vitis Crux est, dum quasi vitis in medio CORDIS JEsu plantata fructificat suavitatem odoris. Tres propagines ejus sunt cruenti illi & rigidi spinarum racemi, quibus afflictissimum COR JEsu per omnem vitam perfodiebatur. Uva, quæ ex hac vite pendet, SS. COR JEsu est. O uva suavissima! quid dulcius hac uvâ Eucharisticâ? Per gemmas autem & flores inde progerminantes, non incongruè divini illius cruoris & aquæ stillas, ab imo CORDE JEsu profluentes, intelliges. O pretiosæ gemmæ! quæ pretium solverunt totius sæculi! quòd denique Pincerna hanc uvam in calicem expresserit, & poculum Regi suo in mensa tradiderit, quid aliud præsignavit, quàm idem SS. COR JEsu, in Mensâ Eucharisticâ nobis in cibum & potum præbendum? Botrus enim non tantùm ad edendum, sed etiam ad bibendũ accommodatus est, & sicut vinum, quod est sanguis terræ, lætificat cor hominis, eúmque inebriat, ac confortat: sic Caro & Sanguis SS. CORDIS JEsu totam Ecclesiam, & Cor fidelium mirè exhilarat, confortat, & Divino Amore ebrios facit.

Gen. 40, 9.

His

UVA. BHSC. BU 00661

His consideratis non miror ampliùs, quòd Pincerna ille regius in pristinum dignitatis gradum restitutus, atque in Regis gratiam receptus sit. *Et restituet te in gradum pristinum, dabísque eis calicem juxta officium tuum:* quia totam suam spem & vitæ fiduciam, licèt in umbra tantùm in hoc mystico Botro, Crucifixo & Eucharistico JEsu, videtur collocâsse. O animæ amantes venite & vos ad Divinas has Epulas! Venite ad SS. COR JEsu Eucharistici. En Sapientia hîc ædificavit sibi domum, posuit mensam, miscuit vinum: Venite, venite &c. Gen. 40, 13.

5. Et hoc est, quod in Spiritu Prophetico quondam prævidit Jacob Patriarcha, qui moriturus omnes filios suos convocavit, quibus non paternam duntaxat ac supremam benedictionem suam impertiit, sed & singulis præsentibus ac eorum posteris, quæ bona aut mala illis essent eventura, annuntiavit. Cùm igitur ad Judam devenisset, illi non tam adventum, quàm etiam Regnum Christi, quod in cruce erat erigendum, sub symbolo uvæ seu botri declaravit, atque jam tunc clarissimis verbis ad SS. COR JEsu Redemptoris nostri allusit. Audiamus illius verba: *Non auferetur*, inquit, *sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*, ubi mox ad passionem Christi transit: *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, ô fili mi, asinam suam: lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum.* Et quid hoc est, dices, nondum capio hujus vaticinii mysterium? Audi, rem paucis dilucidabo: Gen. 49, 10.

Ex hoc vaticinio comprimis Judæi clarissimè convincuntur, quòd Messias jam pridem in mundum venerit, ísque non alius, quàm Christus Dominus fuerit, qui tempore Herodis à Virgine natus, ubi sceptrum de Juda defecit, & regale eorum imperium expiravit. Convincuntur similiter & de Christi passione ac morte Crucis, quam hîc Jacob moriturus filiis suis non obscurè sub typo sanguinis uvæ adumbravit: *ligans*, inquit, *ad vineam pullum suum, & ad vitem asinam suam.* Per quam vineam Patres Ecclesiam intelligunt, ad quam Christus pullum suum, id est, populum gentium,

UVA. BHSC. BU 00661

tium, qui jugum legis nondum tulerat, per passionem suam alligavit; per vitem verò SS. Crucem subaudiunt, ad quam Christus asinam, hoc est, populum Judæorum jugo legis assuetum & attritum adstrinxit, quas duas gentes exinde in unam conjunxit & adunavit Ecclesiam.

Et sequitur: *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum.* Per hanc stolam Tertullianus, S. Ambrosius, & communiter alii carnem Christi innocentissimam & candidissimam accipiunt, in vino sanguinis sui, in vite crucis effusi, rubricatam & lavatam: per pallium verò in sanguine uvæ dealbatum & lotum rursus Ecclesia adumbrata est, per uvam SS. COR JEsu; ita Divus Ambrosius. *Et bene,* inquit, *uvam dixit, quia sicut uva pependit in ligno. Ipse est vitis, ipse est uva; vitis ligno adhærens; uva, quia lanceâ militis apertum latus* (hoc est, SS. COR JEsu) *emisit aquam & sanguinem, aqua ad lavacrum, sanguis ad pretium: aqua nos abluit, sanguis nos redemit.* O Sacratissimum COR JEsu quid ulteriùs dicam de te?

S. Ambr. ex Tertull. lib. de Bened. Patriarch. c. 4.

6. Occurrit hîc mihi, & quidem ad propositum meum, quod in libro Machabæorum refertur, ubi gravissimum bellum inter fortissimos Machabæos, & Regem Antiochum Eupatorem exortum fuit, in quo duo supra triginta robustissimi Elephantûm applicabantur, quorum quilibet turrim ligneam cum 32. armatis militibus in dorso portabat. Verùm quia elephantes ex sua natura mites sunt atque misericordes, nec facilè irasci solent, nisi viso sanguine ad iracundiam & vindictam proritentur, idcirco milites, ut ad generosum certamen dicti elephantes accenderentur, in conspectu illorum uvas ac moros expresserunt, quo viso botri sanguine, læti elephantes atque feroces ad fundendum hostium sanguinem inter arma & enses, inter tela & hastas decurrebant: *Et elephantis ostenderunt sanguinem uvæ & mori ad acuendos eos in prælium,* unde Lemma: *Acrior in prælia: Vel: Sanguis robur adauget.*

1. *Mach.* 6, 34.

O animæ Christi sanguine redemptæ! Desideratísne similem expressum intueri botrum, ad cujus conspectum velut generosi elephan-

UVA. BHSC. BU 00661

phantes ad pugnam spiritualem contra omnes animæ vestræ hostes proritemini? Ecce SS. COR JEsu supra Tabernaculum Altissimi Numinis hîc ad venerationem & sequelam vestram expositum, & quid amabò aliud denotat hoc Divinissimum COR JEsu, nisi ut ex conspectu illius ad paria audenda generosè accendamini: *Si enim,* ait Cornelius à Lapide, *sanguis uvæ accendit elephantem, ut memor beneficii & curationis per illum ab hero acceptæ, pro eo depugnet, & in gladios hastásque proruat: quid nos facere oportet intuentes Christum, qui pro nobis omnem suum sanguinem, vitámque in cruce profudit?* Hinc juxta mentem S. Chrysostomi ab illa Mensa Eucharistica non aliter, quàm *leones ignem spirantes recedamus, facti diabolo terribiles, & caput nostrum* (addo & ego SS. COR JEsu) *mente revolventes, & charitatem, quam erga nos ostendit &c.*

Cornel. à Lap. hic.

S. Chrys. hom. 61. ad pop. Antioch.

7. Ad Sponsam venio, quam Sponsus sanguinum aliquando peramicè ad cellam suam vinariam invitavit: *Introduxit me in cellam vinariam: ordinavit in me charitatem.* Quænam, obsecro, ô Sponsa, hæc tua cella vinaria fuit, in qua tam generoso falerno potata es? Sunt, qui per hanc cellam vinariam Mysterium Incarnationis Divini Verbi intelligunt, ita Theodoretus &c. Sunt, qui per eandem cellam vinariam congregationem primorum fidelium in monte Sion subaudiunt, cui plenitudo Spiritûs Sancti in die Pentecostes de cœlo data est; hinc Apostoli quasi divino musto ebrii tantopere magnalia Dei tunc cœperunt eructare. Ita S. Bernardus: Sunt insuper, qui per dictam cellam vinariam altare accipiunt, in quo Sacerdotes Dei consecrant, hauriunt, & vinum Eucharisticum, hoc est, Carnem & Sanguinem Christi distribuunt. Ita Nyssenus.

Cant. 2, 4.

Theod. hîc.

S. Bern. serm. 49. & serm. 3. Pentec. Nyssen. hom. 4.

Verùm cum bona pace & summa veneratione dictorum Patrum optimâ suffultus ratione, audeo dicere, quod per hanc cellam vinariam clarissimè præfiguratum fuerit SS. COR JEsu & Eucharistici & Crucifixi, sub cujus umbra tunc Sponsa sedebat, & fructus Crucis degustabat: cùm ferreâ Longini clave hæc mystica cella vinaria in latere Christi aperta fuit, & rubrum ac candidum vinum, hoc est, sanguis & aqua, velut novus vitæ fons de hoc saucio CORDE JEsu abundè

UVA. BHSC. BU 00661

abundè profluxit, memorata Sponsa ad hanc divinam cellam & suavissimum Divinitatis vinum exinde delibandum admissa est, ubi Sponsus sinceram in ea ordinavit charitatem. Hinc Guarricus Abbas: *Ideo*, inquit, *latus suum pius & misericors aperuit, ut cruor te vulneris vivificet, calor corporis refocillet, Spiritus CORDIS quasi patenti & libero meatu aspiret.*

Guarricus serm. 4. in Ram. palm.

8. O quot piæ animæ ab hac divina cella vinaria SS. CORDIS JEsu omnem suam & temporalem & æternam hausêre salutem? Sanctum Edmundum Archiepiscopum Cantuariensem perpendite, qui, postquam supremum vitæ suæ diem & ultimum jam agonem adesse cognovit, Crucifixi JEsu pientissimi Redemptoris sui effigiem fortiter apprehendit, quam ori & pectori suo devotissimè appressit, & cùm Sacratissimum COR JEsu, in quo unicè postulabat animam suam efflare, devotissimo osculo veneraretur cum Sponsa ingeminans: *Osculetur me osculo oris sui*, subitò cœlesti solamine plenus & insolito gaudio superfusus, exclamare cœpit: *Amodo haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris:* quibus dictis inter brachia Crucifixi sui Amoris placidè animam suam in SS. COR JEsu efflavit. O beatam, ô felicem sortem, sic aliquando posse obire mortem!

Ex fasc. Myrrh. P. Vinc. Carasse. S. J. Gen. Cant. 1, 1. Is. 12, 3.

Recentius illud est, quod Paulus Barry de pio quodam Sacerdote, qui anno à Christo nato 1636. Romæ vivere desiit, commemorat. Hic qualis ac quantus fuerit SS. CORDIS JEsu amator & cultor, satis luculenter demonstrant, quæ post beatum ejus obitum acciderunt; cùm enim illius exanime corpus amicorum jussu & operâ chirurgorum & anatomicorũ incideretur, ut exemptis intestinis illud balsamo condiretur, perlustratis sedulò membris omnibus, Cor nullum repererunt. Tandem cùm adstantium quidam oculos ad vicinam Crucifixi JEsu imaginem conjiceret, ad pedes illius Cor hujus defuncti Sacerdotis, quasi rosam purpuream jacere advertit. Accurrunt omnes in domo ad tam insolitum prodigium: *Miraculum, miraculum!* exclamantes. Quo prodigio sine dubio DEus magnam hujus Servi sui sanctitatem & amorem, quô erga SS. COR Crucifixi Filii sui in vita ferebatur, declarare voluit, ut, qui in vita cum CORDE JEsu unum Cor habuit, neque post mortem ab illius amore separaretur. Audi pro fine S. Bernardum: *Ideo*, inquit, *Sanctissimi CORDIS intima furoris lancea perforavit, & vulneratum est latus tuum, ut nobis pateat introitus: vulneratum est COR tuum, ut in illo & in te ab exterioribus perturbationibus liberati, habitare possimus: vulneratum est, ut per vulnus visibile vulnus invisibile videamus.* O charæ animæ! Venite, venite ad hanc cellam vinariam, gustate & videte &c,

Paul. Barry. tom. 1. anni Sacri c. 8.

S. Bern. tract. de pass. c. 3.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XXIX.

SS. COR JESU Eucharistici est Patientis est verus Thesaurus abscondicus omnium gratiarum & benedictionum.



Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & Cor tuum. Matth. 6, 21.

1. NOn equidem miror, quòd aurum per jocum poëticum *pallidum* dicatur, dum in continuo angore versari, sibíque semper timere debet, ne modò ab hoc, modò ab alio patiatur insidias. Vidimus hactenus per experientiam in moderno bello, quomodo aurum nec in ipsis terræ viscéribus reconditum à rapacibus milvis satis tutum fuerit. O auri sacra fames, quid non mortalia cogis pectora? *Nolite*, inquit Veritas, *thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo & tinea corrumpit, & ubi fures effodiunt, & furantur.* Ergo si verè divites esse cupitis, veras divitias amate, ac pretiosissimum animarum thesaurum Matth. 6, 19.

UVA. BHSC. BU 00661

quærite, qui non alius est, quàm Sanctissimum ac divinissimum
Matth. 13, 44. COR JEsu, quod est ille thesaurus Evangelicus, in mystico agro Corporis Christi Eucharistici & Crucifixi absconditus, ex quo tanquam ex divite vena optimum aurum omnium spiritualium bonorum, gratiarum, ac benedictionum eruere possumus. Et si verum illud est, prout verissimum est, quòd inveniens amicum fidelem
Eccli. 6, 14. thesaurum sibi effodiat: ita Ecclesiasticus: *Amicus fidelis protectio fortis, qui autem invenit illum, invenit thesaurum.* Et quis, obsecro, fidelior Amicus nobis esse potest, quàm JEsus Eucharisticus & Crucifixus, ubi totum SS. COR suum nobis præbet in pignus æternæ gloriæ, omnésque potentiæ suæ thesauros in animæ nostræ commodum explicat?

Matth. 6, 21. 2. Et pergit Veritas: *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & Cor tuum.* Sic gulosus Cor suum in ventre & in epulis habet, ibi quo-
Luc. 16, 19. que est thesaurus ejus: divitem Epulonem consule, qui *epulabatur quotidie splendidè.* Sic immundus & lascivus Cor suum in obscœnis & spurcissimis carnis voluptatibus ponit, & illic quoque est the-
Judith. 16, 11. saurus ejus: Holofernem militiæ Ducem interroga, cujus cor & oculos rapuerunt sandalia Judithæ. Sic avarus Cor suum inter pecunias, prædia, ac bona temporalia recondit, ubi pariter est thesau-
3. *Reg.* 21, 13. rus ejus: Achab Regem Israël considerate, dum ob negatam vineam Naboth virum innocuum lapidibus obrui jussit. Notum est orbi, quod diviti illi usurario in Italia accidit, cui S. Antonius Paduanus ab amicis ejus rogatus, concionem funebrem fecit, in qua
Cornel. in Matth. 6, 21. præfixum nostrum thema applicavit: *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & Cor tuum*: &, si vultis amici, subjungebat hic Divus Thaumaturgus, habere hujus Evangelicæ Veritatis clarissimam experientiam? ite ad thesaurum ejus, & inter medias pecunias reperietis Cor ejus adhuc calidum: quod ita in veritate accidit.

Ecce ibi magis est Cor tuum, ubi amat quàm ubi animat: si ergo Cor tuum magis amat immunda, vana, terrena, ac transitoria, signum evidentissimum est, quòd Cor tuum non sit rectum cum SS. CORDE JEsu, qui totum Cor à te requirit. Rem per elegans Symbolum clariùs exponimus.

3. Vi-

UVA. BHSC. BU 00661

3. Videtur mihi hoc divinissimum COR JEsu ut malum quoddam punicum, seu nobile granatum, quod non tantùm intra se crucem includit, sed insuper rigidam coronam gestat, & si paulatim matureſcit, sponte suâ latus referat, ubi totum thesaurum, imò & Cor suum pandit, dum purpurea grana, velut totidem pretiosos rubinos nobis exhibet carpendos, sicque seipsum, ac Cor suum nobis in cibum ac potum tradit, unde Lemma Italorum:

Quanto posso donar', tutto vi dono.
Vel, si magis arridet:
Vulneribus profundit opes.

O bone JEsu! O Amor Eucharistice & Crucifixe! nunquid sacratissimum COR tuum ejusmodi granato seu malo punico assimilare possumus: *Sicut fragmen mali punici:* in quo pariter Crux medio ejus implantata, & corona spinea ac rigidissima cum laterali vulnere spectatur? *Cant.4,3.*

Et hoc est, quod in Epithalamio Sponsus ait: *Sub arbore malo suscitavi te*, non designans, qualis speciatim hæc malus fuerit: per quam tamen Lyranus & alii ex voce Hebræa malum granatam intelligunt, cujus fructus Crucifixi & Eucharistici Amoris sunt Symbola, dum expressè Crucem, Coronam spineam, ac Vulnus laterale, seu SS. CORDIS JEsu ad vivum præ se ferunt, & hominem non tam cibare, quàm & potare assolent. Hinc ipse Christus dilecto servo suo Beato Joanni à DEO, hospitalitatis Fratrum misericordiæ Fundatori, simile pulcherrimum & apertum malogranatum seu punicum porrexit, in cujus visceribus Crux spectabilis erat dicens: *Granada fará la tua Croce.* *Cant.8,5.*

4. De Tiberio Imperatore Christiano, Viro magnæ Religionis ac in pauperes liberalissimo referunt Authores, quòd, cùm ærarium suum in publicos, ac præsertim in egenorum, usus ferè penitus exhausisset, deambulans posthæc in palatio suo, crucem quandam in lapide pavimenti efformatam adverterit. Hæret attonitus ad hoc salutis signum pientissimus Imperator. Et nunquid, *Domine,* *Manſi in feſt. Inv. S. Crucis diſc. 6.*

UVA. BHSC. BU 00661

inquit, *Cruce tuâ frontem nostram munimus & pectora? Et ecce crucem sub pedibus conculcamus?* Igitur mox lapidem istum tolli, & in alium decentiorem locum transferri jubet. Et ecce rem admiratione dignam! mox illo lapide submoto, alium similem lapidem cruce signatum offendit, quo iterum in honestiorem locum transportato, tertium similem lapidem cruce insignitum reperit, sub quo ingentem ac pretiosissimum thesaurum latentem invenit, quo effosso pius Imperator non suæ duntaxat, sed & subditorum necessitati ac temporum calamitati abundè providit. En sub Cruce quantus lateat thesaurus?

Gaudete, Animæ Christianæ, desertæ ac pauperes! iterum dico, gaudete, modestia vestra nota sit omnibus hominibus, scio, & video, in quantam egestatem per iniquam fortunam hoc ærumnoso belli tempore redacti sitis; sed vos, O charæ animæ! ne cedite malis, ecce Crucem in SS. CORDE JEsu, veluti in lapide illo angulari plantatam, & quid aliud hæc Crux Dominica denotat, quàm intus latere immensum thesaurum omnium bonorum, gratiarum ac benedictionum? hîc quærite, hîc fodite, hîc eruite, & invenietis præsentissimum calamitati vestræ remedium: *Qui me habet*, dicebat quondam potentissimus ille ac ditissimus Rex Galliæ Henricus VII. *nullius eget.* O quantò veriùs de SS. CORDE JEsu hoc dicitur: *Qui me habet, nullius eget?*

Hunc thesaurum absconditum impii Judæi per varia quæsierunt instrumenta. In hunc finem Christi JEsu foderunt manus & pedes durissimis ac ferreis clavis, & non invenerunt: dilacerârunt insuper innocentissimum Corpus JEsu in flagellatione usque ad costas, & dinumeraverunt in crucifixione omnia ossa ejus, & illum non invenerunt. Applicârunt quoque pungentissimas spinas, quibus sacrum ejus caput feriebant, crucem, quâ innocuum onerabant &c. sed neque hîc reconditum thesaurum poterant investigare. Et ecce! tandem post mortem JEsu accurrit crudelis quidam miles, lanceam vibrat, & SS. COR JEsu referat; O Bone DEus! hîc inventus est thesaurus totius universi, ex quo Ecclesia Triumphans, Mili-

UVA. BHSC. BU 00661

Militans, & Purgans abundantissimè ditata est: Audite Danielem Mallonium: *Occultum thesaurum*, inquit, *in morte nondum invenit impius persecutor, accurrit ergo miles, lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua. Egreditur thesaurus absconditus, panditur cœleste ærarium, funditur sanguis, consecratur Ecclesia &c.* O infinitus, ô immensus thesaurus! *Dan. Mallon. de S. Sindon. c. 20.*

5. Et hoc est, quod S. Joannes insinuavit. Cùm impii ac scelerati Christicidæ tot ac tanta in morte Crucifixi JEsu portenta vidissent, ob pudorem tanti sceleris commoti statuerunt, crucifixorum corpora adhuc ante solis occasum de infami ligno deponere, in hunc finem novam militum catervam ex urbe in montem Golgotheum amandârunt, ut fractis crucifixorum cruribus eorum cadavera ad radicem Calvarii sepelirent. Et primi quidem & alterius latronis fregerunt crura, ad JEsum autem cùm veniissent, eúmque jam mortuum observâssent, non ampliùs illius crura fregerunt, *sed unus militum lanceâ latus ejus aperuit.* *Joan. 19. 34.*

Observa hîc prudens Lector singularia Evangelistæ verba, non dixit: Transfodit, transfixit, transverberavit, trajecit, transpunxit latus ejus, sed *aperuit*. Ad quid, obsecro, *aperuit*? Janua, fenestra, arca, porta, ostium, & similia aperiuntur, non autem Cor hominis crudeli lanceâ aperitur, quod prorsus insolitum est, sed transfigitur. Cur ergo dicit Evangelista, *aperuit*?

Rationem assignat S. Chrysostomus, quia summus thesaurus noster & pretium totius sæculi SS. ac diviniissimum COR JEsu adhuc in latere velut in arca quadam reconditum erat, in hunc finem miles applicat lanceam tanquam clavem, arcam divinam reserat, & thesaurum totius mundi & Sanctorum omnium feliciter, licèt semicœcus, pandit: *Lanceâ*, ait citatus S. Chrysostomus, *tanquam clave in arcam injectâ, dedisti pretium ex paterno thesauro.* O immensum pretium! O thesaurum pretiosum, cujus una stilla salvum facere totum mundum potest ab omni scelere! *S. Chrys. in Ps. 14.*

6. Ad petram Mosaicam venio. Laborabat quondam populus in deserto graviissimâ aquarum penuriâ, & erant putei & fontes in

UVA. BHSC. BU 00661

Cades penitus exsiccati, idcirco non leve murmur & contradictio contra Moysen exorta est, nec multùm abfuit, quin tota populi multitudo in seditionem versa fuisset. In hoc periculoso tumultu Moyses ad Oraculum Divinum se confert: *Domine DEUS*, inquit, *audi clamorem hujus populi, & aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ vivæ.* Quid expectatis? mox universa populi multitudo, jubente DEO, ad prægrandem quandam petram, præ cæteris in deserto eminentem, congregatur, quam cùm Moyses binâ vice & per modum crucis virgâ suâ percussisset, mox *egressæ sunt aquæ largissimæ, ita ut populus biberet & jumenta &c.* Unum est, quod in celeberrima figura hac in admirationem me rapit, quòd Moyses vivas has aquas ex petra promanantes thesaurum Dei appellaverit: *Aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ vivæ.* Cur quæso profluentes aquas thesaurum DEI hic Propheta vocavit?

Num. 20, 6.

Observa: per hanc petram Christus JEsus & hic Crucifixus intelligitur: *Petra autem erat Christus;* per thesaurum verò in hac mystica petra latentem meritò SS. COR JEsu subaudimus, quod miles virgâ lanceæ percutiens, simul & thesaurum omnium sæculorum aperuit, ex quo continuò exivit sanguis & aqua, iste qui redimat, hæc quæ diluat; *Dei thesaurum*, ait B. Petrus Damianus, *aquam illam procul dubio nominavit, quæ è latere JEsu lanceâ transfixo cum sanguine continuò exixit, junxitque se manuum ac pedum perforatorum fontibus.* O immensus, ô inexhaustus thesaurus SS. COR JEsu, ex quo juxta S. Augustinum *Sacramenta Ecclesiæ manarunt, sine quibus ad veram vitam non intratur.*

1. *Cor.* 10, 5.

B Dam. tract. de exalt S. Crucis.

S. Aug. serm. 120. *in Joan.*

Ex hoc ergo perforato SS. CORDE JEsu prodiit imprimis Baptismus, per quem nata est Ecclesia; prodiit Confirmatio, per quam in fide confortata est; prodiit SS. Eucharistia, per quam nutrita & educata est; prodiit pœnitentia, per quam ab infirmitate animæ sanata est; prodiit extrema unctio, per quam contra hostes infernales in supremo agone defensa est; prodiit Ordo, per quem hactenus gubernata est; prodiit denique Matrimonium, per quod in toto terrarum orbe propagata est. O anima Christiana! vide

UVA. BHSC. BU 00661

vide & considera, quàm immensi gratiarum thesauri ex SS. CORDE JEsu sint orti!

7. De Virga Corylacea, quæ naturaliter ad fontes subterraneos & ad metalla se inclinare dicitur, ac latentes sub humo prodere thesauros, multi multa enarrant. Scinditur hæc virga bifurcata de corylo, quæ supra aliquam venam fontanam aut metallicam crevit, in duos bacillos, quæ deinde utrique manui imponitur, ita ut digiti nec nimis leviter, nec nimis fortiter compressi cœlum spectent. Sic Metallici per montes & rupes alpium discurrentes, reconditas metallorum venas ac latebras, latentésque sub terra thesauros, aut etiam fontes non infeliciter indagant, quos tunc invenisse se credunt, cùm virga versari, & versus terram inclinari incipit, hanc autem inclinationem Metallici linguâ vernaculâ *percussionem* appellant, & dum inclinatur, dicunt eam *percutere*, vel non *percutere*.

Hunc virgarum usum superioribus annis experta est cum gravissima jactura nostra Germania, dum Sueci milites ac Livones per ejusmodi virgas divinatorias in occupatis à se civitatibus, pagis, templis & ædibus magnam opum vim corraserunt, dum videlicet, ubi levis suspicio latentis thesauri aderat, ejusmodi virgas applicârunt, quarum beneficio sæpius aureos, argenteósque calices, ac pretiosam supellectilem, sub terra aut intra privatos parietes absconditam, in lucem & in apricum produxerunt; unde versus ille promanavit: *Suecus, Lycum penetrans, magnam pervertit opum vim.*

Aliam hîc tibi, ô anima Christiana, monstro virgam, illâ Corylaceâ, quam metallici usurpant, longè feliciorem; virga hæc bifurcata & in duos bacillos divisa CRUX est, stans in SS. CORDE JEsu, hîc indesinenter *percutit*, & quid indicat? Quære, & indaga, & invenies thesaurum omnium pretiosissimum, per quem omnia tua debita, imò & totius mundi poteris exsolvere. O quàm bene de hoc SS. CORDE JEsu illud Jeremiæ applicari potest: *Aperuit Dominus thesaurum suum!* *Jerem. 50, 25.*

8. O

UVA. BHSC. BU 00661

8. O amabilissimum ac Divinissimum COR JEsu! tu es illa gemma & margarita pretiosa, pro qua Evangelicus Negotiator omnia dedit, & comparavit eam: *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas, inventâ autem unâ pretiosâ margaritâ, abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.* O pretiosa: ô inæstimabilis margarita, omnibus mundi divitiis ac Regum opibus longè & infinitè præstantior! Ah miseri! ad quid ita temporalibus bonis & fugacibus inhiamus divitiis? Nunquid etiamnum verum est, quod Psaltes Regius decantat: *Et relinquent alienis divitias suas: & sepulchra eorum domus eorum in æternum?* Ergo potiùs quæramus unum Bonum, quod est omne Bonum, hoc est, SS. COR JEsu. O quàm dives est illa anima, quæ hunc Divinum Thesaurum possidet! Audi Doctorem Mellifluum: *Quia semel*, inquit, *venimus ad COR dulcissimum JEsu, & bonum est nos hic esse, nec sinamus nos facilè ab eo avelli. O quàm bonum & quàm jucundum habitare in CORDE hoc? Bonus thesaurus, bona margarita COR tuum, Bone JEsu, quam fosso agro tui Corporis invenimus.*

Matth. 13. 45.

Ps. 48. 11.

S. Bern. tract. de passione Dom. c. 3.

Eja Animæ Christianæ, relinquamus huic mundo divitias; relinquamus & Cleopatræ Reginæ suas Margaritas, quarum una, quam in aceto liquefecit, & in amorem Antonii potando hausit, plùs quàm centum millibus aureorum constitit. Sufficiat nobis una Margarita Sanctissimum COR JEsu, de quo pro coronide S. Franciscus Salesius: *COR Salvatoris*, inquit, *verus orientalis unio; unicè unicus & pretii inæstimabilis, factum in mare incomparabilium amaritudinum, diebus ejus passionis seipsum in seipso liquefecit, & resolvit in dolorem, vi & vehementiâ angustiarum mortalium undique prementium.* O SS. COR JEsu! quis te non amet? Et tu, O Anima! si SS. COR JEsu est thesaurus tuus, ergo & ibidem sit COR tuum: *non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione &c.* ubi quondam Cor suum fuisse S. Augustinus lamentatur: non in magnis & mirabilibus super se, nec in venenato calice meretricis Babylonicæ, aut opulentis aurifodinis Reginæ Ægyptiacæ: sed in divite Sinu CORDIS Dominici. *Beatus vir; cujus est Nomen* (& COR) *Domini spes ejus, & non respexit in vanitates & insanias falsas. O filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* quærite veritatem, verúmque Thesaurum in CORDE JEsu: *qui me invenerit*, inquit ipsum, *inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.*

S. Franc. Sales. tract. div. amor. l. 6. c. 6.

Rom. 13. 3.

Ps. 39. 5.

Ps. 4. 3.

Prov. 8. 35.

(O)

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XXX.

Ad SS. COR JESU Eucharistici & Patientis, tanquam ad ideam propositam omnis nostra actio & intentio dirigatur.



Porro unum est necessarium. Luc. 10, 42.

1. REferunt de Jonatha Regum fasti, eum tam peritum extitisse sagittarium, ut sagitta ab illo directa nunquam incassum vibraretur, quin validis lacertis agitata hostium corda, imò & scuta eorum perfoderet, thoraces penetraret, & adipem cum sanguine ac intima viscera scrutaretur: unde de hac sagitta Jonathæ David amicus ejus intimus, cùm immaturam hujus inclyti Herois mortem amaris deplorâsset lacrymis, cantare consuevit: *A sanguine interfectorum, ab adipe fortium sagitta Jonathæ nunquam rediit retrorsum.* 2. *Reg.* 1, 22.

Anima Christiana! si Cor tuum arcus est, amor sagitta sit; neces-

UVA. BHSC. BU 00661

se enim est, ut amor Cordis in aliquod objectum feratur, dum aut mundum, aut carnem, aut dæmonem, vel Christum debet diligere. Sed quid, obsecro, tibi prodest amor ille insanus sine JEsu! Cur non hoc Sacratissimum COR pientissimi Redemptoris tui in signum & metam tibi proponis, ad quod omnis amor & affectus tuus tanquam ad finem ultimum feratur?

Imitare generosos Lacedæmones, qui quondam parvulis suis panem aut alias cupedias in sublimi pyramide, aut in summis arborum ramis, vel in ipso domûs tecto solebant collocare, quibus unà simul arcum & sagittam in manus porrigebant, ut, si vellent panem & similes cupedias, sagittam illuc mitterent, & dejicerent, alioquin famem ut canes passuros. Ex quo factum est, ut Lacedæmones ab ejusmodi sagittarum exercitio ex omnibus populis in optimos evaderent sagittarios.

En, pie Lector! proponitur & tibi hîc in Ecclesia SS. COR JEsu, ut Panis vivus & Eucharisticus, quò pariter sagittas amoris tui dirigas, omnésque cogitationes, verba, & opera, velut ad finem tuum, & ad propositam ideam disponas, nec ampliùs ab hac sagittatione desistas, donec cum illo genio, qui tibi in Symbolo & schemate exhibetur, hoc SS. COR JEsu, velut supremum tuum scopum contingas, unde Lemma:

Donec attingam.

Luc. 10, 42. 2. Et hoc est, quod Veritas insinuavit, dum Marthæ ob nimias temporales curas perturbatæ, & in varias partes distractæ, hoc unicum remedium suggessit: *Porro unum est necessarium.* Et quodnam illud unum est, O mi JEsu?

Cornel. à Lap. hic Cass. coll. 1. *c.* 8. Hoc unum, respondet Cornelius, est unicus DEI ac æternæ salutis cognitio. Hoc unum, ait Cassianus, est unicus DEI intuitus & contemplatio. Hoc unum, inquit S. Gregorius Magnus, est ultimus finis, & summum hominis bonum, ad quod Cor nostrum est dirigendum. Hoc unum, subintrat Mellifluus, est ipse DEus: *Vides*, inquit, *miser homo, quia totum est vanitas, totum stultitia, quid-*

S. Greg. l. 1. *in* 1. *Reg. c.* 4. *S. Bern. serm de hum. mis.*

quid

UVA. BHSC. BU 00661

quid facis in hoc mundo, præter id solum, quod in DEum, & propter DEum, & ad honorem DEI facis? Audi & Epictetum: *Oportet*, inquit, *ut omnia principia, quasi converso orbe, redeant ad unum principium, omnia pulchra ad unum pulchrum, omnia divina ad unum DEum, omnia una od unum Ter Unum.* Ergo pariter oportet, ut omnia hominum prædestinatorum Corda redeant ad suum principium & finem, hoc est, ad Sanctissimum ac divinissimum COR JEsu, quod primum esse debet in intentione, & ultimum in executione. *Epictetus ad Arrianum.*

Hoc ergo est illud unum necessarium, ut per hoc Sanctissimum COR JEsu quæramus ipsum DEum, & unicum illius in omnibus sanctissimum beneplacitum. Sic, O Christiane! quietè ac suaviter tuas perages functiones, & facilè cæteras à te rescindes superfluas curas. Assuesce igitur imposterum in eadem intentione DEO T. O.M. tuas offerre actiones, quemadmodum hoc amabilissimum COR JEsu in his terris cum hominibus conversatum similes actiones DEO Patri suo Omnipotenti præsentavit. Proinde dic ante orationem, imò ante quamlibet actionem: *Domine, in unione illius divinæ intentionis, quâ Sanctissimum COR JEsu in terris tibi laudes persolvit, ita quoque, O mi DEus! tibi hanc vel illam actionem persolvam.*

3. Talis Cordis tui intentio similis est illi virgulæ fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris & universi pulveris pigmentarii paratæ, quæ ob miram fragrantiam usque in cœlum super omnes Angelorum choros ad ipsum SS.COR JEsu ascendit, & ibidem terminatur. *Cant. 3, 6.*

Talis intentio similis est aureæ illi virgulæ Mydæ, quæ omnes actiones tuas etiam indifferentes, quæ ex se non essent meritoriæ, in optimum aurum solet commutare.

Talis intentio similis est oculo puro & simplici, semper ad Sanctissimum COR JEsu directo, unde David dicere solebat: *Oculi mei semper ad Dominum.* Et mox addit hujus suæ intentionis sinceræ effectum: *Quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* *Ps. 24, 15.*

Talis intentio similis est Virgæ Mosaicæ, quæ, cùm in terram

UVA. BHSC. BU 00661

Exod. 4, 2. projecta fuit, sine mora *versa est in colubrum*; sed cum à Moyse elevata est, rediit in florentem virgam ac tantorum operum mirabilium operatricem, cujus ope mare rubrum divisit, & populum electum DEI in Palæstinam feliciſſimè traduxit.

Talis denique intentio similis est numero primo, seu I. scribantur, oooooooooo, & dic, quid faciant? Repones: *Nihil*, quia omnia vana, nulla sunt. Verùm adde his nullis unicum & primum numerum seu cifram I. & ecce! mox numerum habebis longè maximum: Unde Lemma Bovii: *Addito minimo maximum:* 10000000000. Ecce! talis rerum facies est cum tua Cordis intentione! Omnia in mundo ex se nihil sunt: *Ad nihilum*, ait Psaltes Regius, *redactus sum, & nescivi:* Et in alio loco: *Ad nihilum deduces omnes gentes.* Et rursus: *Substantia mea tanquam nihilum ante te.* Audi & Doctorem Gentium: *Verumtamen existimo, omnia detrimenta esse, propter eminentem scientiam JEsu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam, & inveniar in illo;* hoc est, in Sanctiſſimo CORDE JEsu, in quo omnes suos fideles unà secum animitus optat inhabitare: *Testis enim mihi est DEus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus JESU CHRISTI.* Et hoc solum aliquid est, ex quo puncto unica tua salus dependet, tendere ad Sanctiſſimum COR JEsu. O quàm benè igitur memoratus Psaltes de ejusmodi cordibus pronuntiavit: *Lætetur Cor quærentium Dominum.* Et econtra væ illis, quorum Cor à sanctiſſimo CORDE JEsu divisum est, de quibus Sapiens: *In Cordis egestate morientur.*

Psal. 72, 22. Psal. 58, 9. Psal. 38, 6. Philipp. 3, 8. Philipp. 1, 8. Psal. 104, 3. Prov. 10, 21.

4. Causam non immeritò inquirunt Sacri Doctores, quare in Veteri Lege asinus ab omni Sacrificio fuerit rejectus: *Primogenitum asini mutabis ove: quòd si non redemeris, interficies?* Cur, obsecro, DEus hoc animal indignum censuit, ut sibi immolaretur? Et quid peccavit asinus? Nunquid dignus æstimatus est, qui Christi recèns nati præsepio adstaret? Et nunquid obsequium illi suum exhibuit, cùm à facie & gladio Herodis fugeret in Ægyptum? Nónne ipse orbis Salvator Christus ut Rex Sionis asino vectus, Jerosolymam ingressus

Exod. 13, 13.

UVA. BHSC. BU 00661

gressus est? His tamen non obstantibus repudiatur à Sacrificio asinus, & econtra bos admittitur, immo verò jubetur à DEO in gratum sibi & acceptabile Sacrificium litari? *Levit. 1, 2.*

Adverte pro solutione argumenti Isaiæ vaticinium: *Cognovit*, inquit, *bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* Nota: *Cognovit* bos possessorem suum, Dominum ac DEum suum, fixè nimirum eum in præsepio intuendo, illi se inclinando, halitu calefaciendo, & fœno tegendo: *Cognovit* & innocentissimum COR JEsu Creatoris sui pro suo brutali modo ut beneficentissimum, unde se ei perlibenter in Sacrificium & holocaustum submisit. Econtra asinus, stupidum animal solùm *cognovit præsepe Domini sui*, tantùm pabuli & commodi sui curam gerens; ideo meritò à sacrificio rejectus est. Audi in hanc rem Sanctum Basilium: *Bos*, ait, *Dominum suum novit, nec præter illum aliud quidquam spectat: asinus verò non Domini, sed præsepis, sed pabuli & commodi sui rationem habet &c.* O mortales omnes! vel ab ipso bove stante ad Domini præsepe discite, ad quid in hac vita quàm maximè debeatis mentis oculos dirigere, ut nimirum Dominum ac DEum nostrum, & quem misit Filium suum JEsum Christum agnoscatis, honoretis, eique servientes tandem salvi fiatis. Hîc, inquam, rerum cardo volvitur, ut præter SS. COR JEsu nil aliud quidquam spectetis, sed omnia ad hunc supremum finem referatis: *Cor humanum*, ait S. Bernardus, *ad hoc factum est, ut videat suum Creatorem.* Et Divus Basilius: *Omnis actio*, inquit, *sermóque Servatoris nostri JEsu Christi, pietatis ac virtutis norma quædam nobis est. Nec ob aliam causam homo ad imaginem DEI altissimi factus est, quàm ut aliquid gesturus in eum tanquam archetypum exemplárque aspiciens, modum viámque virtutis imitari conaretur.* *Isa. 1, 8.* *S. Basil. citatus à Didaco Niss. dom. 4. quadr. §. 3.* *S. Bern. serm. 16.* *S. Basil. serm. quomodo Deus orandus.*

5. Occurrit hîc mihi ad propositum pulcherrima illa quæstio, quam quondam Psaltes Jessæus mundo proposuit, in quonam tandem centro vera hominis felicitas ac beatitudo consisteret?

Arbitrabantur aliqui, veram hominis beatitudinem, dum hac mortali aurâ vescitur, in illo consistere, si cum Amano ad summos

UVA. BHSC. BU 00661

exaltaretur honores,& suprema conscenderet dignitatum culmina? Sed vulgi hæc sententia est, non penetrantis, quòd omnis honos mundanus gravem quoque post se trahat servitutem. Blandum quidem nomen est honos, ait Divus Paulinus, sed, si res meliùs perpendatur, misera profectò servitus est. *Cogitet*, inquit Philo, *qui honorem affectat, tempestatem se affectare.* O quot ex summis honoribus in hanc tempestatem delapsi sunt, qui, si in humili statu suâ sorte contenti vixissent, sine dubio in æternum salvati fuissent! Hinc meritò David DEO gratias agit, non quia ab illo ad regiam dignitatem summósque honores exaltatus, sed quia ab ipso humiliatus fuit: *Bonum mihi Domine, quia humiliásti me.*

Philo lib. de Joseph.

Psal. 118. 71.

Alii censebant, summam hominis felicitatem in hac terra obtineri, si genio indulgeret, & fœdis corporis voluptatibus innataret. Sed pestilens hic avernus est, Holofernem, Balthasarem, divitem epulonem, & alios de grege Epicuri porcos consule, qui in hoc nomine *felicitas* statim in prima syllaba *fel* invenerunt. Vide, ubi voluptuosa sit illa Jezabel, quæ nutriebatur in croceis, oculos & faciem pingens stybio & cerussâ ornans caput suum,& sequitur: *Non invenerunt nisi calvariam, & pedes, & summas manus &c.*

4. *Reg.* 9, 35.

Erant, qui hominis felicitatem in terrenis istis bonis, magnis divitiis, & prædiis terræ collocabant; si nimirum *promptuaria eorum essent plena, eructantia ex hoc in illud: si oves eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis: Si boves eorum crassæ, & nulla ruina maceriæ in vineis &c.* Hunc, inquit David, dicebat mundus beatum: *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt.* Sed ego longè aliter respondeo, subintrat citatus Vates Regius: *Beatus populus, cujus Dominus DEus ejus;* in hoc enim unico posita est vera, solida, ac tota hominis felicitas, DEUM ac SS. COR JEsu pro fine & scopo suarum actionum præfigere: *Mihi autem DEO adhærere bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam.*

Psal. 143. 15.

Ps. 72, 28.

6. Vis anima Christiana, ut per exempla tibi adhuc planiorem viam ad hoc SS. COR JEsu demonstrem? De B. Jacobo Mevaniensi ex ordine S. Dominici, insigni SS. CORDIS JEsu amatore & cultore

UVA. BHSC. BU 00661

cultore recensèt Bzovius, quomodo coram imagine Crucifixi Redemptoris sui aliquando DEum enixiùs precatus sit, ut ab illo in numerum prædestinatorum & electorum reciperetur. Et ecce! cùm ita in terram prostratus ferventes ad DEum preces fundit, audit ab ore Crucifixi JEsu hanc vivam, omníque consolatione plenissimam vocem: *Sanguis*, inquit, *sit tibi in signum.* Ubi mox (ô rem stupendam) ad hanc Christi vocem copiosus fons de latere & CORDE JEsu prosiliit, qui non tantùm hujus Servi DEI faciem, sed & vestes rubentibus guttis abundè conspersit; cúmque Sacrosanctus Cruor in labia quoque ejus defluéret, tantâ dulcedine Cor ejus perfusum est, ut ab eo tempore nil aliud optârit, quàm citò ab hoc mortali corpore dissolvi, & in æternum esse cum Christo. *Eccl. an. 1301. num. 11.*

Nec absimile illud est, de quo refert Cæsarius, & ex eo Quaresmius de quodam Juvene Religioso, qui quotidie totam Christi passionem legendo & meditando percurrebat; cùm hic aliquando scire vehementer discuperet, an SS. CORDI JEsu grata hæc esset sua devotio, JEsum in altari quasi Crucifixum præsentem advertit, qui piissima brachia sua de Cruce revellens, hunc dilectum servum suum mirâ suavitate amplexatus est, *& tanquam*, prout loquitur Quaresmius, *præcordialem sibi in signum mutuæ familiaritatis eum ad Pectus suum attrahendo strinxit.* O quantâ cum animi dulcedine hujus devotissimi Juvenis! Certè ex illa hora nil ampliùs cogitabat, quàm SS. COR JEsu, pro quo millies sanguinem optabat profundere. Similem gratiam habuit Religiosissimus quidam Pater è Societate JEsu, de quo refert Le Blanc, quòd Christus Dominus visibiliter in Cor ejus ingressus sit, ac miro Divini Amoris ardore illud succenderit. Idipsum Beatæ Angelæ contigit, quæ etiam extra SS. Synaxin Christum Cordi suo illabentem sensit. Vide ex his anima Christiana, quanti meriti sit, amare & colere SS. COR JEsu, illúdque sibi pro meta & scopo suæ devotionis proponere. Et tu quid agis? *Quaresm. Tom. 5. cap. 8. exempl. 4.* *Le Blanc in Ps. 117. vers. 20. f. 1503.*

7. Ex his forma tibi argumentum, quanta debeat esse felicitas illius Cordis humani, si cum SS. & amabilissimo CORDE JEsu prorsus

UVA. BHSC. BU 00661

prorsus ad DEum Patrem eundem finem habeat, & quasi unum Cor cum illo Divinissimo CORDE efficiatur? O summa beatitudo! Et nunquid quotidie videmus, quomodo omnes creaturæ tendant ad suum finem, ad quem à DEO creatæ & ordinatæ sunt? *Creavit* DEUS luminare majus, ut præesset diei, & divideret annum ac tempora &c. Et ecce hoc facit. *Creavit* DEUS luminare minus, ut præesset nocti, & hoc facit. *Creavit* DEUS stellas, & posuit eas in firmamento, ut lucerent super terram, & hoc faciunt. *Creavit* DEUS terram, ut germinaret herbam virentem, & hoc facit. *Creavit* DEUS cæteras creaturas, hanc ad illum, alteram ad alium finem, & ecce! *obediunt ei.* Vide, quàm citò lapis ad suum centrum tendat! Vide, quomodo jumenta ad laborem suum exeant, & revertantur. Vide & considera, quomodo omnia faciant verbum ejus, & ordinatione illius perseveret dies, & quomodo omnia serviant ei. Et tu solus, ô homo inanis & vanus, qui ad imaginem DEI creatus es, cujus Cor sigillatim finxit DEUS ad normam & ideam Unigeniti sui, cujus finis tandem est ipse DEUS, & tu, inquam, solus homo DEO tuo non inservias? non quæras? non ames? non obedias? ubi ergo est Cor tuum, si illud non referas ad SS. COR JEsu? nunquid ipse *Possessor est Cordis!* Nauta in mari ante omnia sibi portum statuit ac figit, quò securè cursum suum cum navi dirigat. Si ergo hic mundus mare magnum ac spatiosum est, cur miseri non pro portu nobis

Gen. 1, 16.

Matth. 8, 27.

Prov. 15, 32.

præfigimus SS. ac Divinissimum COR JEsu,
ne æternum patiamur naufragium?

(O)

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XXXI.

SS. COR JESU hortum sibi eligit, in quo in oratione ad DEUM effunditur, & ob peccata nostra usque ad mortem tristatur.



Egressus est cum Discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit. Joann. 18, 1.

1. IN hortum te invito, Anima Christiana! Non in illum hortum, ubi diabolus habitum serpentis indutus, Cor primi hominis seduxit, ac per unicum heu! nimiùm fatalem pomi morsum in summam animi corporisque perniciem totam mortalium progeniem præcipitavit: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis.* Gen. 2, 15. Cui horto pro Lemmate inscribimus: *Infaustis infaustus.*

Neque in illum hortum te invito, in quo formosa illa, sed incauta Bethsabea, Uriæ Hethæi viri fortissimi conjux se quondam lavare

UVA. BHSC. BU 00661

consueverat, ubi vagos Regis Solymæi oculos, imò & cor ejus, qui
2. Reg. 11, 2. tamen vir priùs erat secundùm Cor Dei, miserè abstulit: *Vidit mulierem se lavantem ex adverso super solarium suum.* Unde Lemma: *Ut vidit, periit.*

Nec in illum hortum te voco, in quo cor duorum pessimorum Senum in concupiscentia honestissimæ illius Susannæ turpissimè
Dan. 13, 8. exarsit: *Et videbant eam Senes quotidie ingredientem, & deambulantem, & exarserunt in concupiscentia ejus*: quibus duobus aridis titionibus, igne lascivo adhuc turpiter fumantibus, pro Lemmate feres: *Etiam ex arido?*

Nec denique in illum feracissimum hortum te invito, propter quem innocens Naboth ab impio Rege Achab tam crudeliter &
3 Reg. 21, 2. injustè lapidibus obrutus est: *Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum:* Cui fœcundissimo horto hanc Epigraphen inscribes: *Nocet esse feracem.*

Sed in illum hortum te invito, ad quem salutis tuæ Author &
Cant. 5, 1. Sanguinum Sponsus jam olim te invitavit: *Veni in hortum meum Soror mea Sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Et qualis iste hortus omnibus patens, nullámque hominum conditionem excludens? cui pro Lemmate illud affigimus, quod olim eminentissimus S. R. E. Cardinalis Camertes, ut liberalem ac benevolum animum suum erga omnes monstraret, suo excultissimo horto inscribi voluit:

Præbet, non prohibet.

2. Videsis, Anima Christiana! hortum hîc habes patentem, sacratissimum ac diviniſſimum COR JEsu, in cujus medio arbor vitæ, id
Brev. R. 3. Maij. est, Crux plantata cernitur, de qua S. Mater Ecclesia cantat: *Hæc est arbor dignissima, in paradisi medio situata, in qua salutis Author propriâ morte mortem omnium superavit.* Loco myrrhæ & aromatum, florum ac fructuum reliqua circumstant passionis instrumenta; sepis vicem corona spinea adimplet, & in medio hujus saluberrimi horti fons salit in vitam æternam. O fortunatissimum hortum!

De horto Burgheſiano norunt illi, qui Romæ fuerunt, quem nobi-

UVA. BHSC. BU 00661

nobilissimum hortum, omnes exteros tum ob amœnissima viridaria, tum ob elegantissimas florum gemmas, tum ob diversos salientes lucidissimorum fontium meatus in summam admirationem rapientem, Scipio Cardinalis Burghesius, Pauli V. nepos, magnis impensis erexit: in cujus foribus, ut demonstraret orbi, quòd non suo, sed aliorum commodo hunc cultissimum hortum extruxerit, hæc verba inscribi voluit: *Ito, quò voles, carpito, quæ voles.*

O Anima Christiana! Veni nunc unà mecum in hortum Gethsemani, quod idem est, ac *vallis pinguedinis*, & carpito ibidem, quæ voles, de fructibus & floribus amarissimæ passionis Christi JEsu, dulcissimi Sponsi tui. En tibi patet liberrimus ingressus: *præbet, non prohibet.*

3. Sed dic, obsecro, O mi JEsu! cur SS. CORDI tuo placuit in horto illo adeò tædere, pavere, & in manus tradi nocentium, eandémque acerbissimam passionem in horto finire? *Egressus est trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit:* Joan. 18, 1. Et post consummatam passionem subjungit idem Evangelista: *Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum novum, ibi posuerunt JEsum.* Jo. 19, 41. Quid hoc est, O mi JEsu! quare passionem cruentam in horto exordiris, & eandem in horto terminas?

De Bajazete Turcarum Imperatore referunt, quòd hortum sibi construxerit, in quo diversas arbusculas ipse propriis manibus animi gratiâ plantavit quarum curam pretiosus hic hortulanus in seipsum suscepit. Accidit, ut plantæ istæ primos progerminarent fructus, inter illas & arbor erat conspicua, odoratis referta pomis, de qua Imperator legem sanxit, ne quis mortalium sub pœna capitis ex hac malo fructum decerperet. Transiit fortè Ephebus quidam nobilis, & specie pomorum illectus, unum de ramusculo decerpsit, ac comedit. Advertit Bajazetes post meridiem in horto deambulans, unum deesse pomum, & mox omnes Ephebos in quæstionem vocat; cúmque nullus furtum fateretur, eorum ventres cultro dissecari jussit, ubi fortè accidit, ut in primi Ephebi stomacho, de quo *Manicor de filio prodigo & alii.*

UVA. BHSC. BU 00661

maxima erat suspicio, reliquiæ hujus infelicis comesti pomi inveni-rentur. En quantum malum ex uno malo.

Altiùs nunc erige oculos, Anima Christiana! hortúmque illum voluptatis considera, in quo Deus unicam sibi arborem scientiæ boni & mali reservavit, ne ex illius fructu protoparentes nostri sub comminatione mortis fructum comederent: sed quia miseri, callidi serpentis astu, & dulcedine fructûs inescati, legem Dei prævaricati sunt, ideo gratiâ divinâ excidentes, cum posteris omnibus mortem animæ & corporis incurrerunt. Nemo hîc aut Angelorum aut
Gen. 3,8. hominum tantis malis opem ferre poterat. Et ecce mitissimum ac planè misericordissimum Dominum! ille ipse, qui quondam in paradisi horto ad auram post meridiem deambulabat, ut tanquam districtus judex sententiam in protoplastos ferret, nunc eorum medicus & advocatus factus est; & ut culpam pœnámque æternam ab illis commeritam expiaret, ipse in assumpta carne passibili in hortum Gethsemani se contulit, ut reperiret, quod in horto amissum
Cant. 5,1. est pomum: *Veniat Dilectus meus in hortum suum, & comedat*
Jerem. 31,29. *fructum pomorum suorum.* O pomum infaustum! de quo *filiorum dentes adhuc obstupescunt.* O pomum non aureum, sed ferreum, quia sæcula ferrea in mundum intulit: pomum putridum, quia ex eo tota natura nostra corrupta & putrefacta est: Unde Lemma: *A malo omne malum.*

Venit igitur JEsus in hortum, *ut comederet fructum pomorum suorum*, tristitiam scilicet, dolorem, sanguineum sudorem, flagra,
S. Cyrill. Alex. lib. 1 *in Joan. c.* 31. spinas, crucem, ipsámque mortem: *Venit in hortum*, ait S. Cyrillus, *ut, ubi hominum ruina cœperat, ibi ejusdem reparatio exordium sumeret.* Venit in hortum, ut, ubi Adam Deo bellum indixerat, ibi Adam secundus rursus pacem Deum inter & hominem repararet. Venit in hortum, ut, ubi primus homo per inobedientiam Deum offenderat, Christus Patri obediens fieret usque ad mortem. Venit in hortum, ut, ubi malus Angelus sub specie colubri Evam seduxit, in altero bonus Angelus Christo appareret, cúmque ad imminentem luctam confortaret. Venit in hortum, ut, ubi protoparentes nostri

manus

UVA. BHSC. BU 00661

manus ad vetitum fructum extenderant, Christus in oratione manus in cœlum ad Patrem & ad oblatam Crucem porrigeret. Venit in hortum, ut, ubi Adam sub medio paradisi ligno se absconderat, alter palam & voluntariè pro salute hominum se in manus offerret inimicorum. Venit denique in hortum, in quo passionem suam & inchoaret, & finiret, *ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret.* Ecce mirabilem Divinissimi CORDIS JEsu dispositionem: *ad pristinum enim,* ait S. Cyrillus, *omnia recurrere oportebat.* Et hæc sunt ô mi JEsu! *illa poma nova & vetera,* quæ tibi Sponsa tua, ah ingrata anima, servavit in hoc fatali olivarum horto degustanda: *Vetera poma,* inquam, quæ Patres nostri tibi reliquerunt peccata in hoc horto expianda, & *nova* sunt eheu! nostra delicta, quibus Sacratissimum COR tuum incessanter affligimus. O dura poma! *Cant.7, 13.*

4. Sed progrediamur ulteriùs: *Et cœpit JEsus pavere, & tædere, & ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem.* Ita quoque contristatus est corde fortissimus Judas Machabæus, cùm in prælio advertit, vires suas tam valido hostium exercitui esse longè impares: *Et vidit Judas, quòd defluxit exercitus suus, & bellum perurgebat eum, & confractus est corde.* Ita Cor Jacob vehementi terrore perculsum est, cùm intellexisset, quòd Esau quasi rabidus lupus cum quadringentis viris sibi in occursum properaret: *Timuit Jacob valde, & perterritus divisit populum.* Ita Cor Ezechiæ cœpit expavescere, cùm ab Isaia hoc fatale nuntium audivit: *Præcipe domui tuæ, morieris enim tu &c.* Ita Cor fortissimi Samsonis, cùm à Dalila importunitate nimiâ torqueretur, ut mentis suæ arcana panderet, usque ad mortem lassatum est: *Defecit anima ejus, & ad mortem usque lassata est.* Ita Cor Davidis vehementi pavore contremuit, cum Angelum Domini stricto gladio super Hierosolymam vidit, sibi & populo interitum minitantem, unde exclamavit: *Angustiæ me premunt &c.* Ita Cor Eliæ timere & palpitare cœpit, cùm ab impia Jezabele ad necem quæreretur: hinc unicum suum refugium sub Junipero quæsivit, ubi à DEO *petivit animæ suæ, ut* 1.*Mach.* 9,7. *Gen.*32, 7. 4.*Reg.* 20,1. *Judic.* 16,16. 1.*Par.* 21,13. 3.*Reg.* 19,4.

UVA. BHSC. BU 00661

Dan. 13, 22. *moreretur.* Ita Cor Susannæ, cùm injustissimè ad mortem condemnaretur, ingemuit: *Angustiæ sunt mihi undique &c.*

Et quid dico de amabilissimo CORDE JEsu in montem olivarum se conferentis? *Cæpit contristari & mœstus esse.* Unde hæc insolita tristitia amantissime JEsu? si bellorum Princeps trepidat, quid cæteri agent milites? si contristatur lætitia Angelorum, & gaudium universæ terræ, quid nos miselli agemus? si solatium omnium afflictorum est sine solatio, quid agent in hoc exilio animæ afflictæ? si pavet ad mortis nuntium ipsa Virtus, & contremiscit Fortitudo, quid nos imbecilles agemus in agone? *si non contristabit Justum, quidquid ei acciderit:* cur ergo timet & mœrore conficitur *Dominus Justus noster?*

Matth. 26, 37.

Prov. 12, 21.

Jer. 23, 6.

5. Verùm non obstante hâc vestrâ interpellatione, afflictum & mœrore plenum est COR JEsu, & quidem usque ad mortem, hinc apud Jobum ait: *Super hoc expavit Cor meum, & emotum est de loco suo.* Erátque tantus pavor & mœstitia Sacratissimi CORDIS JEsu in horto Olivario morantis, quem omnium mortalium corda, si in unum conflarentur, portare non possent, sed subitò horroris & doloris vehementiâ extinguerentur. Proinde ex hoc insolito CORDIS JEsu mœrore & cætera corporis membra in Christo cœperunt contremiscere, genua ad invicem collidi, vultus expallescere, & ipsa ossa trepidare, ita Jeremiâ attestante: *Contritum est cor meum in medio mei, contremuerunt omnia ossa mea.* Proh Deum immortalem, ad quid iste inauditus pavor in CORDE JEsu! *Tristis est anima mea usque ad mortem?*

Job. 37, 1.

Jer. 23, 9.

Et nunquid ô mi JEsu! ô mi Redemptor! plerique Sanctorum Martyrum læto & intrepido animo ad martyrium, ad agonem, ad summos cruciatus properabant? Nunquid Apostoli *ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine tuo contumeliam pati?* Sic SS. Marcus & Marcellianus fratres Romani, cùm maximis afficerentur tormentis, & pedibus clavis confixis ad stipitem alligati, telis peterentur, læti exclamârunt: *Nunquam tam jucundè epulati sumus.*

Brev. Ro. 18. Junii.

Sic

UVA. BHSC. BU 00661

Sic S. Theodorus miles, cùm ad supplicium traheretur, & denudatis costis, ferreis ungulis toto corpore dilaceraretur, lætus inter tormenta canebat: *Benedicam Dominum in omni tempore.* *Brev. Ro. 9. Nov.*

Sic S. Laurentius in ipsis mediis & exquisitissimis tormentis in igne semitostus ad impiissimum Tyrannum jucundo & alacri animo exclamavit: *Assatum est jam, versa & manduca.* *Brev. Ro. 10. Aug.*

Sic S. Ignatius Martyr & Ecclesiæ Antiochenæ tertius post D. Petrum Episcopus, cùm Romæ in amphitheatro ad bestias damnaretur, gaudio & solatio plenus coram omni spectante populo exclamavit: *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar.* *Brev. Ro. 1. Febr.*

Sic S. Barlaam Martyr Cæsareæ, cùm thus idolo in manu super ignem deberet adolere, & si vel unica thuris mica de manu in ignem subjectum caderet, fidem Christi negâsse videretur, non tantùm fortissimè dextram immotam super ardentes prunas tenuit, sed & lætus illud Davidis decantavit: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* *Martyr. Rom 19. Nov. & alii.* *Ps. 143. 1.*

Sic Edmundus Campianus ex Societate JEsu glorioſissimus fidei defensor, cùm Londini in Anglia ob fidem Orthodoxam strigoso vectus equo, de carcere ad ultimum supplicium duceretur, & ab impia Calvini turba cachinnis sibilisque exciperetur, quòd in pileo mortis suæ sententiam hisce majoribus scriptam characteribus: *Campianus Jesuita seditiosus*, gestaret, ipse solus in tumultu stetit immobilis, & lætus stans in patibulario ligno illud Ecclesiæ decantavit: *Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea.* *Max. Sandæus in Stauroph & alii.*

Et tu ô amantissime JEsu! Rex Martyrum, & omnium desolatorum Solamen maximum, cùm nunc in horto calix passionis bibendus offertur, doles, tristaris, ac penè mœrore conficeris? *super hoc expavit cor meum, & emotum est de loco suo?* *Job. 37. 1.*

6. Respondet S. Augustinus non absre esse, quòd *multi Martyres talia passi sunt, sed nihil sic elucet, quomodo Caput Martyrum: ibi melius intueamur, quod illi experti sunt.* Quia ergo Christus Caput erat omnium, & proprium capitis est condolere corpori, & com- *S. Aug in Ps. 63.*

UVA. BHSC. BU 00661

compati infirmitati membrorum, sic Christus prævidens in hoc horto & suam amarissimam & omnium Martyrum ac Christianorum passionem, Ecclesiæ Sponsæ suæ acerrimas persecutiones, Apostolorum dispersionem, proditionem Judæ, Templi devastationem, Patris iram, Matris compassionem, super omnia autem tot ac tanta mortalium peccata, quorum singula distinctissimè SS. COR JEsu cum suo authore cognoscebat, & in se onus satisfaciendi susceperat. Insuper cùm prævideret tot millionum animarum æternam ruinam, & quòd ipsa passio, mors crucis, ac Sanguis Divinus tam copiosè effusus in tot ingratissimorum peccatorum millibus foret frustraneus &c. &c. Hæc, inquam, & similia SS. COR JEsu vivaci repræsentatione præsentiens, tanto mærore, ac insolitâ tristitiâ repleverunt, ut ipsam mortem jam ante mortem crucis in ipso horti ingressu sentiret. Hinc ad Discipulos dixit: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* & apud Psalten: *factum est COR meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.*

Ps. 21, 15.

Et tu interim quid agis Cor meum? quid cogitas? fieríne potest, ut, si hoc afflictissimum COR JEsu Salvatoris tui in horto illo fatali ob peccata tua agonizans consideras, non pariter illi ex toto corde & in animo contrito condoleas? Heu! quid erit, si similis agonia Cor tuum aliquando occupabit? Tunc enimverò aliter de hac vita tua, quam modò degis, tam tepidâ, tam indevotâ, tam dissolutâ incipies sentire. Tunc tibi tuæ voluptates ac deliciæ *fel draconum*, erunt, & *venenum aspidum insanabile*. Et quid erit, si denique imminens judicium & pœna æterna peccatis tuis debita agonizanti cordi tuo repræsentabuntur? *O si cognovisses & tempus visitationis tuæ, & quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi?*

Deut. 32, 33. *Luc.* 19, 24.

Imitare pulcherrimum Theodori adolescentis exemplum. Hic nobilissimis parentibus in Ægypto natus, & inter mundanas delicias educatus, cùm semel in parentum aula simulacrum Christi ad montem Oliveti agonizantis, vidisset, mox de convivio surgens, ad illud se cubile retraxit, ubi coram hac imagine in genua provolutus, multis profusis lacrymis Deum rogavit, quatenus se veram salutis viam edoceret, se quidem omnino cum Christo paratum ad crucem constanter portandam, timere autem, ne inferiori homini & passionibus suis succumberet. Diu inter lacrymas hæc interior cordis pugna duravit. Interim in aula quæritur Theodorus, & à Matre ibidem in terra prostratus invenitur, quæ modis, quibus potuit, cor ejus conabatur avertere, sed gratiâ divinâ & Christi sanguinem sudantis exemplo confortatus statuit aut Deo servire, aut non ampliùs vivere. Unde seipso superior mundo, parentibus, divitiis, carnísque illecebris valedicens, sine mora in vastissimam eremum secessit, in qua multis annis Deo ex toto corde serviens, & mortificationem crucis jugiter in corpore suo portans, tandem vitam cum beatissima morte mutavit. Tantùm illi profuit, vel semel afflictissimum COR JEsu in horto agonizantis, considerâsse! Et tu quid agis, qui hujus tristitiæ causa fuisti? cur non dicis cum Job. *Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum &c.*

P. Fineti de pass. c. 13 *num.* 11.

Job. 10, 20.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XXXII.

SS. COR JESU cum divina voluntate conjunctissimum unicè cœlestis Patris sui voluntatem in omnibus fieri desiderat.



Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Matth. 26, 19.

1. Cùm cor Regis Davidis in summis versaretur angustiis, & impius ille parricida, rebellísque filius Absalon ubique locorum patri necem machinaretur, aliud refugium optimus Rex invenire non potuit, quàm ut in montem olivarum se conferret, ubi sub condensis & virentibus olivis nocte intempesta inter lacrymas redundantes Cor suum totum in DEum effudit. O quoties tunc suspirare, & in cœlum hanc ingeminare vocem auditus est: *Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me! Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.* Ps. 54. 5.

UVA. BHSC. BU 00661

2. Reg. 15, 30. *Porro David*, ait Scriptura, *ascendebat clivum olivarum, scandens & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite:* quem afflictissimum Regem inter paucos alios servos fideles comitatus est Ethai, constantem exilii socium sese illi adjungens: *Vivit Dominus*, inquit, *& vivit Dominus meus Rex, quoniam in quocumque loco fueris, Domine mi Rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus.*

En elegantem typum sacratissimi & afflictissimi CORDIS JEsu! qui cùm ab ingratissimo Iscariothe & impiis Deicidis ad necem quæreretur, pari modo ad eundem olivarum montem cum David se conferre voluit: *Et egressus ibat secundùm consuetudinem in montem olivarum*; ubi priùs toties in oratione Dei pernoctavit: ubi duodecim Apostolos elegit; ubi descendens omnes ægros sanavit, & paulò antè civitatem Hierosolymam amaris deplorabat lacrymis, ibi & calicem passionis haurire, in cruentas peccatorum manus tradi, & divinissimum COR suum erga Deum Patrem suum effundere placuit. Imitemur nos fidelem Ethai, & comitemur JEsum per fidelem cordis nostri oblationem, ac devotam amarissimæ passionis ejus meditationem, dicamúsque Salvatori & Regi nostro: *Vivit Dominus, & vivit Dominus meus Rex, quoniam in quocunque loco fueris, Domine mi Rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus.*

Luc. 22, 39.

2. Reg. 15, 21.

2. In hunc finem pro Symbolo nostro heliotropium seu solsequium statuimus, qui flos regius non tantùm cœlo sereno, sed etiam nubilo ac turbido solem suum ubique sequitur; imò & de nocte, cùm sol in suo hæmispherio etiam infra nos cursum suum accelerat, & ab Intelligentiis cœlestibus circumagitur, Cor suum juxta solis cursum intorquet, ac demum eundem astrorum principem de purpureo thalamo suo resurgentem cum gaudio salutat. Proinde hoc Lemma tulit: *Quò se cunque movet.* Vel illud Joañis Feri: *Et abeuntem quoque.* Vel quod magis ad nostrum propositũ servit illud Davidis:

Ps. 42, 2.

Usque ad Occasum.

En perfectissimum Symbolum SS. CORDIS JEsu, Patri suo cœlesti per omnia *usque ad Occasum*, hoc est, ad mortem usque Crucis

UVA. BHSC. BU 00661

cis obedientissimum, & ad voluntatem ejus faciendam promptissimum. Hinc non obstantibus infinitis difficultatibus, cùm nunc calix amarissimæ passionis ad fæces usque esset exhauriendus, cum omni tamen resignatione ad Patrem oravit: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Matth. 26, 39. Ex quo S. Chrysostomus hoc pulcherrimum eruit argumentum: *Eo*, inquit, *quod dixit, transeat, si possibile est, humanitatem suam ostendit; eo verò, quod, non ut ego volo, sed ut tu, sublimem admirabilis philosophiæ virtutem tradidit, cùm exemplo nos doceat, etiam naturâ abhorrente ac renitente, DEum esse sequendum.* S. Chrys. in hunc loc. Attende hîc, Anima Christiana, in quo vera ac solida oratio consistat, nimirum in hoc, si Cor tuum paratum est, ut in te per omnia impleatur divina voluntas ac cœleste beneplacitum. Hîc totius rei cardo vertitur, ut in omnibus, & per omnia SS. Dei voluntas perficiatur. Rem per insignem figuram adhuc magìs dilucidamus.

3. Cùm David à facie irati Saulis profugus ad saxosos montes & speluncam Engaddi se contulisset, ut ibidem contra hostes insequentes in obscuro antro vitam tueretur, unà secum dulcissimam suam citharam (unicum etiam in rebus desperatissimis solarium) tulit, quam ibidem in hoc tenebroso & saxeo carcere constitutus, inter summa vitæ pericula, cùm undique ab inimicis suis cingeretur, confidenter solebat arripere, & in ea sæpius de die illud divinum Canticum lætâ voce decantare: *Paratum Cor meum DEus: paratum Cor meum.* Ps. 56, 11. Quid agis, David? an non musica in luctu importuna narratio? per hanc citharam tuam adversitates & persecutiones tuas non tolles, multò minùs iratum hostem placabis?

Verumenimverò aliud hîc latet mysterium. Per hanc Davidicam citharam S. Augustinus orationem & conformitatem Cordis nostri cum Corde divino pulcherrimè interpretatur, hæc est enim suavissima illa cithara, quæ tam in prosperis, quàm in adversis Deum semper laudat, eique gratias in omnibus agit, séque penitus ejus voluntati subjicit. Ita David in summis angustiis facere

UVA. BHSC. BU 00661

consuevit, lætus semper decantans: *Paratum Cor meum DEus*: Paratum ad ferendam persecutionem, famem, sitim, infamiam, egestatem, morbos, ipsámque mortem. Fiat, mi Domine, in omnibus sanctissima voluntas tua. Ecce, quàm benè David in cithara sua mystica, hoc est, in Corde suo citharizaverit: Audi nunc memoratum S. Augustinum: *Confitere*, inquit, *Domino in cithara, sive cibi abundet aliquid, gratias age illi, qui dedit; sive tibi desit, sive fortè damno tibi auferatur aliquid, citharizà securus: non est enim ille tibi ablatus, qui dedit. Etiam sic, inquam, citharizà securus, certus in DEO tuo, tange chordas in Corde tuo, & dic tanquam in cithara in inferiore parte benè sonante: DOMINUS DEDIT, DOMINUS ABSTULIT: SICUT DOMINO PLACUIT, ITA FACTUM EST: SIT NOMEN DOMINI BENEDICTUM.* O quàm benè ad modernum tempus! ubi ædes nostræ ab hoste combustæ, aut expoliatæ, pecora abacta, &c.

S. Aug. in Psal. 32.

4. Nunc à Davide ad Davidis Filium, Christum JEsum in monte olivario ad Patrem in summo Cordis dolore & mœrore orantem transeamus. Qui, cùm jam sæpius ad mortem fuisset quæsitus: *Et quærebant eum Judæi interficere*, & nunc tempus passionis instaret, ubi propriâ morte mortem omnium deleret, pariter ad montes saxosos & speluncas, non Engaddi sed Oliveti se contulit, ubi in concava petra versùs cœlum apertâ SS. COR JEsu, divina illa ac luctuosa cithara, ad voluntatem Patris semper intensa & perfectissimè concordans, de novo illud Davidicum tertia vice decantavit: *Paratum Cor meum DEus*: Fiat voluntas tua! quasi diceret:

Joan. 5, 18.

Si vis, O Pater! ut tanquam innocens Joseph triginta argenteis jam in mortem venditus, nunc tradar in manus peccatorum: *Extrahentes, eum de cisterna vendiderunt eum Ismaëlitis viginti argenteis, qui duxerunt eum in Ægyptum*: Fiat voluntas tua.

Gen. 37, 28.

Si vis, O Pater! ut falso osculo perfidi Iscariothis nunc prodar militibus, & velut Amasa à Joab proditoriâ siccâ interficiar: *Dixit itaque Joab ad Amasam: Salve, mi frater! & tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum &c.* Fiat voluntas tua.

2. Reg. 20, 9.

Si

UVA. BHSC. BU-00661

Si vis, O Pater! ut tanquam alter innocuus Daniel à principibus falsò accuser, & ad lacum crudelium leonum condemner, ibidem velut agnus immaculatus impiorum dentibus devorandus: *Tunc respondentes dixerunt coram Rege: Daniel de filiis captivitatis Juda, non curavit de lege tua & de edicto, quod constituisti, &c.* Dan. 6, 13. Fiat voluntas tua.

Si vis ô Pater! ut velut cœcus Samson à Philistæis illudar, & obducto super faciem velamine colaphizer, conspuar, & vilipendar: *Quem cùm apprehendissent Philistiim, statim eruerunt oculos ejus, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt:* Judic. 16, 21. Fiat voluntas tua.

Si vis ô Pater! ut velut insanus ac fanaticus albâ veste induar, & sicut olim David in aula Achis ut stultus ejiciar, contemnar, & irridear: *Ait Achis ad servos suos: Vidistis hominem insanum, quare adduxistis eum ad me?* 1. Reg. 21, 14. Fiat voluntas tua.

Si vis ô Pater! ut toto corpore flagris, catenis, & loris immaniter cædar, ut quondam patientissimus Job à Satana ulcere pessimo erat percussus: *Percussit Job ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem ejus:* Job. 2, 7. Fiat voluntas tua.

Si vis ô Pater! ut cruentis vepribus cingar, & ut victima coronata in ara crucis, ut quondam aries Abrahami in holocaustum peccatorum tibi offerar: *Levavit Abraham oculos suos, vidítque post tergum inter vepres arietem hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio:* Gen. 22, 13. Fiat voluntas tua.

Si vis ô Pater! ut bajulans mihi crucem, exeam in eum, qui dicitur, Calvariæ locum, sicut quondam Isaac ligna holocausti propriis humeris ad montem Moria deportavit, ibidem paternis manibus immolandus: *Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac Filium suum:* Gen. 22, 6. Fiat voluntas tua.

Si vis ô Pater! ut maledictum pro omnibus fiam, & ut suspendar in cruce velut olim serpens à Moyse in palo suffixus, ut in me aspicientes ab animæ vulneribus sanentur, & vivant: *Fecit Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo, quem cùm percussi aspicerent, sanabantur;* Num. 21, 9. Fiat voluntas tua.

Si

UVA. BHSC. BU 00661

Si vis ô Pater! ut in arbore crucis COR meum, velut Cor Absalomis in quercu pendentis, tribus lanceis, amoris scilicet, doloris, & furoris transfigatur: *Tulit ergo tres lanceas in manu sua, & infixit eas in Corde Absalom:* Fiat voluntas tua.

2. Reg. 18, 14.

Si vis denique ô Pater! ut post mortem exantlatam de ligno deponar, & per triduum corpus meum in corde terræ quiescat, & in sepulchrum inferatur, ut quondam Jonas in cor maris projectus, in ventre piscis per triduum fuit sepultus: *Erat Jonas in ventre piscis tribus diebus & tribus noctibus:* Fiat voluntas tua. Ecce paratum Cor meum DEus! paratum Cor meum.

Jonæ 2, 11.

5. O anima Christiana! disce à SS. CORDE JEsu, quomodo imposterum adversa omnia divinæ voluntatis dispositioni ex integro committas; si enim homo medico suam solet committere salutem, lites & jura suo procuratori, & quandoque ipsam vitam, si oculorum lumine orbatus est, domestico suo cani, ut ab illo in via securè deducatur. Et cur, obsecro, homo Christianus DEO Creatori suo, qui ipsa Bonitas est, nec illi malum velle potest, non totum Cor ac voluntatem suam in omnibus subjiciat: Fiat voluntas tua? *Hæc vox Capitis*, ait S. Leo, *salus est totius corporis, hæc vox omnes fideles instruxit, omnes Confessores accendit, omnes Martyres coronavit. Nam quis mundi odia, quis tentationum turbines, quis posset persecutorum superare terrores, nisi Christus in omnibus & pro omnibus patiens, Patri diceret: Fiat voluntas tua?*

S. Leo serm. 7. de pass.

In exemplum adduco, relictis mille aliis, purissimum COR Dolorosæ Virginis & Matris DEI MARIÆ, de qua refert Dilectus Christi Discipulus: *Stabat autem juxta crucem JEsu Mater ejus.* Quid dicis Evangelista? *Stabat?* cùm totus ferè terrarum orbis in passione Christi susque deque verteretur, MARIA immobilis *stabat* sub cruce? Cùm elementa dissoluta sunt, petræ scissæ, sol obscuratus, velum Templi disruptum, sepulchra aperta, mortui resurrexerunt, & Vita ipsa cum morte duello conflixit mirando, & interim MARIA *stabat?* Et sub cruce *stabat?* Et sub JESU morente *stabat?* Ah quomodo hoc possibile fuit, quòd purissimum illud

Joan. 19, 25.

UVA. BHSC. BU 00661

illud & afflictissimum COR MARIÆ non in mille partes fuerit disruptum?

Audi anima Christiana hujus Sacrosanctæ Virginis ac Dolorosæ Matris responsum: *Fiat mihi*, ita inquiebat ad Archangelum *secundùm verbum tuum*. Hæc verba: *Fiat voluntas tua Domine!* semper in ore, semper in corde, illius versabantur, nec aliud unquam expetebat, quàm ut in omnibus expleretur voluntas DEI; hinc dum omnia in morte JEsu cadere videbantur, hæc tamen *stabat*, plenissimè cum SS. CORDE JEsu Crucifixi in voluntatem Patris resignata: *Beata Virgo*, ait Gerson, *juxta crucem stans, altissimũ actũ obedientiæ habuit, offerendo Patri Filium, & conformando se in omnibus cum divina voluntate*. O mortales omnes! discite à SS. CORDE JESU & MARIÆ, quomodo in omni difficultate & afflictione Cor vestrum divinæ voluntati submittatis: *Discite habere in Corde*, ait S. Augustinus, *quod habet omnis homo in lingua: Quod vult DEus, hoc agat*.

Luc. 1, 38.

Gerson in Magnificat.

S. Aug. in Psal. 32.

6. Subjungamus huic pulcherrimo Christi & Mariæ exemplo historiam planè mirandam. S. Epictetus Sacerdos jam propè sexagenarius, & S. Astion Vir religiosissimus, imperante Diocletiano Imperatore, à Latroniano Almiridensium Duce ut Christiani capti, & in vincula conjecti sunt. De nocte ineunt consilium, quid Tyranno respondere velint, si postero die ad quæstionem & judicium essent rapiendi; concludúntque, quòd in tormentis nil aliud velint dicere, quàm: *Christiani sumus, fiat voluntas Dei in nobis*. Sequenti die ad tribunal trahuntur, & à Judice, populo universo inspectante, interrogantur, de qua domo, gente aut patria? *Christiani*, respondent, *sumus, JEsum adoramus, fiat voluntas Dei in nobis*. Quibus auditis, Judex excandescens SS. Martyres vestimentis spoliari, & virgis crudeliter cædi imperat. Illi verò sublevatis in cœlum oculis nil aliud in tormentis ingeminârunt, quàm: *O Domine JESU! tua voluntas fiat in nobis*. In equuleum exinde attolluntur, & ferreis ungulis immaniter cruciantur, & quasi in frusta discerpuntur. Quid hîc iterum fortissimi Martyres? *Christiani sumus, fiat voluntas Dei in nobis*. Quibus gene-

Vide le Blanc in Psal. 56. *v.* 9.

UVA. BHSC. BU 00661

generoso Corde exantlatis tormentis, denuo in vincula & in carcerem reducuntur.

Cæterùm audiit hoc fortè Vigilantius in illo judicio assessor, & hæc verba miræ virtutis incantamentum ratus, quæ omnem dolorem in tormentis enervarent, illa semper stans, aut sedens, aut ambulans secum repetebat: *Christiani sumus, fiat voluntas Dei in nobis.* Triduum taliter exegit, quartâ luce vi supernâ motus ad SS. Martyres in carcere detentos properat, & Sacrum Baptisma cum orthodoxa fide ab illis recipit. Tum tyrannus velut efferatus Leo de novo in rabiem actus, SS. Martyres iterum in judicium vocari jubet, illorúmque vulnera aceto & sale conspergi, ora saxis contundi, & virgis fraxineis crudelissimè toto corpore cædi. Quid ad hæc omnia isti fortissimi athletæ? Nihil aliud inclamant, quam assiduò ingeminando, *Christiani sumus, fiat voluntas Dei in nobis.* Demum ubi vidit Latronianus, quòd nihil proficeret, SS. Martyres securi plectendos denuntiat, quâ auditâ sententiâ læti decantârunt: *Laudate nomen Domini, quia facta est voluntas Dei nostri in nobis per omnia.* Ubi ad locum supplicii perventum est, nobile inter utrumque certamen ortum est, quisnam prior gladium exciperet? quam piam litem S. Epictetus ob auctoritatem senii & sacerdotii diremit, cupere se, inquiens, præmitti Astionem. Nec diu iste moratus: *O mi Pater*, inquit, *O Sacerdos Dei venerande, fiat voluntas Dei & tua.* Dixit, & caput amputandum lictori præbuit, quod ubi vidit S. Epictetus, in Astionis cadaver pronum se abjecit, & illud amicissimè amplexatus, pari constantiâ caput suum præbuit lictori amputandum, quæ Sacra Corpora Vigilantius honorificè terræ mandavit.

Quid ad hæc pie Lector? Nunquid etiam tu imposterum pro tua tessera militari, cùm adversùs animæ hostes ac præsertim contra rebellem voluntatem tuam erit pugnandum, illud usurpabis: *Christianus sum, fiat voluntas Dei in me?* Ita quondam dixit Heli, cùm ei interitus, & totius domûs ruina
1. *Reg.* 3, 18. indicaretur: *Dominus est: quod bonum est in oculis suis, faciat.* Ita Job ad
Job. 1, 21. omnes casus adversos ingeminavit: *Sicut Domino placuit, ita factum est.* Ita
4 *Reg.* 20, 17. Ezechias Rex, cùm ab Isaia Propheta ei clades totius Regiæ Familiæ, & omnium bonorum jactura prædiceretur: *Ecce dies venit, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua*: generoso animo respondit: *Bonus sermo Domini, quem locutus est.* Hoc fac & tu, & vives. Dic ergo sæpius cum S. Philippo Nereo: *Sicut tu scis ac vis, ita fac mecum Domine*, & tu ô SS. ac divinissimum COR JEsu, cui Cor meum ex omni parte resigno, fac mecum in omnibus, sicut tibi placuerit.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XXXIII.

SS. COR JESU in horto in sanguineum imbrem se se diffundit, ut tuorum eluat peccatorum maculas.



Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Luc. 22, 44.

1. CUm quondam tempore Eliæ Prophetæ iratum cœlum tribus annis ac sex mensibus non daret pluvias, & terra ob tam diuturnam siccitatem exusta, propemodum in petram induruisset, tandem ad preces ejusdem Eliæ nubecula quædam parva super Mare Mediterraneum apparuit, quæ exiguo tempore in aëris regione dilatata, largissimum imbrem miseris mortalibus profudit, universúmque terrarum orbem mirè fœcundavit: *Ecce, nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari:* & quid sequitur? *Cæli contenebrati sunt, & nubes, & ventus, &* 3. Reg. 18, 44.

UVA. BHSC. BU 00661

facta est pluvia grandis. Cui fœcundissimæ nubeculæ prō Lemmate eleganter inscribes:

Tandem resoluta venit.

Vel, si magìs arridet:

Sese diffundit ubique.

Vel denique illud S. Pauli ad Romanos:

Rom. 10, 12. Dives in omnes.

Per hanc nubeculam parvam, tanquam pluviarum fontem meritò SS. COR JEsu intelliges, in Monte Olivario ob immensum peccatorum nostrorum pondus ad eas luctæ & mœroris angustias redactum, ut, licèt non adesset tortor qui sanguinem ejus per flagella, spinas, clavos, crucem, & lanceam exprimeret, ultrò tamen hoc divinissimum COR JEsu præ nimio amore & pavore adeò sese diffuderit, ut sanguis, qui priùs ex vehementi concepto mortis timore ad hoc SS. COR corroborandum confluxerat, nunc ab eo ingenti amoris vi repulsus, patefactis ubique poris per omnia corporis membra, velut imber serotinus copiosè diffluret, terrámque aridam ubertim sub se irrigaret: *Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* O gratiosa nubecula! O pluvia salutaris! verè *Dives in omnes*, dum per eam terra nostra arida, hoc est, anima (de qua Regius Vates: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.*) non tantùm irrigata & fœcundata, sed etiam à peccatorum sordibus abluta est: *Lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.*

S. Aug. ser 201. *de temp.*

Luc. 22, 44.

Ps. 142, 6.

Apoc. 1, 5.

2. O pientissime JEsu! ex hoc colligo, qualis ille fuerit baptismus, ad quem antea tot ardentibus votis sacratissimum COR tuum anhelavit: *Baptismo autem habeo baptizari, & quomodo coarctor usque dum perficiatur.* Hic nimirum sanguineus imber in Monte Olivarum illud exoptatum baptisma fuit, in quo COR dolorosissimi JEsu, tanquam inter duos prægrandes lapides molares positum, & amore & dolore, ac præsertim peccatorum nostrorum pondere adeo coarctatum fuit, ut, nisi Deus illud sustentâsset, millies sub tanto pondere periisset, unde tandem præ amoris & doloris magni-

Luc. 12, 50.

UVA. BHSC. BU 00661

magnitudine COR ejus lacrymatum est: *Et cataractæ cœli apertæ sunt, & facta est pluvia super terram.* Gen.7, 11.

Hoc idem insinuare voluit Jeremias Propheta, cùm de hac cruenta Sacratissimi CORDIS JEsu agonia in horto ita vaticinatus est: *Effusum est in terra jecur meum*, seu COR meum, quod fons vitæ & officina sanguinis est, atque amoris & affectuum receptaculum. Hoc ergo suavissimum & amabilissimum COR JEsu, cùm nunc Pater *posuit in eo iniquitates omnium nostrûm*, ob tam immensum peccatorum pondus non tantùm in terram prostratum, sed & in sanguineum imbrem solutum est. Isa.53.6.

Repræsentabantur nimirum tunc huic SS. CORDI JEsu omnia peccata ab Adamo & Cain perpetrata, & usque ad finem mundi perpetranda, de quibus apud Regium Prophetam: *Et sicut onus grave gravata sunt super me.* Videbat insuper abominandam plurium mortalium ingratitudinem, pro quibus divinus ille ac pretiosissimus Sanguis incassum & inutiliter profunderetur: *Sicut aqua effusus sum.* Cernebat insuper corda humana ipso adamante duriora, quæ neque per hunc calidissimum purissimi Agni Sanguinem emollescerent, sed in contemptum hujus divini cruoris audacter peccata peccatis accumularent. *Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Hæc, inquam, & similia SS. COR JEsu adeo in horto illo fatali gravabant, ut, antequam tortores & carnifices adventarent, jam in sanguineas pluvias profunderetur. Ps.37,5. Ps.21, 15. Ps.68, 27.

3. Collige ex hoc, Anima Christiana! quàm grave pondus & onus intolerabile debeat esse peccatum, quod SS. COR JEsu in illo horto adeo depressit, ac tandem in Cruce atrocissimâ morte occidit: *Nullum gravius est onus*, sunt verba S. Ambrosii, *quam peccatorum sarcina, & pondus flagitiorum deprimit ad terram, ne se erigere possit.* Et S. Joannes Chrysostomus: *Nullo pondere gravius premitur anima, quàm peccati.* Interroga robustissimos Angelos, quid illos dehiscentibus cœlis adeo in imum inferni barathrum depresserit, nisi immane illud pondus peccati? Consule Core, Dathan, & Abiron, cur in conspectu totius populi à terræ hiatu fuerint absorpti, S. Ambr. epist. ad Simplic. S. Chrys. hom.39, in Matt. In epist. Judæ v. 6. Num.26, 10.

UVA. BHSC. BU 00661

sorpti, atque in ipso inferni centro vivi sepulti, an non horrendum peccati pondus illos adeo depressit? Considera Jonam, quomodo ob peccati pondus usque in profundum maris fuerit præcipitatus:

Jon.2, 4. *Et projecisti me in profundum in corde maris?*

Ecce! omnia elementa, cœlum, terra, ignis, aër, mare, & ipse Deus & Homo Christus testantur, quàm intolerabile pondus sit peccatum, sub cujus mole ipse mundi Conditor & Salvator JEsus in horto pavet, contremiscit, in terram procidit, & ad mortem usque SS. COR ejus agonizat. Et tu sordide ac inveterate peccator, adhuc imposterum in ipso conspectu Summi Dei & Judicis tui audeas peccare? Si adeo Pater æternus in dulcissimo CORDE JEsu aliena peccata corripuit, quid erit de te, anima misera, tantâ peccatorum mole gravata? Heu! ergóne etiam de te illud verificabitur, quod jam pridem Ezechiel de hoc sanguineo sudore JEsu prædixit:

Ezech. 24, 12. *Multo calore sudatum est, & non exivit de ea nimia rubigo ejus, neque per ignem: immunditia tua execrabilis est, quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus?*

4. Recordor hîc illius virgæ planè admirandæ, quâ Moyses quondam tot ac tanta prodigia patravit, inter quæ non minimum illud est, quòd ope ejusdem virgæ omnes aquas in Ægypto, imò & ipsum celeberrimum ac septemfluum Nilum in sanguinem commutaverit: *Et elevans virgam, percussit aquam fluminis coram Pharaone & servis ejus, & versa est in sanguinem.* O portentum inauditum!

Exod.7, 20.

Et quid dico? placétne videre anima Christiana hanc virgam, tanti prodigii operatricem? Leva in circuitu oculos tuos, & inspice SS. COR JEsu, ut apparuit Ven. Margarithæ, effigiatum. Et quid cernis in hoc divinissimo CORDE? Ecce virgam crucis & salutis jam à primo conceptionis momento eidem implantatam. Hanc ergo virgam cùm nunc Pater æternus in monte Olivarum levaret, humerísque Unigeniti Filii imponeret ferendam, mirabile dictu! mox aqueus sudor JEsu versus est in sanguinem, in quo cruento profluvio juxta mentem Doctorum benignissimus Redemptor plus

UVA. BHSC. BU 00661

plus, quàm nonaginta septem millia guttarum emisit, donec tandem post complures sanguinum effusiones ipsa ultima cruoris stilla ex hoc Sacratissimo CORDE virga lanceæ percusso, pro salute nostra profunderetur. O extasin amoris! videte DEUM cruentum, & super faciem terræ in proprio sanguine natantem! Et quis, obsecro, crederet auditui nostro, nisi veritas Domini hoc revelâsset? O Dolorosissime JEsu! *Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua, sicut calcantium in torculari? quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* O anima mea, quid moraris, *Quid stas* inquit S. Anselmus, *recurre, & suavissimas illas guttas lambe &c.* *Isa.63,1.* *S. Ansel. in spec. Evang.*

5. In mentem hîc mihi venit sanguinea illa pluvia, quæ anno salutis nostræ 778. orbi universo ingentem terrorem incussit; cùm enim tunc temporis universalis Synodus, quæ fuit Nicæna Secunda, per 350. Episcopos celebraretur, subitò in meridie Sol mundi oculus altâ caligine obduci, & insolitis tenebris obscurari cœpit, ad quam obtenebrationem mox sanguineus imber de cœlo descendit, ubi & variæ crucis figuræ in vestimentis hominum apparuerunt. Quod insolitum portentum omnium mortalium corda gravissimo metu perculsit, dum paulò pòst cruenta bella, fames, ac pestilentia plures orbis provincias pervagata, eas ferè penitus devastârunt. *Alphonf. Ciacon. de sig. Cruc. c. 17.*

Verùm non sic imber ille sanguineus in horto Olivario è SS. CORDE JEsu promanans, ac per omnia ejus membra exinde se diffundens, orbi Christiano fatalis fuit, de quo imbre saluberrimo Ezechiel illud vaticinium tulit: *Et deducam imbrem in tempore suo, & pluviæ benedictionis erunt.* Et Vates Regius: *Pluviam voluntariam segregabis hæreditati tuæ.* Item & Dilectus ille Discipulus: *Hic est, qui venit per aquam & sanguinem JEsus Christus: non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine.* O salutares pluviæ! ubi *de plenitudine CORDIS JEsu omnes accepimus.* O pientissime JEsu! O mi Redemptor! Ah si vel unica stilla de hoc imbre divino etiam in animam meam caderet! O felix illa terra, quæ *Ezech. 34,26. Ps.67, 10. 1. Jo.5, 6. 1. Jo.2, 2.*

UVA. BHSC. BU 00661

tam pretiosum Salvatoris nostri cruorem absorbuisti, nunc in veritate non ampliùs maledicta, sed benedicta tu eris à Domino.

6. O anima Christiana veni, vide, & considera, quousque devenerit tui causâ SS. COR JEsu! veni, inquam, in Oliveti hortum, & vide, quomodo ibidem Novus Adam & melioris vitæ origo Christus nunc in multo labore & sudore vultûs sui terram illam, spinis ac tribulis peccatorum refertam, incipiat purgare, excolere, & proprio cruore suo fœcundare, *ut fructum plus afferat.* *Jo.* 15, 2.

Vide, & considera unicum illum ac dilectissimum summi Patrisfamilias Filium, quomodo nunc in sterilem vineam, spinas & labrusças ferentem, mittatur, ut eam ligone crucis excolat, & proprio suo sanguine irriget: *Vinea facta est dilecto in cornu filio olei, & sepivit eam &c.* *Isa.* 5, 1.

Vide, & considera, quomodo Botrus ille Cypri dilectus, antequam torculari crucis subjiciatur, jam sponte à se ipso purpureum liquorem ac pretiosissimum vinum germinans virgines, emittat: *Lavans in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum.* *Gen.* 49, 11.

Vide, & considera Rosam illam mysticam ac Jerichuntinam, quomodo in furno campano & in igne amoris intus in SS. COR. DE JEsu agente, in pretiosas lacrymas distillet, & in odoriferum liquorem dissolvatur, Patri Cœlesti pro salute totius mundi in odorem suavitatis offerendum: *Quasi flos rosarum in diebus veris &c.* Proinde ejusmodi fornaculæ chymicæ ad propositum nostrum pro lemmate adjicies: *Interno sudor ab igne.* *Eccli.* 50, 8.

Vide denique, & considera hîc optimum Samaritanum, ideo montem Oliveti pro primitiis cruentæ passionis suæ eligentem, ut ibidem oleum & vinum in vulnera animæ tuæ, à latronibus Tartareis tam crudeliter sauciatæ infundat, eámque ab infirmitate curet, & à perpetua morte liberet: *Et livore ejus sanati sumus.* *Isa.* 53, 5.

O Sacratissimum, ô amabilissimum COR JEsu! quis has considerans veritates, non tecum doleat? non præ compassione deficiat? Ecquid est ô mi JEsu! ô mi Amor! cur non pari modo præ dolore & amore

UVA. BHSC. BU 00661

amore rumpitur, & effunditur Cor meum in terram, quia hujus tui mœroris immensi & sanguinei sudoris auctor sum? Ego, ego sum, qui peccavi, ego, ego sum reus mortis, filius iræ, & hæres gehennæ, & tu innocens pro me plecteris? Sic scilicet, quod deliquit servus, luit Dominus. Ah fluite lacrymæ, Cor meum disrumpere, & præ dolore ac pœnitudine peccatorum anima mea contabesce: *Non feriebant*, ait Eminentissimus Cardinalis Bellarminus, *Dominicum Corpus in horto gladii impiorum, ut erant flagella, vel spinæ, quæ sanguinem elicerent, sed scelera mea, hæc erant spinæ, quæ cerebrum ejus crudelissimè penetrabant: hæc erant sarcina illa gravis, quæ Dominum premebat, & quam sine sudore sanguineo portare non poterat.* O pientissime JEsu! petra illa, in qua ad Patrem in horto orans, & agonizans sanguinem sudâsti, præ teneritudine liquefacta, genuum tuorum figuram, quasi cera liquescens in se suscepisse dicitur. Et Cor meum ipsis saxis & petris adhuc durius sit? Ah fluite lacrymæ! fluite!

Bellarm. conc. in pass. Domini.

7. Cùm idem dilectissimus Redemptor meus Lazarum amicum suum de sepulchro à morte ad vitam revocare vellet, testatur scriptura, quòd SS. COR ejus pariter in copiosas lacrymas sese effuderit: *Et lacrymatus est JEsus.* Hoc cùm Judæi monumentum Lazari circumstantes adverterent, Christúmque lacrymantem intuerentur, mox invicem hoc argumentum & quidem non incongruè fecerunt: *Ecce quomodo amabat eum?*

Jo. 11, 35.

Ergo lacrymæ sunt signum veri & cordialis amoris? Nunc collige anima mea, quantùm te amaverit Divinissimum COR JEsu, dum non externis duntaxat oculis, sed & omnibus membris, corporisque poris tua peccata in horto deploravit: *Ibi quidem,* sunt verba Melliflui Bernardi, *non solis oculis, sed quasi membris flevisse omnibus videtur, ut totum corpus ejus, quod est Ecclesia, totius lacrymis corporis purgaretur.* Et Taulerus: *Flevitque amarissime non aquam tantum, sed & sanguineas lacrymas.* Et tu sordide peccator, ingratissime & miserrime homuncio, quid agis? adhuc ludes & deludes lacrymas JEsu? *Compatitur*, subintrat

S. Bern. serm. 3. in Dom. Palm. Tauler. in exer. de vita & pass. Christ.

UVA. BHSC. BU 00661

trat hîc rursus S. Bernardus, *Filius Dei, & plorat, & homo ridebit?*

O suavissime JEsu! nunc tandem intelligo, quod jam olim in typo Sponsæ tuæ Dilectæ ad ostium cordis locutus es: *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Qualis, obsecro, amantissime JEsu, est hic ros, quo caput tuum & cincinni (hoc est, crines tui intorti & calamistrati) pleni sunt?

Cant. 5, 2.

Observa anima Christiana! Ros est vapor noctis frigore concretus, & in guttas resolutus, qui tempore sereno in corda florum, herbarum ac plantarum suaviter distillat, illásque humectat, irrigat & mirè fœcundat: *ita*, inquit Daniel Mallonius, *Christi Sanguis nocturno persecutionis tempore ad nos fluxit*, dum in monte Oliveti aridum Cor nostrum mirè irrigavit &c. O anima, quæ ista legis, aperi & tu Sponso sanguinum, Christo JEsu, pro te sanguinem sudanti, juxta exemplum Seraphicæ Matris Theresiæ ostium Cordis tui, quæ de se ipsa fatetur, quòd ex consideratione hujus sanguinei sudoris JEsu omnem profectum spiritualem consecuta sit. Aperi, inquam, tu ei Cor tuum, & videbis, & miraberis & dilatabitur Cor tuum &c.

Mallon. c. 11. apud me. fol. 127.

Ribera in vita S. Theres.



CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XXXIV.

SS. COR JESU nil magis aversatur, quàm propriam Cordis nostri voluntatem : unde eam acerbè in Petro castigat.



Converte gladium in locum suum, omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt. Matth. 26, 52.

1. NArrant historiæ de Mario generoso quondam milite Romano, quòd, antequam bello nomen consecraret, artem fabri cultrarii exercuerit, gladiósque pro militia confecerit. Accidit, ut extincto Imperatore idem Marius, ob præclara quædam facinora, à militibus primo impetu in Ducem & Imperatorem Romani exercitûs proclamaretur, in qua summa dignitate unâ die regnavit, & alterâ luce à gregario quodam milite proprio, quem ipse priùs ut faber cultrarius confecerat, gladio occisus est, cum dicto : *Hic est gladius, quem ipse fecisti.*

UVA. BHSC. BU 00661

Et quid, obsecro, aliud est propria cordis nostri voluntas, quàm similis gladius, quo ipsimet nobis vitam animæ adimimus? Petrum consule, ob propriam cordis voluntatem à Christo sæpius increpatum, & durè castigatum; primò dum sese futuræ oppositi passioni & morti Crucis: *Abst à te Domine, non erit tibi hoc*: ubi tanquam adversarius & inimicus Crucis à Christo vix non repudiatus est: *Vade post me Satana, scandalum mihi es.* Secundò in lotione pedum, ubi, cùm de novo voluntati divinæ resisteret: *Non lavabis mihi pedes in æternum*, rursus à Christo acerbè correptus est: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Ac tunc præsertim propria cordis voluntas in Petro reprehensa fuit, dum in horto, velut alter zelosus Phinees, gladium arripuit, quo se solus tantæ armatorum multitudini opponeret: *Exemit gladium suum, & percutiens servum Principis Sacerdotum, amputavit auriculum ejus.* Cui Petrino gladio meâ quidem opinione non incongruè pro Lemmate feres:

Matth. 16, 21.

Jo. 13, 8.

Matth. 26, 51.

Cædo, non cedo.

Verùm quàm emphaticis verbis hîc denuo Petrus à Christo castigatus sit, ex illa patet invectiva: *Converte gladium in locum suum, omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Stat hîc attonitus Magnus ille Hipponensium Antistes: *Mi Domine*, inquit, *si prohibes ferire gladio, cur emere præcepisti? qui non habet, vendat tunicam, & emat gladium.* Et nunquid Petrus ex singulari amore & zelo hanc strenuam & justissimam Christi defensionem in se susceperat?

Audi ejusdem Divi Augustini præclarum responsum: *Dominus jusserat*, ait, *ut ferrum Discipuli ejus ferrent, sed non jusserat, ut ferirent. Exemit gladium authoritate propria extendens manum non voluntate divina.* Ecce, Petrus tunc non erat rectus corde. Et juxta Cornelium hîc dupliciter peccavit, non conformando Cor suum cum SS. CORDE JEsu, sed propriam quærendo Cordis sui voluntatem, & quòd hæc percussio Petri per gladium potiùs temeritas & vindicta, quàm justa defensio fuerit: *Erat ergo*, sunt hujus illu-

S. Aug. l. 22. cont. Faust.

Cornel. à Lap. in Matth. 26, 51.

UVA. BHSC. BU 00661

illustris Interpretis verba, *hîc geminum Petri peccatum: primum, quod percuteret contra voluntatem Christi; secundum, quòd percussio hæc non tam erat defensio, quàm vindicta, quâ Christum tantæ turbæ militum eripere non poterat, sed potius illam acrius in Christum concitabat, séque evidenti mortis periculo temerè exponebat.* Discant hîc mortales omnes, quàm nociva sit ac periculosa propria Cordis voluntas.

2. Et quid aliud est propria voluntas Cordis humani, quàm Echeneis seu remora, admodum parvus in mari piscículus, sed magna exaltans, dum integræ navis mercibus onustæ medium & velocissimum cursum in æquore sistit, hinc Lemma: *A modico non modicum?*

Quid aliud est propria Cordis voluntas, quàm lepra damnosa, quæ corpus & animam hominis inficit, & Cor illius, licèt aliis bonis operibus abundans, Deo tamen, qui scrutatur corda & renes, exosum & abominabile reddit? Sororem Moysis consule ejusmodi leprâ percussam: *Ecce jam medium carnis ejus devoratū est à leprâ &c.* *Num.* 12. 12.

Quid aliud est propria Cordis voluntas, quàm dux cœca, quæ se sequentem in foveam æternæ damnationis præcipitat: *Cæcus autem*, sunt Æternæ Veritatis verba, *si cæco ducatum præstet, nónne ambo in foveam cadunt?*

Quid insuper est propria Cordis voluntas, quàm pruina nociva, teneros virtutum flores & plantulas unâ nocte comburens? quàm grando infestus, omnes bonorum operum fructus unâ vice & tractu devastans? quàm vermis sordidus, ipsum Cor hominis, & si quid aliàs boni in eo latet, corrodens, atque corrumpens? O grande malum propria voluntas!

De lasciva illa filia Herodiadis constat, quòd posthabito dimidio regni solùm caput S. Joannis Baptistæ petierit: *Volo, ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ.* O perversum Volo! Heu! quàm innumera mala hæc unica vox, *Volo*, pessima illa fera, rapacissima lupa & leæna sævissima hactenus non in orbem invexit? Hinc bella, hinc jurgia, hinc lites, & omnis generis mala in regna & provincias, in communitates & domos, quasi pleno im- *Marc.* 6, 25. *Marc.* 6, 26.

UVA. BHSC. BU 00661

petu solent effundi, dum propria Cordis voluntas judex est & consiliaria cœca: *Sic volo, sic jubeo.*

Sueton. c. 25. De Augusto Imperatore recenset Suetonius, quòd aliquando ad Senatum Romanum, diu in aliqua re per magni momenti consultantem, ferocem quendam ac temerarium legatum submiserit, qui, ut citò cathegoricam resolutionem à dicto Senatu ad Cæsarem deferendam extorqueret, in publico Patrum consessu fulminantem gladium de vagina extraxit, quem in aëre stringens exclamavit: *Hu faciet, si vos non feceritis.* En similem rerum modernarum faciem: Sic volo, sic jubeo: *Cesset*, inquit S. Bernardus, *voluntas propria, & infernus non erit, in quem enim ignis ille desæviet, nisi in propriam voluntatem?* Audiant, & timeant servi propriæ voluntatis.

S. Bern. serm. 3. de Resurr.

3. Cur formosa illa Rachel in partu filii sui Benjamini tam luctuosum in modum periit? Causa est propria Cordis illius voluntas, quam cum Corde divino non voluit conformare: *Da mihi*, inquiebat, *liberos, alioquin moriar.* Porro exaudivit eam DEus, sed in fine experta est, quàm nociva sit potentia propria cordis voluntas.

Gen. 35, 18.

Gen 30, 1.

Cur Judæi tempore Isaiæ Prophetæ in gravissima & publica necessitate à Deo non fuerunt exauditi, cùm tamen rigido jejunio, cilicio & cinere corpus suum humiliârint: *Jejunavimus, & non aspexisti: humiliavimus animas nostras, & nescisti?* Causam idem Propheta assignat, quia Judæi tunc propriam Cordis sui voluntatem secuti sunt: *Ecce, in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra.* O grande malum voluntas propria in Corde: *qua sit*, ait S. Bernardus, *ut bona tua tibi bona non sint.*

Isa. 58, 3.

Cur in navigatione Jonæ Prophetæ tam periculosa tempestas in mari Mediterraneo exorta est, & omnia elementa in illius perniciem conspirârunt? Causa est, quia Cor Jonæ non erat rectum cum Corde Dei, dum illi propriam ac tortuosam voluntatem suam non voluit penitus submittere: *Et surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis à facie Domini*, contra expressam Numinis voluntatem, quæ voluit, ut Ninivitis pœnitentiam prædicaret: *Quid tam superbum*, ait

Jonæ 1, 3.

UVA. BHSC. BU 00661

ait S. Hieronymus, *quid tam ingratum, quàm adversus ejus vivere voluntatem, qui ideo aliquid imperat, ut occasionem habeat remunerandi? neque enim obsequiis nostris Deus indiget, sed nos illius indigemus imperio.* S. Hier. ep. ad Celantiam.

Cur Saul Israëlitarum Rex à DEO tam citò rejectus est: *Pœnitet me, quòd constituerim Saul Regem?* Causa est, quia voluntatem divinam in destruendo Amalec neglexit, & propriam Cordis sui voluntatem secutus est, ideo audire debuit: *Pro eo, quòd abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus, ne sis Rex.* En anima Christiana justissimam refractariæ voluntatis vindictam! quia Dei voluntati subesse noluit, & regno & vitâ spoliatus, & æternum reprobatus est. 1. Reg. 15, 11.

Cur Christus Dominus aliàs mansuetissimus olim Scribis & Pharisæis, signum aliquod à se petentibus, tam severè respondit: *Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ?* Causa est propria & obstinata Cordis eorum voluntas: *Magister*, inquiunt, *volumus à te signum videre.* O execrandum, ô abominandum *volumus!* O volumus! tu causa es omnium malorum in hoc mundo, & tandem æterna animæ perditio. Matth. 12, 38.

Audiamus Paulum de Palatio: *O si nunquam hæc vox volumus à nobis prodiret! O si nunquam voluntas nostra, nostra esset! O si solum vellemus, quod vult DEus: hæc nostra voluntas est, quæ nos in infernum præcipitat.* Paul. à Palatio in c. 12. Matth. c. 3.

4. Non sic laudatissimus ille Ægyptiorum Prorex Josephus, qui optimè noverat non propriam Cordis voluntatem, sed semper in omnibus divinam sequi, unde cuncta adversa & prospera pari vultu sustinuit, Deique voluntati in omnibus se conformavit. Hinc & fratribus suis, veniam à se ob commissum scelus precantibus dixit: *Nolite timere, num Dei possumus resistere voluntati?* O quàm bene! Gen. 50, 19.

Talis fuit & David, qui, cùm à Semei contumeliis imò & lapidibus peteretur, nullo tamen modo illi rebelli homuncioni indignatus est, sed in arcanam Dei voluntatem hæc & similia adversa omnia transmisit. Unde & Abisai, qui jam paratus erat, ad caput huic

UVA. BHSC. BU 00661

2. *Reg.* 16, 10. rebelli calumniatori amputandum, præcepit, ne feriret: *Dimitte eum, ut maledicat, Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David: & quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit?* O virum *Actor.* 13, 22. ineffabilem! de quo DEus per os Apostoli attestatur: *Inveni David Filium Jesse, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* O utinam & nos!

Talis fuit & Jephtias, quæ, cùm à Patre ex prælio domum redeunte audiisset, quòd DEO in victimam ex voto esset destinata, sine mora in re tam ardua Cor suum voluntati ac dispositioni divinæ *Judic.* 11, 30. commisit: *Cui illa respondit: Pater mi, si aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi, quodcunque pollicitus es, concessâ tibi ultione atque victoriâ de hostibus tuis.*

Vide hîc, obsecro, prudens Lector! quàm virili animo hæc tenera filia se voluntati divinæ tradiderit. Poterat hæc sine dubio Patri in contrarium objicere. Ego nullum votum feci, quod DEO me vellem in holocaustum consecrare, neque teneor tuis sic factis promissis ô Pater! quæ prorsus inconsultis arbitris fecisti, neque vitæ meæ tu es Dominus, sic jure merito votum tuum irritum reddere possum. Verùm nihil horum replicabat prudentissima Jephtias, sed generoso animo divinam amplexa voluntatem, constanter necem in flore juventutis subiit, ubi gladio jugulata DEO, vitæ necisque Domino in acceptissimum holocaustum oblata est. O mortales omnes! hîc discite, quàm grata sit DEO victima COR divinæ voluntati se submittens: *sicut nihil ditius*, sunt verba S. Anselmi, *aut melius offertur DEO, bonâ voluntate, ita nihili execrabilius possidetur propriâ voluntate.*

5. Quid dico de Tobia seniore? Cùm de sepultura mortuorum fatigatus, domum rediens, juxta parietem se jactâsset, & præ membrorum lassitudine obdormisset, ex nido hirundinum calida stercora in oculos ejus deciderunt, ex quibus cœcus effectus, tristem *Tob.* 2. & 3. & derelictam vitam vivere cœpit. Sed quid ad hæc & plura alia adversa Cor Tobiæ? *Domine*, inquiebat, *secundùm voluntatem tuam fac mecum.* Ecce! quàm bene in utraque fortuna cor Tobiæ

UVA. BHSC. BU 00661

biæ cum divina voluntate se potuerit conjungere? O quàm bene S. Augustinus tales *Rectícordes* appellat, qui semper satagunt divinam voluntatem in omnibus explere. Audiamus illius verba, quæ digna sunt, ut intimis Cordis nostri medullis imprimamus: *Quod sæpe*, inquit, *diximus, illi sunt rectícordes, qui sequuntur in hac vita voluntatem Dei. Voluntas Dei est aliquando, ut sanus sis, aliquando ut ægrotes. Si, quando sanus es, dulcis est voluntas DEI, non recto corde es, quare? quia non vis voluntatem tuam dirigere ad voluntatem Dei, sed Dei vis curvare ad tuam: illa recta est, sed tu es curvus: voluntas tua corrigenda est ad illam, non illa curvanda est ad tuam, & rectum habebis cor &c.* *S. Aug. in Psal. 36.*

6. Percipiamus in hanc rem memorabile exemplum: B. Blonda ex Ordine Servitarum priùs in matrimonio honestam ac piam vitam duxerat, in omni fortuna cum voluntate divina Cor suum conformans. Accidit, ut maritus immaturâ morte decederet, & paulò pòst unicus ejus filius à siccariis proditorio modo interficeretur; ex cujus occisi cadavere dicti siccarii Cor avulserunt, & matri Blondæ, per speciem singularis amicitiæ ad convivium invitatæ, inter reliquas epulas comedendum apposuerunt, cui ignoranti quid comederet, post cor filii jam penitus absumptum significârunt, quòd non communes cibos sed propriam suam carnem & cor unigeniti sui manducâsset. Quid ad hanc barbaram crudelitatem B. Blonda? Num vindictam de cœlo petiit, ut quondam Elias, ut ignis de cœlo descenderet, & nefarios istos homines devoraret? An fortasse in mille maledictiones & in rabiem more aliarum mulierum in hoc luctuoso casu effusa est? Minimè gentium. Quid ergo fecit? Audi & obstupesce, juxta exemplar Divinissimi CORDIS JEsu Crucifixi non tantùm nefariis istis hominibus ex animo ignovit, sed & Cor suum in divinam ejus voluntatem penitus resignavit. Hinc se ipsâ fortior, relicto sæculo, à quo tam malè habita fuit, rectà ad SS. Deiparam & Matrem Dolorosam, quæ in Ordine Servitarum peculiari religione colitur, avola- *P. Paul. de Barry S. I. in anno Mar. 2. sept.*

UVA. BHSC. BU 00661

avolavit, ubi benignè acceptata, per reliquam vitam DEO & MARIÆ fideliter usque in finem deserviit. Tantùm profuit B. Blondæ, Cor suum cum SS. CORDE JESU & MARIÆ conformâsse. O Christiani discite, ut pari ratione tum in adversis tum in prosperis voluntatem Cordis vestri ad Divinissimum COR JEsu tanquam heliotropium ad *D*ivinum Justitiæ Solem dirigatis: *Benedicam Dominum*, inquit David, *in omni tempore*, non solùm dum mihi bene est, dum sanus, dum dives, dum in honoribus sum, sed etiam dum i Deo derelictus sum, dum *tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt*, dum flagellor & millenis obruor adversitatibus: *In omni tempore*.

Ps. 33, 2.

Ps. 24, 17.

Euseb. l. 4. *hist. Eccles. c.* 14. *Le Blanc. in Ps.* 56.

7. Hanc nostram considerationem claudat S. Polycarpus Apostolorum Discipulus & Episcopus Smyrnensis. Hic, cùm immanis Gentilium persecutio in selectissima Christianorum capita in Ecclesia Dei, ac præsertim tunc Smyrnæ desæviret, amicorum consilio ex civitate sua Smyrnensi in quandam villam se recepit, ubi triduo, antequam pro fide in vincula raperetur, hanc visionem habuit. Videbatur ipsi, tunc quietem carpenti, cervical subitâ flammâ succendi & consumi, ex quo non obscurè agnovit, post triduum se pariter pro Christi fide igne consumendum. Interim fit rumor de adventantibus Imperatoris satellitibus, ipsum ad necem ubique locorum quæritantibus. Rogant amici, ut saltem ob aliorum salutem se in fugam proriperet, aut saltem in aliam domum se conferret, quid ad hoc S. Polycarpus? *Fiat voluntas Dei*, inquit, *sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat.* Paulò pòst cùm milites jam adesse intellexissent, proprio motu à superiori domûs parte descendens, eos humano ac placido vultu suscepit, mensámque actutùm apponi mandavit, in qua proprios tortores suos lautè ac pro viribus tractavit, solùm ab illis flagitans, quatenùs unicam sibi horam concederent, in qua Deo agonem suum commendaret, quod & facilè ab illis impetravit. Sic strigoso asino impositus ad amphitheatrum Smyrnense deductus est, ubi à Proconsule rogatus, ut Christum desereret, ac mores gentium sectaretur, intrepidè respondit: Octoginta sex annis hactenus Christo servivi, qui nunquam me læsit, quomodo ergo hunc Regem ac Dominum meum possum offendere? *Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat.* Itaque igni traditus est, &, cùm ab eo non læderetur, ab impio milite gladio per Cor transfixus, palóque velut cruci alligatus, generoso certamine cursum Martyrii feliciter consummavit sub Imperatore Marco Antonio, quartâ post Neronem persecutione. Ecce, quid sit voluntatem Dei facere. Tu, si sapiens es, super hanc petram ædifica.

(O)

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XXXV.

Consideratur patientissimum COR JESU, in cruenta flagella, ut nos ab æternis illis flagellis redimeret, paratissimum.



Ego in flagella paratus sum. Ps. 37, 18.

1. INter alias olim Gentis Hebrææ Leges atque statuta etiam hoc erat consignatum, ut, si quis ob delicta dignus flagellis censeretur, non stans ad palum vel ad columnam alligatus, sed pronus & humi prostratus virgis in dorso tantùm cæderetur: *Sin eum, qui peccaverit, dignum viderint plagis, prosternent* (illum Judices) *& coram se facient verberari.* Causam subjungit Scriptura: *Ne fœdè laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.* Verùm mitissimus JEsus non Lege Judaicâ, sed Romanâ, & à Romano Judice atque à militibus Romanis flagellatus est, ubi in prætorio Pilati non pronus aut humi prostratus, sed ad columnam marmo- *Deut. 25. 3.*

UVA. BHSC. BU 00661

ream, albis nigrísque conspersam maculis, triúmque palmorum altitudinem non excedentem (in cujus vertice annulus fixus erat, cui reorum manibus insertis corpora in omnem partem versari, & velut canis virgis ac scuticis circumagi poterant) crudelissimè, & supra omnem humanum modum cæsus est, in qua cruentissima flagellatione non tantùm *supra dorsum ejus*, velut supra incudem, *fabricaverunt peccatores*, sed & sacratissimum PECTUS JEsu juxta S. Hieronymum, acerbissimè est flagellatum: *Et illud sacratissimum Corpus, PECTUSQUE DEI capax flagella secuerunt, &c.*

Ps. 128, 3.

S. Hier. in Matt.

O quis dicet, quantam tunc SS. COR JEsu passum sit amaritudinem, & corpus quot dolores ac cruciatus? dum velut incus fortissima impiis serviebat fabricatoribus, supra quam omnia peccata sua exonerarent, crebrísque ac validis flagellorum ictibus percuterent, quæ tamen tormenta omnia pretiosissimum COR JEsu, invictâ patientiâ, velut incus validissima sustinuit, unde pro Lemmate tulit illud Picinelli;

Ferendo, non feriendo.

2. O Anima Christiana! considera hîc DEum tuum ad columnam nudum ac inermem, velut reum loris alligatum! Olim in candido illo & simplici ævo Reges & terrarum Principes se invicem ad tonsiones suarum ovium solebant invitare: *Ecce*, inquit Absalom ad Davidem, *tondentur oves servi tui, veniat, oro, Rex cum servis suis ad servum tuum.* Verùm ego te hodie ad longè acriorem tonsionem invito, ubi in prætorio Pilati ipsi Agno Divino & incontaminato, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, non lana duntaxat & vestis ab efferatis lupis exuetur, sed & ipsa pellis & caro usque ad costas & ossa per horrendam & inauditam flagellationem detondebitur. Heu! quàm probrosa fuit SS. CORDI JEsu illa denudatio, quam coram tanta hominum multitudine oportuit sustinere!

2. Reg. 13, 24.

3. Vide hîc Arcam illam Fœderis à Bethsamitis impudentibus igno-

UVA. BHSC. BU 00661

ignominiosè nudatam, vilipensam, & curiosiùs inspectam: *Et elevantes oculos viderunt Arcam, &c.* 1. *Reg.* 6, 13.

Vide hîc novum Jerichuntinum Viatorem, qui in latrones incidens, omnibus vestibus spoliatus, plurimísque vulneribus affectus est: *Incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis abierunt, semivivo relicto.* *Luc.* 10, 30.

Vide hîc innocuum Josephum, à propriis fratribus tunicâ talari nudatum, & in cisternam veterem missum: *Confestim igitur ut pervenit ad fratres suos, nudaverunt eum tunicâ talari.* *Gen.* 37, 23.

Vide hîc novum Noëmum in vinea sua recèns plantata ignominiosè nudatum, & à Cham impio & ingratissimo filio protervè illusum: *Quod cùm vidisset Cham, &c.* *Gen.* 9, 22.

Vide hîc Davidem, chlamyde suâ regiâ exutum, & ob nuditatem à Michol (quæ typus Synagogæ fuit) turpiter irrisum: *Quàm gloriosus fuit hodie Rex Israël, discooperiens se, & nudatus est, quasi si nudetur unus de scurris.* 2. *Reg.* 6, 20.

Vide hîc denique novum Adamum ob nuditatem suam rubore confusum, licèt tunc temporis ferè nemo in mundo fuerit; hinc in paradiso se abscondit, faciens sibi perizomata ex foliis ficûs, quibus suam nuditatem tegeret: *Timui, eò quòd nudus essem.* *Gen.* 3, 10.

4. Ex his perpende, Anima Christiana! quàm probrosa fuerit SS. CORDI JEsu, Virginis Filii ac pretiosissimi Redemptoris tui hæc denudatio, dum coram tanta hominum & militum turba ignominiosissimè vestibus suis privatus, ac columnæ alligatus est; hîc reverà dicere poterat: *Operuit confusio faciem meam.* Et in alio loco: *Tota die verecundia mea contra me est.* Atque in hunc finem ipse apud Psalten ait: *Congregata sunt super me flagella, & ignoravi.* O pientissime JEsu! O mi Salvator! quomodo possibile fuit, ut hanc lanienam ignoraveris, cùm omnia nuda & aperta sint oculis tuis? *Sciens omnia*, inquit dilectus Discipulus tuus, *quæ ventura erant super eum?* *Ps.* 68, 8. *Ps.* 34, 16. *Ps.* 34, 15. *Jo.* 18, 4.

Ita est, exponit Divus Anselmus: Congregata sunt super me flagella, & ignoravi præ verecundia scilicet CORDIS mei, & præ ni- *S. Anselm. tract. de pass.*

UVA. BHSC. BU 00661

nimia confusione nuditatis, vix illos immanissimos flagellorum ictus persensi. Audi & SS. Deiparam ita ad B. Birgittam loquentem: *Ad columnam alligatus nihil omnino operimenti habebat, sed sicut natus est, sic stabat, & patiebatur erubescentiam nuditatis suæ.* O verecundissimum COR! quis tuam hîc explicet amaritudinem, confusionem, & ignominiam? *Aspice*, ait devotissimus Taulerus, *ut Rex gloriæ, qui cuncta vestit, ac tegit cœlum nubibus, arbores foliis, terram herbis & floribus, ipse ad cutem usque totis despoliatur vestibus!* O Sol, quid agis? cur non in obsequium Conditoris tui subductâ luce illam velas nuditatem? Heu! Sidera qui vestit lumine, veste caret! O superbi! O delicatuli! O impudici & lascivi! quid, quæso, vos ad hoc spectaculum? En, quomodo luat Dominus, quod vos per lascivias vestras deliquistis!

Revel. S. Birgittæ lib. 1. c. 10.

Tauler. de vita & pass. c. 33.

Jo. 19, 1. 5. *Tunc ergo apprehendit Pilatus JEsum, & flagellavit.* Cùm enim cerneret huc usque justus, sed nunc injustus Præses Romanus, quòd populus ex sola liberatione Barabbæ non vellet acquiescere, sed constanter Christum ad crucis supplicium postularet, ut tumultuanti plebi aliquam satisfactionem præstaret, sententiam tulit, ut JEsus flagellaretur: *JEsum Nazarenum, virum seditiosum, & Mosaicæ Legis contemptorem, per Pontifices & Principes suæ gentis accusatum, expoliate, ligate, & virgis cædite: i lictor, expedi virgas.* Quâ latâ sententiâ, milites & plebs ab aula judiciaria certatim ad supplicii locum concurrunt, expediuntur virgæ, flagra & catenæ, denudatur optimus JEsus, & columnæ tam fortiter alligatur, ut, teste Taulero, sanguis ex digitorum unguibus copiosè erumperet. Tum accedunt, prout refert S. Hieronymus, sex carnifices, à quibus virginis spineis, loris nodosis & catenis ferreis tam horrendum in modum flagellatur mitissimus Agnus, ut in toto corpore, prout asserit Divus Anselmus, nec una remanserit portiuncula illæsa, quantùm acus pungere posset, ubi millies mortuus fuisset, nisi divinitas ejus humanitatem sustentâsset. O afflictissimum COR JEsu, quomodo possibile fuit, ut non in mille partes disrumpereris!

Adrichomius in descript. Hierosol. num. 57.

S. Hier. relatus à gloss. ord. S. Anselm. in cap. 27. Matt.

6. Ju-

UVA. BHSC. BU 00661

6. Juvat hîc audire Dolorosam Christi Matrem, hanc cruentissimam flagellationem Unigeniti Filii sui S. Birgittæ hisce verbis referentem: *Flagellabant*, inquit B. Virgo, *corpus ejus ab omni macula mundum. Ad primum ictum ego, quæstabam propinqua, cecidi quasi mortua, & resumpto spiritu vidi corpus ejus verberatum & flagellatum usque ad costas, ita ut costæ ejus viderentur; & quod amarius erat, cùm retraherentur flagella, carnes ipsis flagellis sulcabantur. Cúmque Filius meus totus sanguinolentus, totus sic laceratus staret, ut in eo non inveniretur sanitas, nec quid flagellaretur, tunc unus concitato in se spiritu quæsivit: Nunquid interficietis eum sic injudicatum? Et statim secuit vincula ejus. Inde Filius meus induit se vestibus suis; tunc locum, ubi stabant pedes Filii mei, totum repletum vidi sanguine, & ex his vestigiis Filii mei cognoscebam incessum ejus.* *Lib. 1. Revel. c. 10.*

Eadem SS. Deipara in alio loco refert, dilectissimum Filium suum tam diu ac tam atrociter à carnificibus in flagellatione fuisse cæsum, donec tandem omnibus viribus exhaustus, cùm ampliùs insistere pedibus non posset, in proprium cruorem columnæ marmoreæ circumfluum prolapsus decubuerit. O anima Christiana! quis unquam suum canem tam crudeliter tractavit, prout hîc tractatur Veritas? Heu! si brutum videres tot millenis excoriatum plagis, & fustibus usque ad costas sauciatum, aliquâ saltem commiseratione tangereris. Et Agnus ille innocentissimus usque ad ossa excarnificatus non te ad commiserationem, ac seriam peccatorum præsertim sensualium detestationem commoveat? O brutum & non homo! SS. COR JEsu præ summo dolore & mœrore propemodum in flagellatione expirat, & Cor tuum præ illius amore non suspirat? Fluit undique purpureus cruor ex cunctis membris ejus, & tu nullam lacrymulam ob amorem JEsu pro te flagellati fundis ex oculis? O cautes! O rupes! *Lib. 4. Revel. S. Birg. c. 70.*

7. Jobum virum illum patientissimum Satanas in toto corpore & à plantâ pedis usque ad verticem capitis crudeliter flagellavit: *Percussus est Job ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem.* *Job 2, 7.*

UVA. BHSC. BU 00661

2. *Mach.* 3, 26. 2. *Cor.* 11, 24. Heliodorum duo juvenes ex utraque parte flagellabant, sine intermissione multis plagis verberantes. Paulus ter virgis cæsus fuit, & à Judæis quinquies, quadragenas unâ minus accepit, &c.

Sed quid hæc fustigatio ad cruentam illam flagellationem, quâ tenerrimum corpus Virginei JEsu dilaniatum est? Si juxta Scripturæ effatum *pro mensura delicti erit & plagarum modus*, hîc revera nullum oportet fuisse modum, quia *propter scelus populi mei percussi eum.* Fuerunt autem scelera ac peccata nostra innumera, ergo subinfert Didacus de Stella, *innumerabiles fuerunt plagæ ejus, nam Christus flagellatus fuit pro peccatis nostris, quæ fuerunt innumerabilia.* Hinc Isaias ait: *posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm.* Verbo, hæc cruenta & inaudita flagellatio JEsu à Romanis militibus per Judæos pecuniis animatis ita peracta est, ut toto corpore unum esset vulnus, exceptis labiis, quibus in cruce pro peccatoribus ad Patrem oraret.

Deut. 25, 2. *Isa.* 53, 8. *Didac. Stella in Lucam.* *Isa.* 53, 6.

Hinc collige anima Christiana! quantum te SS. COR JEsu amaverit, pro te per omnem vitam in flagella paratum. Sed ubi econtra est amor Cordis tui reciprocus? ubi patientia tua, dum non verbera, sed nec unum verbum minùs tuo respectu dignum potes tolerare? ubi mortificatio tuorum sensuum, dum corpus tuum tam delicatè, tam molliter, ne dicam, effæminatè tractas? ubi verecundia in quinque sensibus? David cùm Angelum flagello armatum vidit, dolens ex intimo corde de peccatis suis, publicè exclamavit: *Ego sum, qui peccavi, ego iniquè egi; vertatur, obsecro, manus tua contra me:* Et quare tu non facis similiter, cùm ob tui causam vides hîc JEsum tam indignè flagellari? *Ingredere COR Domini*, ait Spinola, *vide sitim fundendi pro te sanguinem; vide amorem, quô vult satisfacere pro tuis voluptatibus. Ama, erubesce, dole, gratias age! offer te &c.*

2. *Reg.* 24, 17. *P. Spinol. hîc*

8. Hîc in veritate adimpletum fuit illud Regii Vatis: *Desiderium CORDIS ejus tribuisti ei.* Et quale, obsecro ô mi JEsu! hoc SS. CORDIS tui fuit desiderium?

Ps. 20, 3. *Luc.* 22, 15. Audi ipsum loquentem: *Desiderio*, inquit, *desideravi hoc Pascha*

UVA. BHSC. BU 00661

schamanducare vobiscum, & pro salute humani generis, non tantùm flagella, sed & crucem subire: *Ego autem in flagella paratus sum.* Et hoc, ait Cassiodorus, erat CORDIS JEsu desiderium pro animæ tuæ salute tam indigna pati, ac tam acerbè flagellari, ut ab æternis flagellis te redimeret: & quia multa in hoc mundo sunt flagella peccatoris, ut ea tibi alleviaret: *Hoc factum est*, subintrat S. Hieronymus, *ut quia scriptum erat: Multa flagella peccatorum, illo flagellato nos à verberibus liberaremur &c.* *Ps.* 37, 18. *Cassiod. in Ps.* 20. *S. Hier. in Ps.* 31, 10.

O anima Christiana! quomodo possibile est, ut tam horrenda laniena, in qua mansuetissimus Agnus usque ad ossa excarnificatur, Cor tuum non ad pietatem ac commiserationem flectat? Petra illa Mosaica in Horeb bis virgâ percussa est, & sine mora largissimas omni populo & jumento submini stravit aquas: *Percussit petram, & fluxerunt aquæ.* Et ecce Petra vera, quæ Christus est, non binos sed 6666. ictus in cruenta illa flagellatione, virgis, loris ac catenis pro te accipit, ex cujus plagis undique divinus profluit cruor, & tu ingratissima etiamnum pergas millies ac millies peccando has plagas repetere? O cor durum! *Ecce*, inquit S. Augustinus, *pro impio Pietas flagellatur: pro stulto sapientia illuditur: pro mendace veritas necatur: damnatur justitia pro iniquo: Misericordia affligitur pro crudeli, pro misero: repletur Sinceritas aceto: inebriatur felle Dulcedo: addicitur Innocentia pro reo: moritur Vita pro mortuo.* Et hæc omnia Cor tuum, non moveant ad sincerè ac fideliter amandum SS. COR JESU? *Ps.* 77. 20. *S. Aug. ser.* 114. *de temp.*

9. O mi JESU! quis hanc cruentam lanienam tuam attentiori mente considerans, non cum Habacuc Propheta inclamet: *Aspicite in Gentibus, & videte: admiramini, & obstupescite, quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet, cùm narrabitur.* O spectaculum grande mundo, Angelis, & hominibus, videre DEUM ac Dominum universorum à vilissimis servis peccati tum servilibus modis cædi, & cane pejùs tractari. O grande spectaculum! Quis crederet auditui nostro, nisi Veritas Domini hoc revelâsset? O anima mea! vide, ac perpende, quomodo frumen- *Habac.* 1, 5.

UVA. BHSC. BU 00661

mentum Electorum propter scelera tua horrisonis atteratur flagellis & scuticis : *Attritus est propter scelera nostra.* Vide & considera, quomodo suavissimus Cypri Botrus in hoc stridente torculari usque ad pretiosum Sanguinem prematur & impiorum pedibus proculcetur! *Sicut enim*, ait Sylveira, *è calcata uva sub torculari exprimitur vinum, sic ex calcato Christo expressus Sanguis pretiosus, quo mundus redemptus.*

Sylveira in Jo. 15. 5. q. 1.

Vide insuper, quomodo tunica illa polymita castissimi Josephi, hoc est, Humanitas Christi, dilaceretur, & in proprio sanguine ac purpurâ intingatur: *Tulerunt autem tunicam ejus, & intinxerunt eam sanguine hœdi, quem occiderant, tinxerunt.*

Gen. 37. 31.

Vide Columnam ignis & nubis, quomodo intus in Sanctissimo CORDE ardeat flammâ charitatis indeficiente, & foris ut nubes fœcundissima in sanguineum imbrem largissimè in omnes profundatur!

Exod. 14. 24.

Vide Sponsum tuum, verè candidum & rubicundum, candidum in palatio Herodis: *Et illusit indutum veste albâ:* rubicundum verò in Prætorio Pilati: *Tunc ergo apprehendit Pilatus JESUM, & flagellavit.* O mi JESU! quomdo *indutus es vestibus sordidis*, ut nos vestias stolâ jucunditatis?

Luc. 23. 11. *Jo. 19. 1.* *Zach. 3. 3.*

Vide denique fidelissimum Fidejussorem tuum, loco tui percussum, ut solveret debitum, quod tu per demerita tua contraxisti. Audi denique, quid tibi hoc afflictissimum COR JESU etiam sine voce ad Cor tuum durissimum loquatur.

En homo, quæ pro te patior tormenta Redemptor!
Et potes Authoris non meminisse tui?



CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XXXVI.

Perpenditur Spinea Corona, quâ SS. COR JEsu per omnem vitam & nunc in passione sacrum quoque Caput ejus redimitum fuit.



Milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus Joan. 19, 2.

1. OLim non tam apud Romanos, quàm etiam apud Hebræos moris erat, ut DEO O. M. victimas coronatas immolarent, quas in solemnioribus festivitatibus viridi serto in capite redimitas usque ad altare deducebant, ubi per manus Sacerdotum & Levitarum mactatæ, supremo Numini in suave holocaustum, vel in gratiarum actionem ob reportatam ab hoste victoriam, vel in peccatorum expiationem, aut pro alia communi populi necessitate offerebantur. Ita Iphigenia filia Agamemnonis, cùm ad Sacrificium immolanda duceretur, *Cornel. in act. Ap. 14, 12.*

UVA. BHSC. BU 00661

retur, priùs in signum gloriæ & victoriæ viridi serto corona-ta est.

Exod. 12, 6. In hunc finem etiam Agnus ille Paschalis à Patribus quondam in plenilunio circa vesperam in memoriam Ægyptiacæ redemptionis quotannis oblatus, priùs florenti serto cinctus erat, ubi statuto tempore mactatus, ac veru ligneo affixus, lento igne cremabatur. Ita quoque Abraham Patriarcharum decus Agnum illum masculum in implexu veprium ac ramorum cornibus hærentem, spinisque coronatum DEO, loco filii sui, in gratissimum holocaustum in Monte Moria sacrificavit: *Levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio, &c.* cui meâ quidem opinione non incongruè pro Lemmate inscribes:

Gen. 22, 13.

Victima coronata.

O benignissime JESU! quid Sacratissimum COR tuum jamà primo conceptionis tuæ instanti aliud fuit, quàm talis *Victima coronata*, jam tunc in utero materno peccatorum sentibus sauciatum, cinctum, & ad mortem Crucis destinatum? David Rex de corde suo palam fatetur, quòd toties spinarum aculeis compunctum fuerit, quoties in ærumna sua memor suorum delictorum in aliam partem se versavit: *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.*

Ps. 31, 4.

Verùm longè major fuit ille dolor Sacratissimi CORDIS Jesu, dum spinarum & peccatorum nostrorum pungentes aculeos non tunc demum, ubi actu spineâ coronâ Sacrum Caput ejus redimitum fuit, in se persensit, sed dolor ille ac mœror ex viva & perfectissima apprehensione per omnem vitam continuatus est: *Debent nos commovere*, ait P. Joannes Eusebius Nierenbergius in Regia Academia Madritensi Sacrarum Litterarum Professor, *qui passus est per totam vitam in uno membro, sanctiss. suo CORDE, cùm dolor immensus fuit à primo instanti conceptionis, & duravit, quàm diu vixit.* Audi & doctissimum Salmeronem: *Acceptavit*, inquit, *coronam, quia moris erat apud Romanos, & etiam apud Judæos, victimas coronatas immolari.* Erat autem juxta eundem Salmero-

Nierenb. l. 2. c. 5. de adorat. in spir. & verit. Salmer. to. 10. tr. 30.

UVA. BHSC. BU 00661

meronem hæc corona in modum pilei contexta, venerandum Caput JEſu ex omni parte contingens, & acutiſſimis aculeis mille puncturis perfodiens, ita, ut Sanguis copioſiſſimus per faciem & genas ejus defluëret. O afflictiſſime JEſu! quis hîc non cum Poëta illo exclamet:

Indignum diadema geris Rex maxime Regum:
Debetur meritis iſta corona meis?

2. Hîc adimpletum fuit illud, quod de ſpinoſo rhamno Sacræ literæ perhibent, qui in comitiis arborum ſolus inter omnes plantas etiam relictis vite, olivâ, ficu, cedro, &c. in Regem unanimi conſenſu electus, & proclamatus eſt: *Dixerunt omnia ligna ad rhamnum: Veni, & impera ſuper nos.* Cauſam myſticam ſubjungunt Patres, quia ſolus Rhamnus inter cætera arborum genera ac ſpecies dignus inventus eſt, qui Regem ſæculorum coronaret. *Jud. 9, 8.*

De Moyſe refert Liber Exodi, quantùm admiratus ſit, cùm Dominum vel potiùs Angelum quendam inter medias pungentes & ardentes ſpinas conſpexit, unde præ admiratione rei tam inſolitæ exclamavit: *Vadam, & videbo viſionem hanc magnam.*

O Moyſes! quid adeo obſtupeſcis Angelum inter inflammatas ſpinas conſiſtentem? Quid, quæſo, dixiſſes, ſi Verbum Incarnatum, ſi infinitam Patris Sapientiam, ſi ipſum DEUM & Hominem Chriſtum toto corpore plagatum, & nunc duriſſimis ſpinis ac cruentis vepribus coronatum ſpectâſſes? Plus dico: ſi ipſa interiora Sacratiſſimi ac Diviniſſimi CORDIS JESU introſpexiſſes, non ſpinis duntaxat circumdati, ferro crudeli perforati, cruce onerati, ſed & divino igne immenſi in nos amoris jugiter ardentis? O viſio magna SS. COR JESU ſpinis per omnem vitam redimitum, ardens & incombuſtum! O viſio magna!

Miratur orbis Chriſtianus, quòd in corde B. Claræ de monte Fachio poſt mortem ejus corona ſpinea cum pluribus aliis Dominicæ Paſſionis inſtrumentis fuerit prodigioſè reperta. Vide, & introſpice SS. COR JEſu, & in illo non auream aut carneam, ſed rigidiſſimam, & mille ſpinis armatam coronam reperies: *Quid Deus in carne*, ait S. Thomas Villanovanus, *niſi ignis in rubo? Annon rubus* *S. Thom. Vill. ſ. 2. in die Nat. D.*

UVA. BHSC. BU 00661

bus spinosa caro, quam assumpsit, plena doloribus, plena punctionibus, plena pœnalitatibus?

O Anima Christiana! Ecce, quomodo amaverit te Pastor ille Bonus, & quanto labore ac dolore te perditam oviculam in deserto hujus mundi etiam inter medias pungentes sentes ac durissimas spinas quæsierit? Ita ex S. Augustino pereleganter Quaresmius, dum in persona Christi spinis coronati sic te alloquitur: *Cùm inter sylvas & montes errares, quæsivi te, laboravi, sudavi, caput meum spinis opposui, laceratus sum, humeris meis portavi te, Patri meo reddidi te, &c.*

Quares. de SS. Vul. to. 1. c. 13. sect. 7.

3. Hanc spineam coronationem & contumeliam nunquam à sæculis auditam Jessæus Vates in spiritu prævidens, ita descripsit: *Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis.* Cur, obsecro, hic Propheta Regius Judæos & milites Christum coronantes, apibus assimilavit? Adverte: apes, dum circumdant & libant flores, eos subinde aculeis suis fædè perforant, depascuntur, & decore suo expoliant. En mitissimum COR & Caput JEsu, verum illum *Campi florem, & lilium convallium* nunc undique à circumvolitantibus, pungentibus, & aculeatis apibus obsessum: *Judæi*, inquit Le Blanc, *velut apes in Christum Nazarenum, id est, floridum involârunt, eúmque pupugerunt, sed inde mel non sibi, sed gentilibus expresserunt.*

Ps. 117. 12.

Cant. 2, 1.

Le Blanc in hunc Psal.

Et exarserunt sicut ignis in spinis. Ignis spinarum citissimus, acerrimus juxtà ac vehementissimus est, mirè stridet, & resonat: *Ignis in spinis*, ait Hugo Cardinalis, *strepitum & crepitum facit. Sic Judæi contra Christum invidiâ & irâ succensi illum deridebant, eò quòd regnum eorum affectâsset.* In hunc finem totâ diabolicâ cohorte ad prætorium Pilati convocatâ, coram ea pretiosissimum Orbis Redemptorem, chlamyde coccineâ, seu sordidâ & attritâ militari veste indutum super lapidem sedere fecerunt, eíque diadema regium de horridis ac pungentibus spinis plexum non leviter, sed fortiter imposuerunt, cannis ac fustibus, ne contactu læderentur in caput ejus adactum. Heu! quanto cum dolore innocentissimi

Hugo Card. in Ps. 117.

UVA. BHSC. BU 00661

simi JEsu? *Quis satis cogitare potest*, ait S. Vincentius Ferrerius: *quantus dolor venerandum illud caput, tot aculeis confixum affecerit, cùm nos vel ad unius spinæ punctura am intolerabili dolore vexemur?* O immensus amor crucifixi CORDIS! *S. Vinc. Ferr. hic de Coronat.*

4. OBone JEsu! *quare sic attenuaris macie Fili Regis?* Quid commisisti amantissime Redemptor, ut sic tractareris? Non sufficit tibi, spineam istam coronam à puncto conceptionis tuæ jugiter in SS. CORDE tuo portare, quin nunc eam quoque feras in capite?

Audi ab illo responsum: *Dixitque ei Amnon -- Amo.* O amo! ô immensus amor! ô novus & antiquus amor diviniſſimi CORDIS! Ergo amas ô Sanctissimum COR JEsu? Et quid amas? O nos felices! Amat corda nostra SS. COR JEsu, ideo pro nobis etiam spineam coronam non recusat. O mi JEsu! fac me intelligere istam veritatem, ut amori amore respondeam, & nullas adversitatum spinas amore tui recusem: *Hîc maxime*, inquit S. Bonaventura, *apparet charitas ejus, quæ corda nostra totaliter deberet concremare.* *2. Reg. 13, 4.* *S. Bonav. medit. vitæ Chr. c. 74.*

O terra! quæ sanguinem tam copiosum ab hoc innocentissimo Abele hausisti! O terra! non amplius eris maledicta in opere tuo, neque ampliùs *spinas & tribulos germinabis.* Non, inquam, ampliùs maledicta eris, quia coronatus est de tribulis tuis ipse Rex tribulatorum CHRISTUS JESUS, qui nunc tibi pro maledictione rependet omnem benedictionem. *Propterea*, ait S. Cyrillus Jerosolymitanus, *JESUS accepit spinas, ut solvat hanc maledictionem.* O felix terra sic à SS. CORDE JEsu benedicta! *Gen. 3, 18.* *S. Cyrill. Jerosol. catech. 13.*

O felix Vinea Ecclesia! quam ille cœlestis Agricolæ Filius Christus JEsus triginta & ampliùs annis in sudore vultûs sui indefessè excoluit, & nunc quoque sepe eam circumdedit, ut sic eam contra omnes hostiles incursus muniret, fructúmque redderet temporibus suis: *Plantavit vineam, & sepem circumdedit ei.* *Matth. 21, 23.*

5. O mi JESU! an non ipsemet dixisti: *Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?* Ecce hîc uvam suavissimam inter medias pendentem spinas, & ficum dulcissimam de tribulis *Matth. 7, 16.*

UVA. BHSC. BU 00661

progerminantem intueor. Et quænam hæc uva aut ficus?

O anima Chriſtiana! converte oculos tuos ad SS. ac Diviniſſimum COR JEſu horridis ſpinis cinctum, ſentibus & crudeli lancea cruentatum! En hîc in veritate uvam purpuream de ſpinis & de tribulis dulcem ficum poteris colligere.

Imitare exemplum illius Novitii Capucini, etiam dum cibum ſumere Chriſtum JEſum coronâ ſpineâ redimitum meditantis, accidit, ut Parens hujus Tyronis in conventu Mediolanenſi cum P. Iſaia Novitiorum Magiſtro & cæteris Patribus menſe accumberet, ubi ad Patrem Iſaiam converſus: *Videre ſe*, inquit, *quòd ſuus filius Novitius veſceretur ſpinis.* Negat id Novitiorum Præfectus, juvenem ſpinis veſci, ſed aliis appoſitis cibis, quibus & cæteri in triclinio veſcerentur. Finitâ mensâ remotis arbitris ſolus Novitius interrogatur, num reverà ſpinas manducâſſet? Minimè, reponit Novitius, ſed cibos ſe prout alii comediſſe. Quid autem ſubintrat de novo P. Iſaias, inter veſcendum in Corde tuo tractâſti? Spineam coronam, inquit, quæ tot cruentis puncturis Sacratiſſimum Caput JEſu perforavit. Ex quibus facilè agnovit Parens, quantopere placeret unica pia de ſpinea corona JEſu meditatio.

P. Nadaſ. in 2. Eremo Divini amoris c. 18.

O quàm rari ſunt modò, qui de hac ſpinea corona JEſu, quam ſemper in SS. CORDE ſuo portavit, ſeriò meditantur! Vide, qualis ſit nunc abuſus capillamentorum, & galerorum in viris effœminatis? Vide, quàm mirabiles turres Babylonicas ſibi nunc in capite ſtruant mulieres, quomodo crines mulceant, ornent, dealbent, in varios meandros & in cippum contorqueant? Ah miſeræ animæ! Conſiderate SS. COR & venerandum Caput JEſu ſpinis acutiſſimis compunctum, arundine percuſſum & omni ludibrio expoſitum! Sic videlicet luit Juſtus, quod peccat iniquus: *Per agrum hominis pigri tranſivi*, ait Sapiens, *& ecce totum repleverant urticæ, & operuerant ſuperficiem ejus ſpinæ.* Ager hic neglectus cor veſtrum eſt, plenum peccatorum ſpinis, quibus de novo SS. COR JEſu fauciatis; *in morem ſpinarum*, ait S. Athanaſius

Prov. 24. 30.

UVA. BHSC. BU 00661

nasius *pupugerunt eum peccata mundi.* Heu! quomodo non VERBUM DEI hîc cecidit inter spinas & *exortæ spinæ suffocaverunt illud!* O spinæ crudeles! O peccata! siccine tractatis Regem Gloriæ? qui vos coronat in misericordia & in mille miserationibus, siccine illum tractatis? ah siccine

S. Athanas. q. 136. ad Antioch. Luc. 8, 7. Ps. 102, 4.

6. De Rege Antiocho perhibent Machabæorum fasti, quòd Jonathæ Hebræorum Duci vestem purpuream & coronam auream per legatos submiserit cum epistola, in qua illum ad suam amicitiam & amorem peramicè invitavit: *Et misit ei purpuram & coronam auream?*

1. Mach. 10, 20.

O anima Christiana! En transmittit tibi dolorosissimum COR JEsu coronam suam, non auream sed spineam, ut tecum faciat amicitiam, & tu illam non vis amplecti? *Ostenditur*, inquit S. Bernardus, *nobis caput nostrum spinis circumdatum non floribus, ut illud imitemur &c.* Et tu refugis ab eo? *Coronemus nos rosis*, dices cum istis mundi sectatoribus, *antequam marcescant*, corporis sectemur voluptates, & indulgeamus genio, dum tempus est. Sed audi iterum Doctorem Mellifluum: *Pudeat*, inquit, *sub capite spinoso membrum esse delicatum*, conforma te Capiti tuo, aut non habebis partem cum illo.

S. Bern. ser. 5. de omn. SS. Sap. 2, 8.

Hinc S. Catharina Senensis, cùm à Christo aureâ & spineâ coronâ donaretur, ut unam ex his sibi seligeret, sine cunctatione spineam sibi reservavit, & capiti suo imposuit, non ignorans, quantùm in hoc sæculo nobis prodesse soleant tribulationum spinæ, dum æternæ vitæ ac gloriæ pondus in nobis operantur. Unde Poëta: *Spinas fert præsens, vita futura rosas.*

7. Recordor hîc illius miraculosi Crucifixi, qui in civitate Burgos in Templo PP. Augustinianorum piè asservatur & colitur, cui nobilis quidam Eques ob singulare ab eo receptum beneficium coronam auream donavit, quam loco coronæ spineæ sacro Christi vertici imposuit, coronam autem spineam Patres conventûs tribus clavibus arcæ inclusam solicitè custodiebant. Quid hîc expectas pie Lector? Ecce mox altero die Crucifixus Dominus auream coronam

Bonherb. apud me fol. 623.

UVA. BHSC. BU 00661

ronam à se abjecit, & econtra coronam spineam licèt arctè inclusam, prodigiosè tertiâ vice reassumpsit. Mirabantur omnes, & dum boni Patres de aurea corona circumspiciunt, illam in clavo sacrorum pedum Crucifixi pendentem inveniunt. O Bone JEsu! itáne amat SS. COR tuum coronam spinis horridam, & flocci pendet coronam auream? O quàm alius est nunc mundi stylus? O anima Christiana! Regis ad exemplum disce, quàm indignum sit, sub tali ac tanto Rege spinis coronato, molle ac delicatum membrum fieri?

Lyr. de imit. Chr. pat. fol. 148.

8. Non sic Serenissimus Dux Godefridus Bullonius, non sic, qui, occupatâ & in libertatem assertâ Terrâ Sanctâ, juxta exemplar spinis coronati JEsu potiùs spineâ, quàm aureâ gemmísque corruscante coronâ Hierosolymis à suis Christianis militibus coronari voluit.

Ex actis SS. MM.

Non sic decem illa SS. Martyrum millia cum Sancto Duce suo Achatio, non sic, qui omnes jussu Maximini impii tyranni in monte Ararath propè Alexandriam in contemptum Christi JEsu spinis redimiti, pariter acutissimis spinis coronati, & lanceis præacutis in latere transfixi sunt, & sic nobile martyrii genus consummârunt.

Ex Nadas in anno cœlesti 23. Martii.

Non sic Beatus ille Christophorus, parvulus octo annorum natus, non sic, qui, cùm fidem orthodoxam palam profiteretur, ab impiis juxta exemplar Christi JEsu non flagellatus duntaxat, sed & spineo serto coronatus est; & cùm demùm in crucem ageretur, ac carnifex latus ejus dexterum lanceâ aperire pararet, generoso animo ad illum dixit: *Si cor quæris, alterum latus mihi effodias, & scruteris.* Quô tandem sinistro latere immiti ferro tranverberato, & Corde ejus avulso, Sanctus Puerulus innocentissimam animam DEO suo reddidit. O grata victima pro JEsu flagellari, spinis coronari, ac tandem in cruce pro illius honore cor suum posse offerre! O grata victima! Ah Divinissimum Cor JEsu spinis per omnem vitam coronatum! confige & COR meum spinâ salutis, ut discam magno animo te Regem meum amare, & tecum quascunque adversitatum spinas pati &c.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XXXVII.

Consideratur SS. COR JESU, impoſito funeſto Crucis patibulo; & noſtro peccatorum pondere gravatum.



Et bajulans ſibi Crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum. Joan. 19, 17.

1. NUnc tandem, O mi JEſu! adeſt illa hora, tot ardentibus votis hactenus à te deſiderata, in qua Crucem humeris ad Calvarium Montem feras, quam hactenus à primo vitæ tuæ momento jugiter in Sacratiſſimo CORDE tuo portâſti. Terrentur quidem latrones, prout obſervat S. Bernardus, dum patibulum, infame illud lignum primò intuentur, in quo ipſis pro admiſſis ſceleribus luendum ac moriendum eſt. Verùm non ſic SS. COR JEſu, dum longè majori cum deſiderio, quàm S. Andreas Apoſtolus crucem ſuam amplexabatur, ut in ea noſtra crimina ac

UVA. BHSC. BU 00661

totius mundi peccata ad locum deferret expiationis. Vix enim sententia mortis in hunc innocentissimum Redemptorem lata erat, statim Crux illa prægrandis, tot figuris præsignata (quæ ad minimum quindecim palmos in longitudine, in octo in ligno transverso continebat) à ministris oblata est, ut eam, licèt jam fractis humeris & corpore toto dilacerato, ad locum supplicii deportaret. Quid ad hoc mansuetissimus Agnus? Levat in cœlum ad Patrem oculos, crucem sibi oblatam peramanter, &, ut multi volunt, etiam genu flexo accipit, eámque Sacratissimo PECTORI suo non sine profusis lacrymis admovet, humerísque impositam admirabili humilitate ac patientiâ ad locum supplicii deportat: *Et bajulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum.* O amoris prodigium, videre JEsum cruce oneratum!

Jo. 19, 17.

O Anima Christiana! vide, & considera, quomodo hîc verificatum sit illud Isaiæ: *Sicut ovis ad occisionem ducetur.* Cerne, quomodo peccata nostra ipse perferat in corpore suo super lignum! O gravissimum pondus peccatum, quo onusti etiam fortissimi Angeli, cœlis ipsis dehiscentibus, ad infimum inferni barathrum sunt detracti! Core, Dathan & Abiron immani terræ hiatu absorpti, & sub quo ipse curvatur, qui portat orbem: proinde nostro Emblemati, in quo Agnus ille Divinus, septem peccatis mortalibus, quasi gravissima cruce onustus, spectatur, hanc Epigraphen præfigere placuit:

Isa. 35, 7. *2. Petr.* 2, 4. *Num.* 16, 24.

Oneratur, & exonerat.

Vel:

Quàm grave portat onus.

2. Ita, O mi JEsu! quàm grave portas onus! Sed age amantissime Redemptor! Age, inquam: *Tolle* nunc *grabatum tuum, & ambula* super unum montium, quem Pater tuus monstrabit tibi. Grabatum illud & dulcissimus lectulus jam à primordio vitæ tuæ tibi aspera Crux, cervical autem suavissimum spinea corona extitit. Dormi jam, & indormi, O bone JEsu, in hoc florido lectulo, quia Nazarenus es: *Lectulus noster floridus.*

Jo. 5, 8. *Cant.* 1, 15.

Ad

UVA. BHSC. BU 00661

Ad Adam quondam dictum est: *In sudore vultûs tui vescêris pane*, qui à paradiso eliminatus, mox ligonem & aratrum apprehendit, quo terram foderet, eámque ad progerminandos fructus aptam redderet. *Gen.6,19.*

En hic novum Adamum è civitate sua ejectum, qui ligonem & aratrum crucis ultro in humeros suos suscepit, quo terram universam repararet, atque à spinis & tribulis peccatorum purgatam, in vineam sibi electam converteret. Hîc in veritate benignissimus JEsus in sudore vultûs sui vescebatur pane suo, dum Judæi & Gentiles illi lignum mittebant in panem ejus: *Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium.* O durus & arctus panis! sed tamen SS. COR JEsu confirmans, & per triginta quatuor annos sustentans. *Jer.* 11. 19.

O anima Christiana! observa hîc imensum pientissimi Redemptoris tui in te amorem; postquam jam copiosè pretiosissimum sanguinem per crudelissimam flagellationem & coronationem profuderat, suscepit tamen, licèt cunctis destitutus viribus, in dilaniatos humeros suos trabale illud, probrosum, & maledictum lignum, ut te ab æterno maledicto liberaret. O quàm grave hoc SS. CORDI JEsu tormentum fuit? quid dico tormentum? summa jucunditas illi Crux fuit. Sed longè gravior pœna sunt illi tua peccata, quibus hactenus tam impudenter, tam protervè, tam ingratè hoc afflictissimum COR JEsu offendisti. Et quid dico, O Anima Christiana! ergóne de novo audeas aliquod peccatum committere, quod adeo affligit hoc Divinissimum COR JEsu? An ignoras, quòd omnis peccator toties crucifigat, & occidat quasi de novo Filium Dei, quoties voluntariè noxam lethalem perpetrat? Rationem hanc pulcherrimam assignat Cornelius, quia novo peccato novam dat causam Crucis & Mortis Christi; facit enim rursum id, propter quod Christus crucifixus est. Audi Apostolum: *Et prolapsi sunt*, inquit, *rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* *Hebr.6,6.*

3. Venit hîc mihi in mentem Abraham, insigne illud Patriarcha-

UVA. BHSC. BU 00661

rum sidus, qui, ubi mandatum à Deo acceperat, ut filium suum unigenitum Isaac supremo Numini, tanquam Domino vitæ & necis in holocaustum immolaret, mox intempesta nocte surgens, omni studio se ad hoc grande opus paravit: in quem finem (quod prorsus mirabile est) dilectissimo filio suo funestam illam ac gravem lignorum struem debilibus humeris usque ad locum immolationis
Gen. 22, 6. ferendam imposuit: *Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum, ipse verò portabat in manibus ignem & gladium.* O res stupenda! asino, quem stravit, parcit Abraham, nec illi hanc gravem lignorum sarcinam imponit, parcítque duobus suis vernaculis in hoc luctuoso itinere se comitantibus, & totum pondus dulcissimo ac tenello filio suo imponit ferendum. O crudelis Pater! quid peccavit in te hic innocens filius?

1. Cor. 10, 11. Desine mirari, Anima Christiana! siquidem *hæc omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionem nostram*: per Isaac enim obedientissimum Abrahami filium, ipse Dei Filius, propriis humeris crucem ad montem Calvariæ gestans, adumbratus fuit, per Abraham verò Pater cœlestis, *qui proprio Filio suo non*
Rom. 8, 32. *pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Unde crucem non duobus latronibus, tanquam vernaculis, neque Asino commisit ferendam, sed ipsi proprio Filio suo unigenito velut lignum holocausti consignavit: *Ibi offeres eum in holocaustum.* Supra quod Hugo
Hugo C. hìc. Cardinalis: *Cæteri Sancti*, inquit, *dicuntur Sacrificia, quia partim pro se passi sunt, sed Christus dicitur holocaustum, quia nihil pro se, sed pro nobis omnibus incensus est.* Et quomodo incensus? Inspice SS. COR JEsu, supra Tabernaculum Divinissimi Sacramenti expositum, & in eo videbis cum lignis holocausti ignem & gladium; per ligna Crucem, per ignem charitatem, & per gladium lanceam
Gen. 22, 13. ferream subaudi, quâ SS. COR JEsu transfossum est. Nec desunt spinæ ac vepres hoc amabilissimum COR cingentes: *Viditque*
S. Isidor. in Gen. c. 18. *post tergum arietem inter vepres hærentem*, quæ *spinæ*, juxta S. Isidorum, *iniquos & peccatores significant, qui suspenderunt Dominum in Cruce.*

4. De

UVA. BHSC. BU 00661

4. De Naboth optimo illo & innocuo Viro testantur Regum fasti, quòd propter vineam suam à majoribus quondam hæreditate acceptam, dolo impiæ Jezabelis falsò accusatus, ad mortem condemnatus, ab urbe eliminatus, ac tandem palo alligatus, & lapidibus obrutus sit: *Quamobrem eduxerunt eum extra civitatem &c.* 3. *Reg.* 21, 13.

En iterum pulcherrimum typum in Christo JEsu adimpletum, quem impia Synagoga dolo accusavit, & ad mortem damnato ponderosissimum crucis palum imposuit, ad quem alligatus, imò ferreis clavis affixus, omnium Judæorum linguis lapidatus est. Et certè cùm mitissimus Servator orbis ex urbe educeretur, attestante S. Anselmo, plures in eum lapides & lutum projiciebant: alii eum calcibus urgebant, alii innumeris convitiis eum onerabant, ut quondam Davidem Semei: *Egredere, egredere vir sanguinum & vir Belial &c.* 2. *Reg.* 16, 7.

Hîc considera humilitatem ac patientiam SS. CORDIS JEsu, qui, cùm malediceretur, non maledicebat, nec præ impatientia à se crucem abjecit, sed constanter cum ea & in ea usque in finem perseveravit, ut tu disceres in cœpta virtute constantiam, fortiter pati adversa, & crucem à DEO Patre humeris tuis non sine causa impositam, cum Salvatore tuo non in transversum NB. (sic ubique cum illa impinges) sed secundùm rectum & longum, quamdiu ipsi placuerit, portare: *Semper mortificationem JEsu in corpore nostro circumferentes, ut & vita JEsu manifestetur in carne nostra mortali.* 2. *Cor.* 4, 10.

5. Recordor hîc illius Angeli pacifici, tempore Gedeonis in salutē populi pœnitentis à Deo submissi, qui, cùm Gedeon carnes & azymos panes in petra offerret, summitatem virgæ suæ extendit, ignémque ex calida collisione petræ ope hujus suæ virgæ excutiens, sine mora holocaustum in petra accendit: *Extendit Angelus Domini summitatem virgæ, quam tenebat in manu, & tetigit carnes & panes azimos, ascenditque ignis de petra, & carnes azymósque panes consumpsit.* *Judic.* 6, 21. Quis, obsecro, hîc non obstupescat, quòd virga lignea petram percutiens, ignem ex ea excitaverit? Moyses ex petra durissima per virgam suam copiosam aquam produxit, sed hic

UVA. BHSC. BU 00661

Angelus mediante virgâ suâ ex petra ignem elicuit, & functus Sacerdotis officio, Deo acceptabile holocaustum obtulit, quo peracto in auras abiit, & in cœlum rediit? O mirabile mysterium!

Per hunc Angelum Christum JEsum, illum magni consilii Angelum subaudi: per virgam crucem ejus intellige; per holocaustum attactu hujus virgæ accensum, non incongruè Divinissimum COR JEsu nobis adumbratum est, de quo & Psaltes in typo: *Psal. 72, 21.* *Inflammatum est Cor meum*, quod SS. COR JEsu tunc quàm maximè & intensissimo amoris igne erga genus humanum inflamatum *S. Ambr. proëm. l. 1. de Spir. Sancto.* fuit, ubi crucem ascendit: *Jam tunc*, ait in hunc locum Divus Ambrosius, *in mysterio declaratum est, quia Dominus JEsus in carne sua totius mundi peccata Crucifixus aboleret.* O mi Redemptor! extende & nunc temporis hanc prodigiosam virgam tuam, & percute Cor meum, ut ex hac petra durissima copiosi fluant lacrymarum fontes, qui te ô summum, ô infinitum, ô immensum meum Bonum, omnium bonorum fontem tot hactenus offendi peccatis. Percute, inquam, Cor meum, ut simul veri ac sinceri in te amoris ex eo oriatur incendium, quod Cor meum totum in flammas, & in acceptabile tibi holocaustum redigat.

Nadasi S. I. in eremo divin. amor. fol. 138. 6. Audi in hunc finem historiam planè mirandam, quam P. Nadasi de homine peccatore morti & desperationis abysso jam vicino commemorat, cui pro ultimo salutis remedio amici imaginem quandam Christi JEsu crucem bajulantis & spineâ coronâ redimiti ad lectum vicinam appenderunt, ad cujus sacræ iconis aspectum æger primô collacrymari, & mox animitùs de peccatis suis conteri cœpit. Et ecce rem admiratione dignam! cùm lacrymaretur æger, collacrymatus est & JEsus, eúmque amanter consolatus, jussit, ut generalem ac plenam noxarum suarum confessionem perageret, quam ubi apud P. Julium Mancinellum Soc. JEsu præstitit, plenam mentis tranquillitatem & æternam, uti speramus, salutem consecutus est. Tantùm huic inveterato peccatori profuit, vel semel Christum pro nobis crucem bajulantem considerâsse. Vide hîc immensam bonitatem ac clementiam SS. CORDIS JEsu, quo-

UVA. BHSC. BU 00661

quomodo nostris compatiatur miseriis ac lacrymis, neque mortem nostram & interitum, sed unicè salutem animarum nostrarum desideret, quis hîc non in novam se erigat spem & fiduciam erga hoc mitissimum juxtà ac dolorosissimum COR JEsu, quod est peculiaris propitiatio peccatorum, munimen tentatorum, & ultimum solamen afflictorum?

7. Siste hîc paulisper anima Christiana, & inspice pio quodam mentis affectu amabilissimum ac clementissimum COR JEsu pro te spineam coronam & crucem bajulantis! Vide, quomodo is sub gravissimo crucis pondere inclinetur, qui tribus digitis appendit molem terræ? Vide, quomodo pretiosissimus Salvator tuus toto corpore sit dilaniatus, conspurcus, lacrymis rigatus, spinis cruentatus, signans ipsas platearum semitas roseo Sanguine, per quas trahebatur? &c.

Vide, quomodo innocentissimus Amasa conspersus proprio sanguine in media via prostratus jaceat, nec ullus sit, qui immensis ejus cruciatibus condoleat: *Amasa autem conspersus sanguine, jacebat in media via.* 2. *Reg.* 20, 12.

Vide, quomodo Sacerdos, Magnus ille Onias mole malorum prægravatus ante altare humi sit jactatus: *Jam verò qui videbat summi Sacerdotis vultum, mente vulnerabatur, facies enim & color immutatus declarabat internum animi dolorem.* 2. *Mach.* 3, 16.

Vide quomodo Jacob ex itinere lassus, deficientibus viribus super lapides in terra jaceat, & scalam cœli (hoc est crucem) tibi paret, per quam, ô anima, ad æternam conscendas beatitudinem: *Tulit de lapidibus, qui jacebant & supponens capiti suo dormivit in eodem loco, vidítque in somno scalam stantem super terram.* *Gen.* 28, 11.

Vide, quomodo ille Fabri Filius in sudore vultûs sui duo ligna humeris lassatis comportet, ut nobis novam salutis arcam construat, & Ecclesiam suam supra petram ædificet: *Nónne hic est Fabri Filius? Nónne Mater ejus dicitur Maria?* *Matth.* 13, 55.

Vide denique, quomodo Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech duobus stipatus latronibus, ipse ligneum altare ferat, *S. Thom.* 3. *P. q.* 46. *a.* 4.

in

UVA. BHSC. BU 00661

in quo ipse pro salute totius mundi in monte Golgothæo non tam erit sacrificans, quàm & cruentum Sacrificium. O Bone JEsu! ô Divinissimum COR JEsu! quis hanc perpendens veritatem, non tibi ex animo condoleat? quis te non amet ô afflictissimum COR JEsu! quis non doleat propter te ô summum Bonum toties offensum? ah mi JEsu! quis non?

8. Ex his collige anima Christiana, si prudens es, quòd non sit alia in cœlum via, quàm via regia SS. Crucis: *Tota vita hominis Christiani*, ait SS. Maximus, *si secundùm Evangelium vivat, Crux est & Martyrium.* Audi, & imitare, quid S. Symphoriano Christi Martyri acciderit.

S. Max. hom. 2. de SS. Mar.

Cùm hic præclarissimus Juvenis Augustoduni in florentissima ætate post jam varia à Tyrannis exantlata tormenta denique ad ultimum supplicium traheretur, pia Mater in via ei occurrit, quæ hunc filium suum corde plùs quàm virili ad supremum certamen fortiter pro Christi JEsu Crucifixi causâ & amore perferendum, hisce verbis adhortata est: *Nate, nate, memento æternæ vitæ: Cœlum suspice, & ibidem regnantem intuere.* Quâ pientissimæ Matris voce Sanctus Adolescens de novo animatus, fortiter pro fide Christi collum carnifici præbuit.

Martyrol. 22. Aug.

Hoc idem à te peto optime Lector: *Cœlum suspice, & ibidem Regnantem intuere.* Leva oculos tuos ad Orientem & Occidentem, & à Meridie ad Septentrionem, sic in amplissimo cœli campo oculis tuis NB. magnam crucem efformabis, & in veritate nec aliam ad cœlum viam, quàm crucem invenies. Observa insuper, quòd ille nunc regnet in cœlo, qui quondam pro nobis pependit in ligno, qui de se ipso ait: *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Ita nimirum ab æterno decrevit SS. Trinitas: ita præsignârunt tot in lege figuræ; ita vaticinati sunt omnes Prophetæ: Ita requirebat ipsum exemplum, quo SS. COR JEsu tanquam perfectissimum omnium Electorum exemplar Apostolis, Martyribus, Confessoribus, Virginibus Sanctisque universis & omni statui Ecclesiæ præiret; Ita denique ex ipsa ratione decebat, ut tanta ac tam immensa gloria non alio, quàm crucis pretio compararetur; ideo etiamnum nobis proponitur SS. COR JEsu cruce signatum &c.

Luc. 24, 26.

Et tu delicate miles quid agis? qualem tibi viam DEus in cœlum pinget? Ergo tu solus sine cruce, sine labore, sine tribulatione ad æternam illam requiem ac felicissimam cœli portam pervenies? Absit, *absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri JEsu Christi &c.* Absit, absit! Aman gloriabatur in honoribus, Salomon in voluptatibus, Nabuchodonosor in divitiis &c. Tu autem non aliam gloriam quæras quàm in cruce D. N. J. C.

Gal. 6, 14.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XXXVIII.

Cur in SS. Corde JESU Crux plantata cernitur, & cur ad redimendum orbem non aliud remedium, quàm crucem elegit?



Ipſe lignum tunc notavit, damna ligni ut ſolveret. Eccleſia in hymno de S. Cruce.

1. MIratur cœlum, & orbis obſtupeſcit univerſus, quòd DEus ſummæ Majeſtatis non aliud remedium ad ſalvandum deperditum mundum, quàm duriſſimam Crucem, infame illud & patibularium lignum elegerit? Inſpice SS. ac Diviniſſimum COR JEſu, & etiamnum in medio ejus crucem plantatam cernes. Et cur, obſecro, hanc feralem arborem ſibi elegit Sacratiſſimum COR JEſu in Sponſam, ut eam in Calvario ſibi duceret in uxorem, à qua non aliud loco dotis ſperare poterat, quàm cruentiſſimam necem? Nunquid uno ſuſpirio,

UVA. BHSC. BU 00661

unâ lacrymulâ, aut unâ pretiosâ cruoris stillâ millenos ac millenos mundos à perditione potuisse redimere? Omnino: *sed quod sufficiebat redemptioni*, subintrat hîc S. Chrysostomus, *non satis erat amori.* Plùs & infinities plùs hoc SS. COR JEsu nos amavit, dum omnem sanguinem ad extremam usque guttulam pro nostra salute voluit profundere, ut sic copiosior apud eum esset redemptio: *Dedit redeptionem semetipsum pro omnibus.*

S. Chrys. hom. 126.

1. Tim. 2, 6.

Querebatur hoc SS. COR JEsu jam in tenerrima vitæ ætate ab impiissimo Herode, ut gladio innocens victima caderet, & noluit per ejusmodi mortem mundum ab interitu salvare, proinde nocte intempesta *fugit in Ægyptum.* Irruebant aliquando Nazaræi, quasi impetu facto in eum, ut ipsum perderent, & è medio tollerent, ideo ejecerunt eum extra civitatem, & duxerunt illum usque ad supercilium montis, ut inde præcipitarent ipsum in profundum. Verùm noluit Diviniss. COR JEsu hoc necis genus pro salute mundi eligere, quapropter *transiens per medium illorum ibat.* Tollebant aliâ vice sacrilegi Judæi lapides in atrio templi, ut jacerent in eum, sed venerandum COR JEsu neque hoc mortis genus voluit subire, idcirco *abscondit se JEsus & exivit de templo.* Multoties idem pientissimus Redemptor quærebatur ad mortem: *Et quærebant eum Judæi interficere*: sed noluit cum Joanne Baptista capite truncari, cum Isaia secari medius, cum Jeremia & Stephano impetu crepitantium saxorum obrui, &c.

Matth. 2, 13.

Luc. 4, 29.

Jo. 8, 59.

Jo. 5, 8.

Verùm postquam paratum fuit Crucis lignum, mortis genus longè crudelissimum, infame, probrosum, & universo mundo abominandum; ecce, sine ulla mora & tergiversatione hoc gravissimum pondus in se suscipit, & osculans ambabus manibus eam amplectitur: *Et bajulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum.* O amantissime JEsu! an non aliud diviniss. CORDI tuo superfuit remedium, mundo deperdito succurrendi? Inspice Schema præfixum, & solutionem habebis: *Mors per arborem* ait S. Ambrosius, *vita per Crucem*; in ligno enim scientiæ boni & mali per protoplastos mundus deperditus, in ligno verò

Jo. 19, 17.

S. Ambr. in Luc. 4.

UVA. BHSC. BU 00661

vivificæ crucis à Secundo & Meliori Adamo recuperatus est. In hunc finem Emblemati illud Ecclesiæ inscripsimus:

Unde mors, inde vita.

Eccles. in Præf. in Missa de S. Cruce.

2. Vides nunc, Anima Christiana! cur mitissimum COR JEsu, optimi Redemptoris tui lignum crucis, quod in hunc finem in medio illius plantatum cernitur, & non aliud mortis genus elegerit, quo orbem redimeret, *ut, unde mors oriebatur, inde vita resurgeret.* Et quia cor humanum scaturigo omnium malorum fuit: *Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Et in alio loco dicit Veritas: *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, &c.* Ideo jam à prima conceptionis hora benignissimus JEsus *tactus dolore Cordis intrinsecus,* Sacratissimum COR suum pro nobis tradidit in ligno Crucis dirissimâ lanceâ perforandum, *ut, ubi abundavit delictum, abundaret & gratia.* Hinc ipse clementissimus Dominus post lapsum Adami jam tunc in umbra dignatus est ad auram post meridiem in paradiso deambulare, & Adamum præ timore absconditum, velut oviculam à via salutis aberrantem quærere: *Adam ubi es?* ut sic eum non tantùm in spem erigeret, sed & ad meliorem frugem reduceret, ac pœnam æternæ damnationis, quam commeritus erat, in temporaneam misericorditer commutaret; cætera luenda, & ut justitiæ divinæ copiosè satisfieret, ipsum SS. COR JEsu suo tempore in se suscepit, hinc Deus deambulans in paradiso jam tunc in typo vitæ arborem notavit, in qua suo tempore (hoc est, post quatuor millia annorum) mundum deperditum erigeret: *Ipse lignum tunc notavit,* canit Ecclesia, *damnæ ligni ut solveret.* Et quia per lignum scientiæ boni & mali mors in orbem venit, per lignum vivificum S. Crucis iterum nobis vita recuperata fuit: *Ut medelam ferret inde, hostis unde læserat.* O mitissimum, O suavissimum Numen! quis non miretur immensam tuam benignitatem? Potuisses Adamum Protoparentem nostrum, & nos omnes

Gen. 8, 21.

Matth. 15, 19.

Gen. 6, 5.

Rom. 5, 20.

Gen. 3, 9.

Ecclesia in hym. de SS. Cruce.

UVA. BHSC. BU 00661

cum Angelis apostaticis meritò in æternum perdere, & ecce, misericorditer eruisti nos ab ipso damnationis barathro per mortem, crucem, & passionem Unigeniti Filii tui Crucifixi. O infinitam Bonitatem! quis te non amet? quis te non æstimet super omnia creata simul? O lugendam mortalium cœcitatem! Amant hi misselli in corde suo divitias, honores, ac voluptates momento perituras, & cur non amatis DEUM, & SS. COR JEsu, solum omni amore dignissimum.

3. Aliam rationem, cur SS. ac diviniss. COR JEsu pro redemptione mundi non aliud remedium aut mortis genus, quàm diriſſimam crucem elegerit, assignant SS. Patres & Interpretes, ut pretiosissimus Redemptor se verum ac unicum Mediatorem Deum inter & homines demonstraret; priùs enim quasi continuo & acerrimo bello inter se cœlum & terra dimicabant, hæc vitiis, illud supplici-

Gen. 6, 12. iis. Considera statum ante diluvium, ubi *omnis caro corruperat viam suam.* Et quid hîc justissimus Dominus scelerúmque Vindex DEus aliud facere poterat, quàm ut mundum in peccatis demersum quadraginta dierum imbribus terrarúmque omnium illuvione castigaret? Perpende insuper impiam Pentapolim sulphureo imbre subversam, serpentes ignitos in peccantem populum immissos, Dathan, Core & Abiron vivos in inferno sepultos, aliá-q; sexcentas plagas, quibus olim Justitia Divina in peccatores animadvertit, &c. Verumenimverò ubi venit plenitudo temporis, & Christus Homo factus est, tunc etiam inter Deum & Hominem peccatorem Mediator ac sequester fieri voluit; proinde in cruce & in aëre (quod elementum omnibus commune est) inter cœlum & terram medius, se inter utrumq; interposuit, & pacem universalem tanquam summus & unicus in ordine redemptionis Mediator propriâ morte reconciliavit, in quem finem & SS. COR suum in pignus tradidit. Scio, quòd olim DEus tot peccatis hominum offensus, sæpius virum justum ac perfectum quæsierit, qui indignationem divinam à mundo averteret, &

Ezech. 22, 30. virgam è manibus, ne peccatores hujus sæculi pro meritis puniret, eriperet: *Quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus*

UVA. BHSC. BU 00661

positus contra me pro terra, ut non dissiparem eam, & non inveni. Et apud Isaiam: *Vidit DEus, quia non est vir, & aporiatus est, quia non est, qui occurrat.* Ubi nota tò *aporiatus est*; hoc est, ait Chaldæus, quasi anxius, & quasi perplexus, dum justitia urgebat ad pœnas, & econtra retrahebat misericordia. Sic Abner militiæ Princeps optabat, ut mediator aliquis inter ipsum & Azaëlem, juveniliter exultantem, interveniret, ne ipsum cum impare congredientem cogeretur interficere; sed quia nullus intervenit, qui certamen dirimeret, coactus est Abner, illum aversâ hastâ confodere: O quàm multi fuerunt, & etiamnum sunt, qui peccando stultissimum certamen contra DEum inierunt. Et ecce! cùm inter cuncta creaturarum corda nullum inveniretur dignum, quod se huic periculoso certamini exponeret, obtulit se SS. ac divinissimum COR JEsu, utrique parti (quod ad mediatorem pertinet) amicum, DEO, quia COR Filii DEI erat, & hominis studiosum, quia Filii Hominis COR erat, honorem & gloriam Dei & salutem hominum quærens: *Unus est Mediator Dei & hominum Homo Christus JEsus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Et ideo crucem elegit, & in cruce præ magnitudine dolorum ac multitudine peccatorum crepuit COR JEsu: *Tandem*, sunt verba Christi ad S. Birgittam, *Cor crepuit præ violentia passionis, & anima egrediebatur.* Et in alio loco: *Pauci cogitant, quàm doloroſus starem in ligno crucis, quando COR meum crepuit &c.*

Is. 59, 16. — 2. *Reg.* 2, 19. — 1. *Tim.* 2, 5. — *Lib. Extravag. Revel.* c. §1.

4. Crucem insuper hoc SS. ac divinissimum COR JEsu elegit, quia idem SS. COR Patri cœlesti erat futurum sacrificium omnium maximum, gratissimum, & completivum cunctarum victimarum ac holocaustorum; hæc autem holocausta & victimæ DEO, supremo vitæ necisque Domino immolanda, & in odorem suavitatis offerenda, non nisi per ligna in modum crucis dispositа concremabantur. Unde & Isaac in ejusmodi victimam destinatus, propriis humeris ligna holocausti ad montem Moria deportavit: *Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac Filium suum.* O anima Christiana vide nunc Isaacum lignis oneratum, sed ipsum

Gen. 22.

UVA. BHSC. BU 00661

summè venerandum COR JEsu ligno crucis gravatum. De Pontifice Maximo, Christíque in his terris Vicario orbi notum est, quòd crucem auream in dextero suo pede gerat. Ratio est, quia hic Summus Sacerdos ut petra & fundamentum Ecclesiæ per crucem magis confirmatur, solidatúrque, ne fortè offendat ad lapidem pedem suum, fiátque petra scandali; Crux enim est solidum & fidei & Ecclesiæ fundamentum.

Max. Sand. S. J. in suo Staurop. l. 39. tit. 13.

Imperator Romanorum crucem gerit in corona & globo suo imperiali, item in sceptro (prout Rudolphus I. Habspurg. sibi ejusmodi sceptrum fieri curavit) quam crucem etiam in gladio suo gestat, ut cognoscat, quòd crux sit gladius Domini & gladius Gedeonis, sceptrum regale, per quod Reges imperant, & corona, quæ magis verticem Imperatoris, quàm omnes gemmæ, condecorat: *A loco supplicii*, ait S. Augustinus, *crux fecit transitum ad frontem Imperatorum.*

5. Sed SS. COR JEsu Crucem in medio sui plantatam portat, & cur in medio Cordis? Adverte. Cùm Adam serpentis astu & uxoris voce seductus, ac quàm maximè deitatis amore inescatus: *Eritis sicut Dii*, de arbore scientiæ boni & mali vetitum fructum degustâsset, mox conscientiæ remorsu, acerrimè animum stimulante, cognovit, in quam immensam miseriarum voraginem se, & universum genus humanum tam vilis escæ gratiâ præcipitâsset, itaque cum conjuge, ne à Divina Nemesi ob tantum scelus uno momento adinstar apostatæ Luciferi ad inferni barathrũ præcipitaretur, condignas ibidem per omnem æternitatem pœnas daturus, ad arborem quandam in medio paradisi situatam, tanquam ad ultimum calamitatis suæ asylum confugit: *Abscondit se Adam & uxor ejus a facie Domini Dei in medio ligni paradisi.* Observa: *in medio ligni paradisi*, per quem paradisum in sensu allegorico S. Bernardus apositè humanitatem Christi intelligit, quæ passim etiam ab aliis SS. Patribus paradisus omnium deliciarum & hortus voluptatis solet appellari: *Pro paradiso*, ait Mellifluus, *quem amisimus, Christus nobis datus est.* Fugit verò Adam ad medium ligni paradisi; ergò fugit

Gen. 3, 5.

Gen. 3, 8.

S. Bern. in parvis serm. 66.

UVA. BHSC. BU 00661

fugit jam tunc in umbra ad SS. ac Divinissimum COR JEsu, quod est centrum ac medium in ejus humanitate; *ut sic*, prout loquitur S. Leo, *quod cecidit in Adam primo, erigeretur in Secundo.* Vide nunc, cur SS. COR JEsu in medio sui crucem gestare soleat. Audi Ecclesiam: *Hæc est arbor dignissima in medio paradisi situata, in qua salutis Author propriâ morte mortem omnium superavit.* O felix Adam! jam non miror amplius, quòd in medio ligni paradisi, ad quod olim confugisti, pro te & omni humano genere adhuc tantam gratiam ac misericordiam consecutus sis, ut pœna æterna in temporalem tantum fuerit commutata, age gratias SS. CORDI JEsu, per cujus prævisa merita passionis ab æterna damnatione tam misericorditer erutus es: *Impulsu quodam*, ait antiquissimus Origenes, *primi parentes ad arborem se contulerunt, ut significaretur, jam tunc unicum perfugium in arbore crucis esse constitutum.* Et quod memoriâ, admirationéque dignum videtur, illud est, quod Adam in illo Calvariæ loco fuerit sepultus, ubi Christus post quatuor annorum millia erat cruci affigendus. Hinc existimat Molanus illum morem in Ecclesia Dei provenire: quòd sub Crucifixi iconibus ac statuis quædam Calvaria appingi, vel sculpi soleat, quam calvariam seu cranium Adami S. Hieronymus asserit, per sanguinem stillantem de cruce Secundi Adami Christi JEsu à peccatorum sordibus mundatam, unde & illud: *Sub arbore mali suscitavi te &c.*

S. Leo serm. de pass. D. Eccles. in officio de S. Cruce.

Orig. hom. 1. in Genes.

Molan. c. 78. de imagin. S. Hieron. epist. 27. ad Marcellam.

Cant. 8, 5.

6. Et si placet ulteriùs causam investigare, quare SS. COR JEsu sibi crucem desponsaverit, respondet S. Augustinus, *ut Martyres firmaret exemplo*, omnibúsque Christianis fortè præberet, ac relinqueret exemplar, omnia pro Deo, fide, veritate & justitia tolerandi: *Nihil enim*, pergit idem Sanctus Ecclesiæ Doctor, *sic elucet, quomodo Caput Martyrum, ubi melius intuemur, quod illi experti sunt.* Sic videmus in cervis, cùm primus & fortissimus in trajiciendo flumine præcedit, absque mora & cæteri longo ordine sequuntur, ubi unus alteri caput imponit, primus verò & cæterorum antesignanus, quasi solus totum onus & periculum sustinet, unde lemma: *Instruit exemplo.* Sic pariter in ovibus experientiam habemus, ubi prima

S. Aug. in ps. 63.

tor-

UVA. BHSC. BU 00661

torrentem, à quo priùs omnes abhorrebant, ingressa est, facilè & reliquas suo exemplo secum trahet, ideo lemma: *Omnes pendemus ab una.* Sic & in gruibus, cùm una quasi dux cæterarum per mare volatum tentat, mox cæteræ omnes pulchro & miro ordine præcedentis vestigia sequentur, proinde iterum lemma: *Una dirigit omnes.* Ita SS. ac Divinissimum COR JEsu, postquam præivit exemplo, mare rubrum passionis ingrediens, ac tandem in cruce seipsum in hostiam Sanctam & immaculatam offerens, omnes SS. Martyres ad sui sequelam allexit, & fortissimo exemplo Electos omnes ad se attraxit, ut cum gaudio cuncta hujus mundi adversa, & immanissima tyrannorum supplicia generoso animo sustinerent: *Stat Martyr tripudians, & triumphans,* ait S. Bernardus, *licèt lacero corpore, & rimante latera ferrô; non modò fortiter, sed alacriter sacrum è corpore suo circumspicit ebullire cruorem: Ubi ergo tunc anima Martyris? nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus, hoc est, in CORDE JEsu, vulneribus nimirum patentibus ad introëundum.* Huc respexit, ut mittam millenos alios, S. Orestes, nobilis miles Christianus & glorioissimus Martyr, qui sub Diocletiano Imperatore militans, auream semper crucem in Pectore gestabat, ut totus ipsi figeretur in Corde, qui totus pro illo fixus erat in cruce. Accidit, ut, cùm sese jaciendis missilibus cum cæteris suis commilitonibus ad scopum, ipso præsente Lysiâ exercitûs Duce exerceret, crux illa è pectore pendula solutis nonnihil vestimentis ejus palam appareret. Miratur Lysias in milite fortissimo hoc insolitum crucis signum, cui Orestes intrepidè: *Christianus,* inquit, *sum, & servus Crucifixi Domini mei, & gesto hoc signum ad omnia mala avertenda, quæ mihi ingruunt.* Ad quam publicam fidei professionem ex mandato Lysiæ sine mora comprehensus, & in vincula conjectus est: & cùm JEsum Crucifixum constanter prædicaret, post varia exantlata tormenta demum in candentem craticulam, velut in ferream crucem prostratus, lætus inter has voces martyrii cursum consummavit: *Domine JEsu Christe, in manus tuas commendo spiritum meum.*

S. Bern. serm. 61 in Cant.

Surius 13. Decembr.

7. Crucem denique SS. COR JEsu elegit, ut nos à maledicto legis, teste Apostolo, redimeret, quia scriptum est: *Maledictus omnis, qui pendet in ligno, idest Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Et quia hoc SS. COR JEsu pro peccatoribus moriebatur, idcirco in monte Calvario, tanquam in loco publico malefactorum inter ipsos latrones expirare, & crudeli lanceâ transfigi voluit. Hunc infinitum amorem dulcissimi CORDIS JEsu adeo nos diligentis, & adeo propter salutem nostram se in Cruce humiliantis, cùm aliquando propensiùs in animo meditaretur S. Maria Magdalena de Pazzis, ita DEI amore absorpta fuit, ut nihil loqueretur, ac nihil ageret, nisi ex DEI amore: proinde obvios quosque & præsertim Sorores ad hunc Divinum Amorem amandum excitabat: *Amate hunc Amorem Sorores, amate hunc Amorem: Amate ô mortales omnes hunc amorem, amate!*

Gal. 3, 13.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XXXIX.

SS.COR JESU est balsamum deficientibus, neque vindictam, sed indulgentiam peccatoribus à Patre postulat.



JEsus autem dicebat: Pater, dimitte illis. Luc. 23, 34.

1. REs mira! quòd DEUS O. M. olim in lege nonnisi per sanguinem victimarum voluerit honorari, & placari. Per sanguinem Agni, super postes Hebræorum in exitu de Ægypto per modum Crucis illitum, domus eorum ab Angelo transeunte & percutiente fuerunt servatæ immunes: *Et sument de sanguine ejus &c.* Per sanguinem Moyses fœdus inter Deum & hominem sancivit; dum mandata DEI populo imposterum servanda, publicè explicâsset, in testimonium hujus fœderis sanguinem victimarum super populum aspersit: *Ille verò sumptum sanguinem respersit in populum &c.* Idem mos erat in offerendis Deo holo- *Exod. 12. 7.* *Exod. 24. 8.*

UVA. BHSC. BU 00661

caustis observatus,& in victimis pacificis,atque hostiis pro peccatis oblatis,ubi semper sanguis victimarum per circuitum altaris & partim super populum, Sacrificio adstantium, effundebatur: *Immolabítque vitulum coram Domino, & offerent filii Aaron Sacerdotes sanguinem ejus, fundentes per altaris circuitum, &c.* Vide prudens Lector, in his & in pluribus aliis sacrificiis, quàm mirabiliter Deus unigenitum suum Filium suo tempore in ara Crucis pro peccatis totius mundi offerendum, præsignaverit; tunc enim Christus vera victima pacifica in Altaris circuitu sanguinem suum fudit, cùm in Cruce pendens Æterno Patri cruento modo in hostiam expiationis se obtulit, ac demum ipsum Sacratiss. COR suum pro nobis sacrificavit: *Sanguinem fudit in circuitu Altaris*, ait Cornelius à Lapide, *ut sciremus omnes orbis terræ nationes participes fore Crucis & Sanguinis Christi.*

Lev. 1,5.

Cornel. hic.

2. Videtur mihi hic pientissimus JEsus Crucifixus, sacrosanct. Sanguinem ex quinque vulnerum canalibus, ac præsertim ex ipso fonte SS. CORDIS largissimè in salutem animarum deficientium profundens, ut Balsamum aromatizans,quod ferro incisum pretiosissimum liquorem & opobalsamum ex vulnere suo in salutem & medelam infirmorum, ac vulneratorum abundè stillare solet, cui nobilissimæ arbusculæ bona pro malis, & medelam pro vulnere reddenti, pro Lemmate rectè inscribes:

Vulnus vulnere curat.

Vel, si magis arridet:

Præbet quoque læsa medelam:

Aut breviùs:

Et læsa medelam.

S. Aug. ser. 145. *de temp. c.* 3. *Idem in Ps.* 48.

Ita, inquit S. Augustinus, *Christus Medicus accessit, medicamentum adhibuit, vulnera in cordibus videbat, & unde vulnera cordium curaret, in corpore cicatrices ferebat.* Et in alio loco: *Christus sic voluit mori, ut sanguine suo effusores ejusdem sanguinis redimeret.* O immensa clementia, quis unquam audivit, aut vidit talia

UVA. BHSC. BU 00661

lia? Verè SS. COR JEsu est balsamum & opobalsamum pretiosissimum omnibus animabus deficientibus. Ita S. Bernardus: *Filius Dei altissimi jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioso sanguinis illius balsamo medeatur &c.* S. Bern. ser. 4. de Nat. D.

3. De sanguine justi Abelis Sacræ testantur Paginæ, quòd sine mora post mortem ob perpetratum tam indignum & immane facinus contra perfidissimum fratrem vindictam clamaverit: *Quid fecisti*, ait Deus ad Cain, *vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra?* Sanguis Zachariæ Prophetæ inter templum & altare à perduellibus quondam Judæis ob servatam ab illo justitiam & veritatem effusus, mox post necem hujus divini Vatis contra effusores suos ultionem à Deo petiit: *Ut veniat*, ait Christus, *super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ, quem occidistis inter templum & altare.* Sanguis SS. Innocentium Martyrum, ab impiissimo Herode injustè occisorum, pariter à Deo justissimo, omniúmque malorum Vindice contra interfectores suos vindictam clamavit: *Quare non defendis sanguinem nostrum? & acceperunt divinum responsum: adhuc sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum.* Sanguis S. Wenceslai Bohemiæ Regis & Martyris ab impio Boleslao fratre suo, velut alterius Abelis ad templi fores profusus, pari modo vindictam clamavit, dum paries Ecclesiæ cruore illius aspersus nullo modo ampliùs à scelerum sociis detergi, & ablui potuit, cujus notæ etiamnum hodie in testimonium ibidem apparent: *Sanguis per parietes aspersus adhuc conspicitur.* Mitto hîc plures alios admirandos eventus, ubi sanguis innocenter effusus plerumq; contra interfectores suos è cœlo vindictam expetiit, & impetravit. Verùm qualem ultionem innocentissimus Christi Sanguis, in passione ad ultimam usque stillam ex ipso intimo SS. CORDIS fonte effusus, clamavit? qualem ultionem à Deo Patre petiit? Audite cœli, quæ loquor, & audiat terra verba oris mei! Omnia elementa, cùm SS. COR JEsu expiravit, stabant tunc parata ad condignam contra impios deicidas sumen-

Gen. 4, 8.

Matth. 23, 35.

Æneas Sylv. & Brev. R. 28. Sept.

UVA. BHSC. BU 00661

dam vindictam. Terra mota est, & à fundamentis concussa, ut omnes peccatores vivos, velut Core, Dathan, & Abiron deglutiret. Velum templi scissum est in detestationem tanti parricidii. Tenebræ factæ sunt, quia Sol, mundi oculus, indignos judicavit telluris incolas, quibus ulteriùs lumen & radios impertiret. Luna videbatur sanguinea, ut sic sanguinem pro sanguine reposceret. Monumenta aperta sunt ad devorandos impios Caini fratres. Verbo ut absolvam uno: Omnes creaturæ tunc in morte JEsu, dum crudelis lancea Sacratiss. COR ejus penetravit, ex intimis visceribus commotæ sunt ad sumendam de ingratissimo homine vindictam! *Et armabit creaturam ad ultionem inimicorum.* Et quid ad hæc omnia SS. COR JEsu? En verum vitæ Balsamum! *Misericordiam*, inquit, *volo, non Sacrificium*; O amoris prodigium! O quàm meliùs loquitur Sanguis justi hujus & innocentissimi Abelis: *Accessistis*, ait Apostolus, *ad montem Sion, & testamenti novi Mediatorem JEsum, & Sanguinis aspersionem, meliùs loquentem, quam Abel.* Et quid hîc secundus Abel loquitur? Inspice Titulum super Caput JEsu affixum: I. N. R. I. quod idem est, ac Jesus Non Reminiscitur Injuriarum, proinde dicit: *Pater dimitte illis*, quæ verba mitissimus Redemptor, sanguinolentos & moribundos oculos suos ad cœlum convertens, non sine lacrymis & cum clamore valido de funesta crucis cathedra locutus est. En clamorem SS. CORDIS JEsu! O Anima Christiana adverte hîc! *Pater*, dicit JEsus, non Deus, non Dominus, non Judex, &c. ita sic dulcissimum COR JEsu magìs Cor Patris sui, qui innocentissimi Filii sui pretiosissimum Sanguinem vindicaturus, jam paratus & accinctus erat, ad misericordiam flecteret: *Et impetravit*, ait S. Hieronymus, *quod petierat Christus, multáque statim de Judæis millia crediderunt, & usque ad quadragesimum secundum annum datum est tempus pœnitentiæ.*

Sap. 4, 18.

Matth. 9, 13.

S. Hier. epist. ad Hedib.

S. Bern. serm. 4. hebd. Pent.

4. *Vide nunc opera Domini*, subintrat hîc Mellifluus Bernardus, *quæ posuit prodigia super terram: flagellis cæsus est, spinis coronatus est, clavis confossus est, affixus patibulo, opprobriis sa-*

tura-

UVA. BHSC. BU 00661

turatus: omnium tamen dolorum immemor, charitatis memor: Ignosce, ait, illis, quia nesciunt, quid faciunt. O infinitus amor! O mansuetudo omnibus retro sæculis inaudita SS. CORDIS JEsu! David quondam de suo mansuetissimo corde in oratione & in Psalmis coram Domino & universo mundo gloriatus est: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* Verùm hæc mansuetudo non sine felle & cordis amaritudine fuit; cùm enim tempus mortis instaret, filium suum Salomonem ad se vocari jussit, cui injuriam, à Semei quondam in fuga sibi illatam, ante oculos posuit, ut datâ occasione de eo ultionem sumeret: *Habes,* ait David moriens, *apud te Semei, filium Gera, filii Jemini de Bahurim, qui maledixit mihi maledictione pessimâ... Tu noli eum pati esse innoxium. Vir autem sapiens es, ut scias, quæ facies ei, deducésque canos ejus cum sanguine ad inferos.* Non sic Filius David, amantissimus JEsus ad Patrem suum Cœlestem, non, inquam, sic, sed pro omnibus etiam infensissimis inimicis, qui ipsum infami crucis patibulo affixerunt, sincero Cordis & amoris affectu rogavit: *Pater ignosce.* O Bone JEsu! non me capio ampliùs præ admiratione tantæ bonitatis Sacratissimi CORDIS tui! Quis, obsecro, ob amorem hujus tui mansuetissimi CORDIS non pariter ignoscat inimicis suis? an servus est major Domino suo?

Ps. 131, 1.

3. *Reg.* 2, 8.

5. De Moyse refert Scriptura, quòd mansuetissimo Corde fuerit, cùm tot à populo illatas injurias animo planè invicto devoravit, & licèt parùm abfuerit, quin à seditioso illo populo vivus fuisset lapidatus, pro ingratis tamen Hebræis enixè Deum oravit, ut illis parceret, eísque injuriam condonaret. Imò quod plus est, etiam pro illorum salute seipsum Deo in victimam & anathema obtulit: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* De Aarone fratre Moysis perhibent sacræ paginæ, quòd, cùm Deus populum murmurantem igne cœlesti decrevisset delere, & ex eo jam 14700. ignis consumpsisset: in mediam plagam & ignem grassantem cum thuribulo thymiamatis irruerit, ut sic indignationem DEI à populo averteret, eúm-

Exod. 32, 31.

UVA. BHSC. BU 00661

Num. 16, 48. que cum Deo suo reconciliaret: *Et stans inter mortuos ac viventes, pro populo deprecatus est, & plaga cessavit.* Nec minori charitate ac mansuetudine Cor Pauli præditum fuit, qui non corpus duntaxat, sed & animam pro salute suorum Hebræorum devovit, optans pro fratribus suis esse anathema, ac loco illorum ex libro vitæ deleri, & in æternum affligi: *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis &c.* Et ideo S. Chrysostomus, *Cor Pauli COR Christi appellat &c.* Quis ignorat de S. Stephano glorioso illo Christi Protomartyre, quam illustre fortitudinis, patientiæ, mansuetudinis, innocentiæ, charitatis ac cæterarum virtutum exemplum toto orbi dederit, tum in tormentis & in ipso mortis agone constitutus suis infensissimis inimicis ac persecutoribus bene precatus est: *Positis autem genibus clamavit voce magna, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Mitto hîc S. Jacobum fratrem Domini, qui de pinna templi præcipitatus, fractis cruribus, manibus in cœlum elevatis, semivivus pro inimicis suis orabat: *Domine ignosce illis.* Sic & S. Polycarpus Ep. qui antequam igni traderetur, suos interfectores, qui ipsum ad necem quærebant, benignè in hospitio suo excepit, cibavit, atque potavit &c. Verùm inter omnia creaturarum corda nihil sic elucet, quemadmodum SS. ac mansuetissimum COR JEsu, quod non solùm optabat anathema esse pro salute gentis suæ, sed & pro omnibus hominibus re ipsâ factum est, audi Apostolum: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Hinc in tota passione ad omnes contumelias semper tacuit. Verùm cùm jam de salute universorum ageretur, omnémque creaturam contra peccatorem armatam & justissimam Patris iram cerneret, seipsum in pacificum Sacrificium & in hostiam expiationis pro totius mundi peccatis obtulit: *Cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* O stupenda, ô magna, ô immensa charitas SS. CORDIS JEsu, quam nec flumina persecutionum obruerunt, nec ipsum profundissimum passionum mare potuit extinguere: *Nec flumina obruent illam.*

Rom. 9, 3.

S. Chrys. hom. 32.

Act. 7, 59.

Gal. 3, 13.

Hebr. 5, 7.

Cant. 8, 7.

6. Pro confirmatione dictorum audi mirabile factum. In Urbe Phariæ,

UVA. BHSC. BU 00661

Phariæ, vulgò Lessina, ingens seditio plebem inter & nobiles civitatis exorta est, in qua cives unanimi consensu coram imagine Crucifixi Redemptoris sui sacrilego juramento sese devinxerunt, arma sese priùs non posituros, quàm omnes civitatis primarios sibi nimiùm austeros ac contrarios ad internecionem deleviſſent. Fit igitur tumultus, currunt per urbem armatâ manu furibundi incolæ, cæduntur in primo æstu aliqui de illustrioribus. Et ecce dum hæc fiunt, prædictus Crucifixus ex sacris quinque Vulneribus copiosum sanguinem effundere conspicitur; quod cruentum profluvium ubi in oculos quoque excœcatæ plebis incidit, tum inaudito hoc prodigio, tum conscientiæ remorsu perculsi, è vestigio hanc parricidalem seditionem comprimunt, & contrito corde pœnitentes, multis profusis lacrymis Divinam Bonitatem ad tam immane scelus sibi condonandum implorant. Interim Episcopus illius loci solemnem processionem adornari jubet, in qua hæc Thaumaturga SS. Crucifixi imago insigni pompa ac veneratione per plateas ad Ecclesiam Cathedralem illius urbis deportatur, assistentibus ad utrumque Crucifixi latus duobus Presbyteris, qui suppositis calicibus fluentem de Vulneribus cruorem exciperent. Et pretiosus hic liquor in multas exinde provinciæ illius Ecclesias distributus pluribus salutem attulit. Crucifixus verò in hodiernum usque diem in memorata Ecclesia Cathedrali Lessinensi magnâ fidelium devotione colitur & asservatur. *Bagatta. To. 2. l. 5. c. 2. §. 6.*

O anima mea collige vel ex hoc, quomodo pientissimum COR JEsu non ultionem, non perditionem, sed unicè salutem tuam desideret: *Cùm JEsus,* inquit S. Bernardus, *in summa crucis esset amaritudine, nihil exivit de ejus Corde, nisi dulcedo.* Vide, quàm dulciter & amicissimè suis inimicis responderit, cùm ipsum interrogarent: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Audi & admirare suavissimum responsum: *His plagatus sum,* inquit, *in domo eorum, qui diligebant me.* Ecce suavissimum COR JEsu, verè balsamum deficientibus. *S. Bern. l. de pass. Dom. c. 12. Zach. 13. 6.*

Hoc tibi ô anima Christiana à Crucifixo & moriente JEsu lacrymosè dici existima. Ecce quomodo plagatus sim à te, qui tamen adeo,

UVA. BHSC. BU 00661

Jer. 31, 3. adeo, & quidem in charitate perpetua dilexi te. Vide vulnera mea, tot luculenta amoris mei in te testimonia; vide manus ac pedes durissimis clavis perforatos; vide, quomodo superbia tua caput meum spinis cinxerit; vide, quomodo gula tua os meum felle & aceto potaverit; vide, quomodo lascivia tua totum Corpus meum innumeris plagis repleverit. Nunc nil restat amplius, quàm ut COR quoque meum tibi tradam. Et ecce habes hoc etiam in pignus sinceri amoris mei! Veni Longine, quid moraris? aperi COR meum, ut exinde balsamum vitæ fluat in salutem non tam amicorum, quàm & meorum crucifixorum, omniúmque inimicorum, pro quibus æquè veniam ac misericordiam flagito: *Pater ignosce*, O Bone JEsu! ô amor Cru-
Jer. 2, 12 cifixe! Quis hîc non exclamet cum Propheta: *Obstupescite cœli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer*!

7. His attentiùs consideratis, occurrit mihi, cur Angelus ille, qui in præsentia Ezechielis Prophetæ totàm quondam templi fabricam cannâ mensoriâ dimensus est, non etiam ignem sacrum ac perpetuum in altari ibidem die ac nocte ardentem mensuraverit. Mensus quidem est cœlestis Genius longitudinem & latitudinem ædificii, altitudinem portarum, thalamorum, columnarum, fenestrarum, mensarum, vestibulorum, cubiculorum, ac
Levit. 9, 24. graduum, & quidquid in templo erat, peracutè suâ cannâ mensoriâ perlustravit; non tamen ausus est prædictum sacrum ignem, cœlitùs quondam
Ezech. 40, 3. in primo Sacrificio Aaronis submissum, mensurare, sed depositâ suâ cannâ mensoriâ, discessit: *Ecce vir, cujus erat species, quasi species æris, & funiculus lineus in manu ejus & calamus mensuræ in manu ejus &c.* Et quare, obsecro non etiam hunc sacrum ignem dimensus est? an fortasse, quia ignis per suam agilitatem nimiùm inconstans est, nec certam mensuram admittit? Sed Angelus erat, cui non impossibile fuit etiam pondus ignis metiri.

Adverte hîc ingens mysterium. Templum illud typus humanitatis
Joan. 2, 19. Christi JEsu fuit juxta illud: *Solvite Templum hoc, &c.* Quod mysticum Templum tunc mensuratum est, quando in cruce *dinumeraverunt omnia ossa* ejus. Sed ignem sacrum ac perpetuum in altari SS. CORDIS JEsu jugiter ardentem nemo unquam ausus est dimetiri: *hic ignis*, ait Theodore-
Theodoret. in hunc locum. tus, *fuit amor ardentissimus, quo homines* (SS. COR JEsu) *prosequitur*, quem ignem neque Oceanus omnium calamitatum, injuriarum, persecutionum, & omnium peccatorum potuit extinguere. *Igitur*, pergit Theodoretus, *immensus maneat, quia immensus est.* O portæ cœli obstupescite super hoc! Et tu, ô anima mea, exulta ob immensam bonitatem

SS. CORDIS JESU.

CON.

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XL.

SS. COR JESU Crucifixi fons est in horto paradisi, irrigans omnem terram, & lætificans Civitatem Dei.



Fons ascendebat de terra, irrigans universam superficiem terræ. Gen. 2, 6.

1. POstquam creavit DEus cœlum & terram, omnémque ornatum eorum mirè complevit, placuit Divinæ Bonitati etiam fontem in horto paradisi producere, de quo terra (quia nondum pluviæ descenderant) rigaretur, & ad fructus ferendos impinguaretur: *Fons ascendebat de terra, irrigans universam superficiem terræ.* Gen. 2. 6.

Præter hunc fontem benignus DEus etiam fluvium in eodem paradisi horto condidit, qui in quatuor capita sese dividens, longè latéque per sua flumina, hoc est, Phison, Gehon, Tigrim, & Euphra-

UVA. BHSC. BU 00661

Gen. 2, 10. tem superficiem terræ fœcundavit: *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita.*

Hujus fontis & fluminis meminit etiam Ecclesia, dum Sacerdos fontem baptismatis Sabbato sancto benedicens, aquam ex eodem fonte lustrali in quatuor mundi partes dividit, dicens: *Qui te de paradisi fonte manare fecit, & in quatuor fluminibus dividens, totam terram rigare præcepit.* Pulcherrima est hæc figura, ac digna notatu, plurimísque referta mysteriis, cui interim fonti, in quatuor rivos sese dividenti, omnémque terram cum fœcunditate irriganti, pro Lemmate inscribo:

Rigat, ut erigat.

Per hunc fontem & fluvium ex horto paradisi in salutem totius universi promanantem, omnibúsque copiosè fœcundatis, atque refectis felicissimè progredientem, quid in umbra aliud præsignatum fuit, quàm SS. ac divinissimum COR JEsu in medio terræ seu pectore Crucifixi? Verus *fons vitæ, fons signatus, & font hortorum,* qui terram aridam, inanem, & vacuam, hoc est, animam nostram, per sanguinem & aquam, inde largissimè profluentem, de novo erexit, nec erexit tantùm, sed & mirè fœcundavit, & optatos progerminare fructus fecit.

Ps. 35, 10. Cant. 4, 12.

Quòd autem fluvius ille paradisi ex venis terræ jugiter manans, ac scaturiens tandem in quatuor alia flumina fuerit divisus, rectè quatuor alia Christi vulnera in manibus ac pedibus per illa fuerunt adumbrata: *Voluit Christus,* sunt verba Ven. P. Vincentii Caraphæ, quondam Societatis JEsu Præpositi Generalis meritissimi) *post mortem COR suum aperiri, & transfigi ad reserandum nobis quintum fontem aquarū salientiū in vitam æternā, supra alios quatuor ante reseratos, quibus abluemur, refocillaremur, & nutriremur, &c.*

Vincent. Caraph. in fasc. Myrrhæ.

2. Hunc saluberrimum gratiarum fontem, SS. COR JEsu, cùm Propheta Regius in spiritu prævidisset, quódve ex illo totum hoc universum esset restaurandum, & in integrum restituendum, flumi-

ni

ni illud comparavit, læto ac perenni fluxu ex sacro Dei throno cum impetu decurrenti, & Beatorum civitatem mirè recreanti: *Fluminis impetus*, inquit, *lætificat civitatem Dei.* Et in veritate hic fons (SS. COR JEsu) lætificavit cœlum, dum Angelorum ruinam per Electorum animas reparavit; lætificavit terram in peccatis deperditam, dum eam cum Patre cœlesti reconciliavit; lætificavit limbum ac purgatorium, quorum animas misericorditer liberavit, earúmque noxas abluit, atque æternæ hæreditati transcripsit; lætificavit & Ecclesiam Dei, quæ pariter per hanc civitatem Dei adumbrata est, dum hoc SS. COR JEsu in omnes quatuor orbis partes sese diffudit, ad quod etiam velut ad centrum suum omnes pii confluunt, & ad illud suas operationes referunt; lætificavit denique & animam nostram, dum eam super carbones denigratam non in sanguine duntaxat & aquâ mundavit, sed & impetu gratiarum, hoc est, Spiritu sancto abundè replevit. O quàm bene igitur S. Clemens P. M. cùm Divinum illum Agnum in excelso monte stantem, & ex eo fontem vivum in salutem Christianorum promanantem vidit, præ gaudio in medio exilii exclamavit: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* O Anima chara! cur tristatur Cor tuum? Ecce! etiam hîc *apud te est fons vitæ*, qui in rupe Calvariæ quondam exortus, necdum hodie manare cessat. Accede igitur, & magna cum devotione suavissimas illas sanguinis stillas ex hoc SS. CORDE JEsu defluentes lambe, & experieris, quàm magna sit multitudo dulcedinis ejus.

Ps. 45, 5.

Le Blanc. tom. 3. *in Ps.* 45, 5.

Ps. 35, 10.

3. De Ezechiele Propheta refert Scriptura, quòd ad portam Domûs Dei salutiferas aquas ex dextro templi latere copiosè in salutem hominum & animaliũ profluentes conspexerit, ex quibus tandem ingens torrens, qui transvadari non poterat, effectus est, qui omnia, ad quæ pertingebat, mirabiliter sanavit, conservavítque: *Aquæ autem descendebant in latus templi dextrum ad meridiem Altaris.* Et paulò pòst iterum: *Et ecce aquæ redundantes à latere dextro &c.* Res mira! ad quid hæc aqua in templo, & quidem à dextro ejus latere in commodum tum hominum, tum animalium profluens?

Ezech. 47, 1.

UVA. BHSC. BU 00661

Observa, Anima Christiana! per hoc templum Christus JEsus & hic Crucifixus designatus fuit, qui de se ipso coram Judæis testatus
Jo. 2, 19. est: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, de cujus dextro latere ex sacratissimo perforato CORDE in ara Crucis redundavit unda & cruor: *ut nos lavaret sordibus, manavit undâ & sanguine.* O fons lucidissime! fons dulcissime! qui velut torrens juxta Ezechielem se effudit: *Et vivēt omnia, ad quæ venerit torrens.*

4. Subnecto huic figuræ aliam non minore considerationedignam. Obstruxerat quondam invidia incolarum Isaaco obedientissimo Abrahami filio viventes puteos, quos priùs Abraham Pater ejus pro familiæ suæ cōmodo effoderat. Verùm Isaac nec labori, nec industriæ parcens, tandem post multas cum incolis contentiones alium fontem invenit, ac eruit, ex quo abundantes, & suaves aquarū rivuli pro conservanda familia & cunctis jumentis adaquan-
Gen. 26, 32. dis profluxêre: *Ecce autem venerunt in ipso die servi Isaac, annuntiantes ei de puteo, quem foderant, atque dicentes: Invenimus aquam, unde appellavit eum ABUNDANTIAM.* Verùm neque hæc res caret mysterio; sicut enim Isaac typus Christi in Cruce immolandi fuit, sic & fons iste omnibus affluenter & in abundantia aquas salubres subministrans singulare quoddam præsignavit Sacramentum.

O bone JEsu! O Amor Crucifixe! Tu es ille fons amoris, benedictionis, & omnium gratiarum, qui in ligno suffixus non unam duntaxat sanguinis guttam, (quæ tamen propter unionem ad verbum millenis orbibus redimendis sufficisset) sed omnem cruorem ex Sacratissimo CORDE, & quinque SS. Vulnerum canalibus, ceu gratiosis fontibus, tanquam irriguum profluvium abundantissimè effudisti. O quàm meliùs SS. COR tuum vulneratum, & patens omnibus cum Isaaco appellare possumus ABUNDANTIAM, quia
Ephes. 1, 7. in illo *habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum secundùm divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis.* Hîc adimpletum fuit illud Zachariæ vaticinium. *In illa die*
Zach. 13, 1. *erit fons patens domui David & habitantibus Jerusalem in ablu-*

tionem

UVA. BHSC. BU 00661

tionem peccatoris. O peccatores, quid statis otiosi? quare miseri in peccatis vestris moriemini? Ecce patet fons, assiduò ex perforato Divinissimo CORDE JEsu Crucifixi manans, & vos siti vultis perire? Patet fons medicus ac summè salutaris, & vos non vultis à lepra animæ ac sordibus peccati mundari? *De latere Christi*, sunt verba S. Cypriani, *egreditur fons in vitam æternam, & non in mortem. Ex hoc fonte perennes effluunt rivi misericordiarum, & totius pietatis effectus &c.* S. Cypr. de pass. Dom.

5. Venit hîc mihi in mentem, quod Augustæ Vindelicorum vidi Anno post Christum Natum 1690. die 26. Januarii cùm ibidem JOSEPHUS Primus Ungariæ Rex, LEOPOLDI Primi, Magni Romanorum Imperatoris Filius à Serenissimis Imperii Romani Electoribus in templo Imperialis monasterii ad SS. Udalericum & Afram in Regem Romanorum unanimi voce electus, & mox solennissimâ pompâ in Ecclesia Cathedrali B. V. M. coronatus est, ante curiam in foro Berlacensi inter alia visu digna spectacula etiam fons præparatus erat, in cujus summitate aquila biceps prominebat, quæ à prandio tribus horis ex aperto CORDE rubro & albo vino liberalissimè in omnes fluxit. Cui Austriaco fonti pro lemmate impones: *Mea gloria spargi est.* Vel si magis placet illud S. Jacobi: *omnibus affluenter.*

O anima Christiana! leva & hîc in circuitu oculos tuos, & intuere Crucifixum Redemptorem tuum, verè Aquilam bicipitem, quia divinâ & humanâ naturâ constat: vide, inquam, hanc mysticam Aquilam, quomodo in cruce SS. COR ejus duplici vino, rubro & albo, hoc est, sanguine & aquâ in salutem totius generis humani fluat: *Et continuò exivit sanguis & aqua.* Jo. 19. 34.

6. De Aquila recenset ulteriùs Moyses, quòd non tantùm pullos suos è nido ad volandum provocare, sed & imbecillem prolem humeris suis portare soleat: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis.* Addit Job, quòd aquila in pectore seipsam nostro sauciare, & pullis suis cruorem ad sorbendum propinare soleat: *Pulli ejus lambent sanguinem &c.* Deut. 32. 11. Job. 39. 30.

O

UVA. BHSC. BU 00661

O mi JEsu Crucifixe! dixi, tu illa mystica Aquila es, in trabali ligno expandens alas tuas, atque ad volandum nos provocans, imò propriis nos humeris ad cœlos deportans. Et necdum hîc se sistit immensus amor tuus, dum insuper pientissimum COR tuum aperiri voluisti, ut nos pullos tuos ex hoc vivo Sacrosancti Sanguinis fonte non tam vivificares, quàm etiam in vitam æternam quotidie
1. *Cor.* 6, 20. in SS. Eucharistia enutrires: *Pulli ejus lambent sanguinem.* O pretium magnum! pretium immensum! Verè
1. *Petr.* 1, 19. *empti estis pretio magno, non corruptibilibus auro vel argento, sed pretioso sanguine, quasi Agni immaculati Christi & incontaminati.* Venite ergo animæ
Isa. 55, 1. Christianæ! venite omnes peccatores terræ: *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite & comedite: venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione vinum & lac* de aperto & dulcissimo CORDE JEsu Crucifixi.

7. Dic anima Christiana! quare Dismas felicissimus ille latro à Christo in cruce patiente tam citò & quasi momento fuerit in gra-
Luc. 23, 24. tiam receptus, vix enim dixerat: *Domine memento mei &c.* Et mitissimus orbis Redemptor sine mora annuit: ita, ita: *hodie mecum eris in paradiso?* Quid, quæso, boni fecit hic latro, quòd sine ullo purgatorio ad cœlestem paradisum transierit? Nonne verum est,
1. *Cor.* 3, 13. quod S. Paulus confirmat: *Uniuscujusque opus manifestum erit: Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit?* quomodo ergo hic latro tam scelestus tam nefarius sine igne purgante ad æternam gloriam pervenit? S. Udalricum Episcopum Augustanum SS. Severinum & Annonem Archiepiscopos Colonienses, & alios plurimos Sanctitate celebres ob levem culpam ignibus piacularibus ad breve tempus adjudicatos esse, ex probatissimis historiis non ignoramus. Et hic latro, totus quantus in sceleribus enutritus, sine ullo igne piaculiari ad paradisum recipiatur? quæ causa mysterii?
Ps. 35, 7. Suspende judicium anima christiana: *Judicia Dei abyssus multa.* Latro hic primus fuit, qui ad vivificum gratiarum fontem, hoc est, ad SS. COR JEsu, cùm in cruce crudeli militis lanceâ transfode-

UVA. BHSC. BU 00661

foderetur, tanquam sitibundus cervus, veneno lethali infectus, pervenit. Et ecce! cùm sanguis & aqua ingenti impetu inde prosiliret, corpus ejus unicâ stillâ aspersum fuit, quæ ab omni sorde illum mundavit, & animam ab omni culpa & pœna tum temporali, tum æterna misericorditer liberavit. Ita Hugo: *Sacratissimo Sanguine latro ille aspersus est, ideo in ictu oculi paradisum intravit.* *Hugo lib. de anim. regress. & alii.*

8. Nunc pro dictorum coronide historiam accipe. Anno 765. Cùm Constantinus Junior & Irene Mater ejus feliciter regnare cœpissent, accidit in civitate Beritho, quæ in finibus Tyri Antiochensi ditioni subjacet, sequens stupendum miraculum. Christianus quidam non longè à Synagoga Judæorũ conductũ inhabitaverat domicilium, in quo venerandam quandam Christi in cruce patientis imaginem habebat, in pariete contra faciem lectuli sui affixam, quam quondam Nicodemus vir integerrimus, qui cum Joseph ab Arimathæa Dominum de ligno depositum magnificè sepelierat, utpote artis sculptoriæ peritissimus elaboraverat: hanc, inquam, antiquissimam Crucifixi statuam, quæ integram Redemptoris nostri effigiem exhibebat, cùm Christianus domicilium suum cum Judæo commutâsset, per oblivionem, vel potiùs ex Divina Providentia, rem sic mirabiliter ad Crucifixi cultum & animarum salutem disponente, ibidem in cubiculo reliquit. Accidit, ut Hebræus quidam ingressus, S. Iconem adhuc in pariete affixam spectaret, quam mox variis injuriis & maledictis (prout hi impii deicidæ etiamnum facere solent) affecit, incusans novum domûs inquilinum, quòd, cùm Judæus esset, JEsu Nazareni Crucifixi effigiem in suis ædibus clam retineret. Hospes se purgare studens, jurejurando constanter affirmabat, se hactenus memoratam iconem nunquam conspicatum esse. Quid hîc expectas optime Lector? Mox Judæi in civitate certatim, quasi facto impetu domum illam concurrunt, Hebræum, qui ignorans hæc fecerat, è Synagoga ejiciunt; tum in Crucifixi imaginem furore & plùs quàm caninâ rabie debacchantur quam millenis convitiis & opprobriis affectam in terram detrahunt, de Cruce deponunt, fœdè conspuunt, pedibus *Mancin. S. J. de pass. Dom. l. 4. diss. 8. f. 387.*

UVA. BHSC. BU 00661

pedibus proculcant; flagellis onerant, ac demum de novo ferreis & acutis clavis cruci affigunt; & ne quidquam opprobrii omitterent, postquam fel & acetum in spongia ori illius apposuerunt, crudeli lanceâ SS. Latus ejus transfodiunt, ex quo, O stupendum prodigium! sine mora fons geminus sanguinis & aquæ copiosissimè defluebat. Quo spectaculo Judæi variè affecti & attoniti, ut rei exitum contemplarentur, hydriâ laterali ejus vulneri appositâ, promanantem inde cruorem & aquam exceperunt, eandémque hoc sacro liquore repletam ad synagogam suam deportârunt.

Hæc inter in urbe ad prædictam Synagogam convocantur ægroti, languidi, cœci, claudi, paralytici, febriculosi, & diversis infirmitatibus affecti, qui omnes & singuli, cùm à Judæis hoc SS. Sanguine & aquâ perungerentur, confestim sanitati divinitùs restituti sunt. Hinc tantus factus est populi concursus, ut locus, quamvis amplissimus, omnes capere non valeret, omnes tamen sanitate donati, magno exultantis animi jubilo, & unanimi voce Christum JEsum mundi Redemptorem deprædicantes, abibant. Exortus est subinde fletus magnus in populo & admiratio omnium. Hebræi cuncti utriusque sexûs perfidiam suam detestantes, sine mora Christo JEsu Crucifixo sua nomina dederunt, & ad pedes Episcopi provoluti, scelera sua humiliter & cum lacrymis confessi sunt, qui post triduanum peractum jejunium in fide orthodoxa instructi, in aqua & Spiritu S. regenerati sunt. Et quia Venerab. Antistitem humiliter rogabant, ut Synagogam suam in Ecclesiam consecraret, acquiescens eorum petitioni Episcopus, eam solemni ritu cum Clericis ad honorem Redemptoris mundi consecravit, dedicavítque: Sanguinem verò & aquam, ex Pectore Christi prodigiosè promanantem, quantum adhuc in hydria supererat, vitreis ampullis exceptum, in diversas Ecclesias per Asiam, Africam, & Europam distribuit, festúmque publicum institutum fuit, quod ad hujus stupendi miraculi memoriam 9. Nov. dignâ observatione & annuâ celebritate tam in Orientali, quàm in Occidentali Ecclesia imposterum recoleretur. De quo insigni miraculo etiam Martyrologium Rom. hisce verbis attestatur: *Berythi in Syria commemoratio Imaginis Salvatoris, quæ à Judæis crucifixa tam copiosum emisit sanguinem, ut Orientales & Occidentales Ecclesiæ ex eo ubertim acceperint.*

Baronius in annot. ad Martyrol. 9. die Nov.

O bone JEsu! quis non miretur SS. CORDIS tui bonitatem! O verè fons omnium bonorum! Sonant alapæ, sputa volant, armant se spinæ, flagra crepant, clavi intonant, cruci affigitur de novo à perfida gente optimus JEsus, ejúsque SS. COR immiti transfigitur lanceâ; & ille, O cœli obstupescite! sit Medicus, imò Pater omnium, bonúmque pro malo reddit, ipsósque suos persecutores in gratiam ac paternos recipit amplexus? Quis unquam audivit talia? *O duri*, inquit S. Bernardus, *& indurati filii Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris?* O duri! O duri!

S. Bern. serm. 2. Pentecost. in fine.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XLI.

SS. COR JESU vera Propitiatio peccatorum, ad quod amandum & colendum omnes hominum ſtatus invitantur.



Redite prævaricatores ad Cor. Iſaiæ 46, 8.

1. TRadunt, qui naturæ abdita ſcrutantur, quòd aquila non aquam, ut aliæ volucres, ſed ſanguinem bibere ſoleat; hinc nullus cibus illi magis in oculis, nulla eſca magis in deliciis eſt, quàm cor, ad quod avidiſſima advolat, quia in eo aliquod vaſculum cruore vivo redundans (quod eſt venarum fons & principium cæterorum motuum) invenit, ex quo puriſſimo hauſto ſanguine non ſitim duntaxat extinguit, ſed & ſolidâ ac ſapidiſſimâ illius carne famem depellit.

Hoc idem ardentiſſimum deſiderium erga cor in Falcone experimur, qui, licèt volatu directo nullâque diſtorto ambagibus ad præ-

UVA. BHSC. BU 00661

dam acceleret, ad unum tamen aucupis nutum, dum cor animalis illi de longinquo ostendit, sine mora relictâ prædâ ad ejusmodi cor redire solet, & sic ultro præ amore cordis ad sua vincula redit, cui pro lemmate inscribes illud Aresii: *Ostendere sufficit*; vel potiùs ad propositum:

Redibit ad Dominum.

Agite Animæ Christianæ! Exhibet & nobis dulcissimus JEsus in SS. Eucharistia, & in Cruce SS. COR suum amore nostri, & lanceâ militis saucium, tanquam veram propitiationem pro peccatis nostris: &
1. Jo. 2, 2. *ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Et in alio loco habet idem dilectus Christi Discipulus: *Misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.*
1. Jo. 4, 10. Imitemur igitur Aquilam & Falconem, & ad amabilissimum ac divinissimum COR JEsu, relictis omnibus temporalibus rebus ac curis, magno animi affectu, zelo ac devotione contendamus, hîc enim omnia in hoc SS. CORDE JEsu habemus veniam, gratiam ac misericordiam. S.
Jo. 20, 20. Thomam Apostolum consulite, & nunquid propter incredulitatem suam ferè ut præda in laqueos diaboli incidisset? Verùm ubi SS. ac pretiosiss. COR JEsu intuitus est, mox in se reversus, & in alterum virum mutatus est; unde amore divino penitus colliquescens, corde intimè contrito & humiliato exclamavit: *Dominus meus, & Deus meus!* O peccatores omnes, si hactenus secuti estis Thomam errantem, sequimini & pœnitentem: *Redite prævaricatores ad COR.*
Isa. 46, 8.

2. Communissima apud Theologos sententia est, quòd pro salute mundi, eóque cum Patre cœlesti reconciliando, atque ad satisfaciendum ex condigno Justitiæ Divinæ, omnibúsque hominibus gratiam & gloriam promerendam unicus virtuosus actus SS. CORDIS JEsu, v. g. unicus gemitus, unicum suspirium, &c. sufficisset. Ratio est, quia quælibet actio SS. CORDIS JEsu *Theandrica* erat, sive *Hominis Dei*, & idcirco infiniti meriti ac valoris. Ad quid ergo tam abundans redemptionis nostræ pretium?

An observâstis aliquando, Animæ Christianæ! quòd in morte hujus SS. CORDIS JEsu Crucifixi præ [illegible] & amoris vehementia disrupti

UVA. BHSC. BU 00661

disrupti, universa terræ machina adeo contremuerit, ut totus terræ globus è centro suo convulsus videretur: *Terra mota est*, inquit S. Matthæus. Et cur mota est? an fortasse, quia terra compatiebatur Creaturi suo nunc in ligno extincto? an, quia impios & execrandos deicidas in tartarum vivos voluit præcipitare? aut, quia non potuit amplius tantum ac tam immensum peccatorum pondus sustinere? Omnia bene & rectè, sed alia adhuc & majori digna admiratione latet causa. Audite, quæso, pulcherrimam rationem Didaci de Castillo, quam, rogo, ut omnes intimis sui cordis penetralibus imprimant: *Emanârat*, inquit hic Vir & doctrinâ & pietate insignis, *largiter per Vulnera sanguis, & forsan aliqua ejus portio ob gravitatem nativam in ima parte PECTORIS remanebat, unde exire non poterat, nisi excuteretur artificiosè: ideo inusitato fragore terra concutitur, ut illo etiam crux moveatur, & sanguinis illud reliquum in pectore agitatum per Vulnus Lateris foràs proflueret, quia si vel guttula remaneret, conquereretur amor, vel minimam sanguinis guttulam pro humana salute non oblatam & effusam.* O bone JEsu! O amor! O totus amor! dum enim COR tuum nobis præbuisti, omnia simul tribuisti, nec sufficit amori tuo etiam Cor præbuisse, si non etiam minima ejus sanguinis stillula per terræ motum excuteretur. O abyssus divinæ charitatis! O prodigium amoris omnium maximum! utpote qui unicâ & primâ sanguinis guttulâ in Circumcisione potuisses millenos ac millenos mundos redimere, tandè in cruce dedisti ultimam? O amor! O amor! contremiscit manus, dum hæc scribit, mens præstupore tantæ bonitatis stat attonita, nec seipsam amplius potest capere ob tantam bonitatem. Hoc solùm cum B. Jacopono potest dicere: O amor! O amor! quàm parùm te cognoscunt mortales! *ah amor non amatur! ah amor non amatur!* O amantissimum COR JEsu verè non agnoscunt te homines, ah non agnoscunt: *O filii hominum usquequò gravi corde?*

Matth. 27. 51.

Didac de Castillo Illat. 46.

Ps. 4. 3.

3. En efficacissimum medium, apud patrem ~~æternum~~ impetrandi, quidquid cor vestrum desiderat, si illi SS. COR Unigeniti Filii sui in condignam ~~satisfactionem~~ pro vestris demeritis offeratis. Et

UVA. BHSC. BU 00661

nunquid potest esse Orator facundior & efficacior in cœlo, quàm apertum, saucium, & amabilis. COR JEsu! quod vobis non tantùm per viam misericordiæ, sed etiam per viam justitiæ (observate me bene) poterit impetrare veniam ac salutem; per viam justitiæ dico, quia SS. CORDI JEsu & Sanguini ejus debitum est, hoc enim illud promeruit, & per viam gratiæ, & hanc SS. COR JEsu nobis impetravit. Quis igitur peccatorum desperet? Certè ego non, etiamsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, si SS. COR JEsu mecum est, quia propitiatio est pro peccatis meis.

Josephus l. 3. de bello Jud. c. 8. Occurrit hîc mihi generosus ille Antipater, qui, cùm injustè apud Julium Cæsarem accusatus fuisset, quòd partes Pompeji secutus contra Imperatorem conjurationem adornâsset, Romam ex cruenta pugna rediens, pectus suum cicatricibus ac vulneribus plenum publicè ostendit: *Hæc* inquiebat, *O Imperator! non perduellionis sed summæ in te fidelitatis sunt indicia. Aspice in generoso pectore vulnera adhuc sanguine stillantia, quæ ob tui causam ac defensionem accepi.* Quibus verbis & ostenso pectore vulnerato commotus & placatus Imperator, Antipatrum utpote innocuum non modò à falsa accusatione absolvit, sed & procuratorem illum universæ Judææ constituit. O Animæ Christianæ! non Antipatrum, sed ipsum pientissimum Salvatorem vestrum JEsum, nunc ut glorioſissimum de morte Triumphatorem vobis propono, quomodo in cœlo post cruentum in Calvario conflictum nunc patri æterno non tantùm sua SS. Vulnera in manibus ac pedibus, sed principaliter ac primariò etiam Sacratiss. ac Diviniss. COR suum crudeli quondam ferro perfossum, exhibeat. Et quomodo potest esse repulsa, si hæ literæ nostræ credentiales, hoc est, SS. COR JEsu pro nobis & loco nostri ad Patrem æternum loquuntur? sine dubio, quidquid ad salutem nostram necessarium ac conducens est, per illas consequemur. Petite ergo, *Rom. 3, 25.* O Mortales, petite, & per Nomen ac COR JEsu petite, & accipietis *propitiationem per fidem in Sanguine ipsius &c.*

4. O pretioſissimum COR JEsu, cui ulterius te possum assimilare? *Æthna amoris* es, sub niveo & candido tegmine in SS. Eucharistia im-

UVA. BHSC. BU 00661

immensum charitatis tuæ ignem tegens, animámque sanctam inflammans, ac omnia nostra peccata comburens atque consumens. S. Gertrudem Virg. honoris erga SS. COR JEsu zelosissimam consulite, quæ, cùm aliquando post sacram Synaxin receptam coram Crucifixi imagine ardentiùs oraret, & ob tam immensum beneficium DEO suo persolveret, derepente ex aperto hoc divini amoris Vulnere, hoc est, de SS. CORDE JEsu splendorem quendam mirabilem ac planè divinum egredi conspexit, quo quasi telo ignito COR ejus percussum est: unde tota in amorem Redemptoris sui Eucharistici & Crucifixi exarsit, nec ullis unquam tentationibus ac difficultatibus ab ejus amore avulsa est. Ad quod subjungit devotissimus Abbas Ludovicus Blosius: *O beatos illos, qui hujus sunt Vulneris participes, quorum corda sic configit amoris Christi lancea ac sagitta, ut deinceps perenni charitatis ardore ferveścant!* *Blos. in marg. sp. c. 9.*

Quis ignorat de S. Philippo Nerio, cujus Cor hæc divini amoris flamma adeo dilatavit, ut aliquæ costæ illius tanto ardori ferendo omnino impares, è statione fuerint dimotæ, ut locum ampliorem cordi ejus pararent ad SS. COR JEsu totâ cordis latitudine amandũ.

Nec minori admiratione dignum est, quod in vita S. Thomæ Villanovani de piissimo quodam Ascetæ Ordinis S. Augustini Eremitarum Religioso refertur, quòd singulis ferè noctibus Sacratissimum laterale Vulnus Crucifixi JEsu adinstar lampadis lucidissimæ totum ejus cubile illuminaverit, ad quam divinam lucem Ascetes ille studebat, orabat, meditabatur &c, ô quanto animi cum ardore & amore erga SS. COR JEsu! *Pronum autem cogitare est*, adjungit hîc doctissimus Hadrianus Lyræus, *lucem hanc, uti aliàs ex ardore pronasci solet, ita & hîc Cor boni Ascetæ flammis suis fortiter, suaviterque ustulâsse.* O peccatores omnes! ad hanc quoque divinam lucem & vos accedite, *accedite*, inquam, *& illuminamini, & facies vestræ non confundentur.* *Lyr. de Imit. Jes. pat. l. 5. c. 6.*

5. Sed attendite, majora referam. Et nunquid aberrabo à scopo, si hoc Sacratissimum & Divinissimum COR JEsu cum Calvariæ monte comparavero? Et quid est mons Calvariæ? An non locus & theatrum omnium tormentorum, ubi rei torquebantur, cruciabantur,

UVA. BHSC. BU 00661

tur, occidebantur, & ipse Dei Filius crudelissimam mortem subire voluit? O verè locus tormentorum! Sed & locus omnium gratiarum ac misericordiarum fuit, & etiamnum est idem Calvariæ mons, ubi Isaac quondam, jam jam super struem lignorum immolandus, benignè ab Angelo liberatus fuit, Adam ibidem sepultus, Redemptoris sanguine de cruce stillante ad gratiæ vitam revocatus, ubi tot milleni ac milleni alii salutem suam & propitiationem delictorum invenerunt, totúsque terrarum orbis per mortem Filii Dei cum Patre æterno misericorditer reconciliatus est.

O pientissimum COR JEsu, tu, inquam, non absimile fuisti huic Calvariæ monti, quia locus & theatrum pariter eras omnium tormentorum, quia in medio tui per omnem vitam crux plantata fuit, & quia Pater *in te posuit iniquitates omnium nostrûm*, per tam infamem crucis necem expiandas. O verè locus tormentorum! sed & locus ac fons simul es omnium gratiarum, beneficiorum, & benedictionum, per quod credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte; ex te omnis salus totius Ecclesiæ omniúmque fidelium unicè promanavit; ex te omnia merita Sanctorum suum hausêre, & hauriunt valorem; ex te spongiam habemus, per quam chirographum damnationis æternæ, mortísque characteres possumus delere & extinguere; ex te denique omnia habemus in uno cumulo congregata: *Totum præbetur in uno.*

Isa. 53, 6.

O quàm bene igitur optavit, milliésque desideravit Seraphicus ille Doctor, & amator SS. CORDIS JEsu zelantissimus S. Bonaventura, ut loco illius lanceæ fuisset, quò per latus JEsu Crucifixi usque ad intima SS. CORDIS ejus penetraret! Invidebat nimirum hic tantus Pater sacrâ quadam invidiâ lanceæ illi crudeli tantam felicitatem, proinde, proinde admirabundus exclamavit: *O beata lancea, ac beati clavi, qui apertionem hujusmodi facere meruerunt. O si fuissem loco illius lanceæ, exire de Christi latere noluissem, sed dixissem: Hæc requies mea in sæculum sæculi, quoniam elegi eam.*

S. Bonav. p. 1. stim. c. 1.

6. Desideratis fortasse, ut per exempla hanc veritatem magis vobis demonstrem, quàm pronum sit SS. COR JEsu ad condonandos errores, & ad nostram promovendam salutem? Audite rem admi-

S. Antonin. 3. p. tit. 24. c. 5. §. 7.

ra-

UVA. BHSC. BU 00661

ratione dignam. Ordinem Seraphicum S. P. Francisci Juvenis quidam doctissimus ingressus fuerat, ut in illo ab hominum turba semotus feliciùs Crucifixo Redemptori suo in paupertate suíque abnegatione serviret. Audiit hoc mater ejus, quæ egestatis suæ titulum prætendens, & injustitiæ RR. PP. Franciscanos accusans, à superioribus illius Sacri Ordinis instanter petiit, quatenus filium suum, unicum senectutis solamen & baculum sibi restituerent. Flexus tandem matris lacrymis hic Novitius, cùm jam jam abitum è sacris claustris in mundum hunc immundum pararet, priùs ad Crucifixi Redemptoris sui effigiẽ contendit, ubi in genua procumbens, atque speciosum illum titulum maternæ inopiæ sublevandæ prætendens, à Christo Domino discedendi veniam postulavit. Quid hîc expectatis amici? Ecce mitissimus JEsus in cruce pendulus SS. COR suũ lanceâ perfossum, de quo purpureus cruor copiosè promanârat, ei ostendit, simúlque in has voces solutus est: *Ego te cariùs nutrivi, quàm Mater tua, non me debes deserere propter matrem*, quod audiens Juvenis, prodigio attonitus, in priori proposito non tantùm de novo confirmatus est, sed & in religione sacra constanter Deo usq; ad vitæ finẽ servivit. Tantùm profuit huic Novitio, ad SS. COR JEsu confugisse. *Si tentationum sentis aculeos*, monet hîc Mellifluus Bernardus, *exaltatum in ligno serpentem æneum intuere, & suge non tam vulnera, quàm ubera Crucifixi. Ipse erit tibi in matrẽ, & tu eris illi in filiũ &c.* S. Bern. ep. 351. ad Hug. Novit.

7. Non absimile huic est, quod B. Lutgardi Tungrorum urbe oriundæ contigit. Sedebat hæc Virgo aliquando cum proco suo in cubiculo, cum quo familiarem non inhonestum miscebat discursum, quo finito & proco abeunte, apparuit ei Christus in ea forma, quâ inter homines quondam conversatus est, & à pectore vestem suã nonnihil removens, ostendit ei apertum ac vulneratum COR suum, recenti sanguine purpuratum, hísce eam verbis alloquens: *Blanditias inepti amoris posthac vide, ne requiras; hîc jugiter contemplare, quod diligas, & quam ob rem diligas: hîc ego totius puritatis delicias tibi polliceor obtinendas.* Quo miraculo stupefacta Lutgardis, nihil imposterum ampliùs, quàm JEsum & hunc Crucifixum cogitare cœpit. Unde absque mora omnem mundi vanitatem à se aman- Hadr. Lyr. de imit. Jesu pat. l. 5. c. 6.

UVA. BHSC. BU 00661

amandavit, ordinémque Cistercienſium Sanctimonialium ingreſſa, piiſſimè vixit, ac tandem à Chriſto impetravit, ut in pignus ſalutis æternæ ei proprium SS. COR ſuum conſignaret, & ipſa viciſſim Chriſto Cor ſuum traderet. Quam gratiam & S. Jutta Vidua à Chriſto JEſu obtinuit, cui dulciſſimus Dominus ſub oratione plenam dedit poteſtatem, è pretioſiſſimo ærario Diviniſſimi CORDIS ſui, quemcunque vellet, theſaurum depromendi. Item S. Margaritha pœnitens, ad quam aliquando Chriſtus: *Nulli cor tuum præbeas, niſi mihi dilecto tuo, ſolum me dilige.* Sic & B. Angela Fulginienſis, quia hoc SS. COR JEſu tenerrimo ſemper amore proſequebatur, ad ſuaviſſimum oſculum ejusdem SS. CORDIS invitata, & admiſſa eſt, quis dicet cum quanta animi dulcedine?

Nil. Myſt. p. 4. Exhort. 10. in fine Jacobill. de Sanctis Umbriæ.

8. Hæc cùm ita ſint, quid agimus mortales? quare in noſtris tum animæ tum corporis neceſſitatibus non ex toto corde ad SS. ac Diviniſſ. COR JEſu confugimus? Agite, venite omnes, ac vos comprimis, qui judicatis terram, Reges, Principes, Illuſtres, Nobiles omnes, venite, inquam ad SS. COR JEſu, vos enim ad augendum ejusmodi honorem divinum peculiariter deſiderat. Unde in vita pauperes quidem piſcatores ſibi ſocios elegit, ſed ubi hoc dulciſſ. COR JEſu in ligno crucis ferro Longini publicè apertum fuit, Principes, Nobiles ac divites (Nicodemum videlicet Principem Judæorum & Joſephum ab Arimathæa nobiliſſ. ac divitem Decurionem) ſecum habere voluit, qui intima Sacratiſſ. CORDIS ſui ſcrutarentur, exanime Corpus cum aromatibus honorificè ſepelirent, ſuoque illuſtri exemplo orbi Chriſtiano oſtenderent, quo amore & honore dignum ſit SS. COR JEſu Crucifixi. Venite & vos Sacerdotes Dei, illuſtrior pars gregis Dominici, ac vos præſertim, qui curam animarum geritis, venite, inquam, ad SS. COR JEſu & Euchariſtici & Crucifixi, & tanquam apes argumentoſæ ex hoc purpureo Campi Flore & transfixo CORDE JEſu ſuaviſſ. mel veræ devotionis vobis, & aliis veſtræ curæ commiſſis colligite, juxta exemplum illius Venerandi Sacerdotis Antonii Martinii, viri honoris Dei & proximi ſalutis zelantiſſimi, cui JEſus ut tenellus Puer apparuit arcu & pharetrâ inſtructus, & in cor ejus ſagittam jaculatus, vulnus in eo amoris reliquit. Quod & B. Angelo del Paz ex Ordine Minorũ Sacerdoti accidit, qui, cùm in corde ſuo ferè nil aliud niſi dolores patientis JEſu meditaretur, ab eo hanc gratiã obtinuit, ut Cor ejus pari vulnere, ac lanceâ transfixum fuiſſet, ſauciaretur, quod poſt beatum ejus obitum aperto ejus corpore omnibus (ſicut SS. COR JEſu vulneratum) non ſine prodigio palam apparuit. Obiit hic Beatus Dei Servus Anno 1596. die 13. Aug. Venite denique vos cives atque Villani divites & pauperes, omnes in unum. Venite & vos peccatores terræ, nemo enim à SS. CORDE JEſu excluditur. Venite, venite, & *redite prævaricatores ad COR.* Si Cor veſtrum ferro & chalybe durius eſt, per hoc inflammatum SS. COR emollietur. Si Cor veſtrum poſuiſtis ut adamantem, per ſanguinem & aquam SS. CORDIS JEſu edomabitur. Si Cor veſtrum ut glacies friget, per ardentes hujus SS. CORDIS JEſu radios in ſalubres lacrymas diffluet, &c.

Engelgr. Dom. 12. poſt. Pent. Had. Lyr. de Imit. Ieſu pat. l. 5. c. 6.

Iſa. 46. 8.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XLII.

SS. COR JESU ex omnibus summè pacificum, in Cruce pacem universalem cœlum inter & terram composuit.



Pacificans per sanguinem Crucis, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. Col. 1, 20.

1. *Pacificúsne est ingressus tuus,* O amabilissimum, ac divinissimum COR JEsu? & pacificus est egressus tuus? Audio divinum responsum: *Pacificus, ad immolandum Domino veni*; ideo cùm vix nascerer in mundum, mox pacem universalem in orbem proclamari volui: *Pax hominibus. &c.* Ideo ad Herodem venire non recusavi, licèt ab eo nil nisi injurias, contemptus, & irrisiones palatinæ illius familiæ præsentirem, ivi tamen, ut pacem inter ipsum & Pilatum redintegrarem: *Nam antea inimici erant ad invicem.* Ideo in Monte Calvario in medio terræ inter mortuos & vivos, atque

1. *Reg.* 16, 5.

Luc. 2, 14

Luc. 23, 12.

UVA. BHSC. BU 00661

atque in aëre cœlum inter & terram medius expirare volui, ut tanquam summus & in ordine redemptionis unicus Mediator inter utramque partem litigantem sepem ponerem, & tot sæculis exoptatam pacem denuò stabilirem: *Pacificans per sanguinem Crucis, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* Col. 1, 20. Ideo in passione os nullum in corpore meo comminui volui, licèt caro innumeris laniaretur vulneribus, quia per ossium compagem Ecclesia mea adumbrata est, quam unam, concordem, ac pacificam, & non in partes divisam esse volo: *Os non comminuetis ex eo.* Jo. 19, 36. Ideo inclinato capite tradidi spiritum, ut non tam dilectissimæ Matri, quàm & hominibus universis ultimum vale dicerem, & denuo osculum veræ ac divinæ pacis offerrem: *Et factus est in pace locus ejus.* Ps. 75, 3. Ideo denique latus meum lanceâ aperiri volui, ut mundo in pignus pacis exhiberem ipsum SS. COR meum, quia per illud & in illo æterno Patri *complacuit reconciliare omnia in ipsum.* Col. 1, 19.

O mi JEsu! O Amor Crucifixe! quàm dulce, quàm amabile, ac quàm pretiosum hoc pacis pignus fuit Sacratiss. ac Diviniss. COR tuum! Olim in Lege pacis typus ac pignus columba Noëmica fuit, cùm enim *rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cœli apertæ sunt,* Gen. 7, 11. ubi diluvium universum terrarum orbem per annum ferè integrum inundavit, tandem cessantibus aquis ad Arcam Noëmicam in monte Armeniæ tunc quiescentem, columba virentem olivæ ramum in signum reconciliationis Deum inter & hominem deportavit: *Et illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum olivæ:* Gen. 8, 11. Cui pro Lemmate inscripserunt: *Divinæ nuntia pacis.*

Verùm nos Christiani post cruentum illud Dominicæ Passionis diluvium (in quo pari modo *rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ* in manibus ac pedibus Christi JEsu Crucifixi, ac demum post mortem ejus ipsæ *cataractæ cœli apertæ sunt*, dum venerandum COR JEsu ferreâ lanceâ perforatum fuit) nunc longè meliori jure pro pacis Symbolo ipsum SS. ac Diviniss. COR JEsu statuimus, cujus virtutem & opem etiam in ipso medio belli tumultu hactenus in regione nostra admirabundi spectavimus. Faxit benignus DEus, ut per infini-

ta

UVA. BHSC. BU 00661

ta merita hujus SS. CORDIS JEsu Eucharistici & Crucifixi paulò pòst in Ecclesia universalem pacem inter omnia Christianorum regna videamus. In quem finem huic vulnerato & transfixo CORDI JEsu supra Crucem jacentem collocato, ex cujus hiante vulnere virens olivæ ramusculus excrescit, pro Lemmate inscribere placuit:

Pignus amabile Pacis.

2. Per elegantem de hac veritate figuram nobis exhibent Sacræ Litteræ, quam paulò fusiùs explicabimus. Achab Rex in Israël contra Syros in prælium profecturus Josaphato regia insignia & vestes elegantiores induendas reliquit, ipse verò vulgari & plebejo habitu indutus currum conscendit. Contigit autem, cùm pugnæ ex utraque parte initium daretur, & Syri ex industria eò allaborarent, ut unum Regem Israël aut vivum aut mortuum in suam potestatem redigerent, cæteris ab interitu conservatis; ecce vir Syrus quasi ludibundus sagittam in altum emittit, quæ, Deo sic mirabiliter disponente, in pectus Regis Achab directa, ei lethale vulnus inflixit, ita, ut sanguis inde copiosè ebulliens undequaque regium currum, ipsámque humum conspergeret: quod ubi hostis advertit, mox tubâ receptui cantatum, totúmque prælium subitò in optatam pacem ac mutuam populorum concordiam mutatum est; Audi Scripturam: *Rex Israël stabat in curru suo contra Syros, & mortuus est vespere: fluebat autem sanguis plagæ in sinum currûs, & præco insonuit in universo exercitu, antequam sol occumberet, dicens: unusquisque revertatur in civitatem & in terram suam.* 3. Reg. 22. 35.

Quòd omnia hæc contigerint illis in figura, extra controversiam est. Per hunc Regem Christus JEsus in cruce moriens, & per sanginem suum mundũ cum Patre suo pacificans, adumbratus fuit. Audiamus elegantem inter utrumque & Christum & Regem Achab analogiam.

3. Achab Rex Israël extra castra in patentem campum, ubi in patulo cum hoste pugnaret, se contulit: Christus verus Rex Israël, *ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Hebr. 13. 12. Achab in prælium profecturus currum regium conscendit: Christus crucem, quam S. Ambrosius triumphalem Salvatoris currum S. Ambr. in Luc. 23. lib. 10

UVA. BHSC. BU 00661

appellat: *Currum suum Triumphator ascendit.* Achab vestes regias cum vulgari indumento comutavit, ne à Syris agnosceretur: *Porro Rex Israël mutavit habitum suum*: Christus, cùm in forma Dei esset, semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, *& habitu invẽtus est ut homo.* Achab ob depositum habitum regium & exutum splendidum ornatum non ut Rex Israël à Syris agnitus fuit. Nec Christus à Judæis: *Quem si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Achab stabat in curru suo regali contra Syros usque ad vesperam: *Et mortuus est occidente sole*: Christus stans in curru regali SS. Crucis suæ, sole ad occasũ vergente, *emisit spiritum.* Achabi sanguis ex perforato pectore largiter in sinum currûs defluebat: Sanguis Christi JEsu ex SS. CORDE ejus lanceâ militis transfosso, per currũ crucis ad saluberrimum animarum lavacrum largissimè promanavit: *Continuò exivit sanguis & aqua.* Achabi Regis sanguinem per currum copiosè in terram profluentem lambebant canes: *Et laverunt currum ejus in piscina Samariæ, & linxerunt canes sanguinem ejus.* Nec in morte Christi defuerunt canes, qui sanguinem illius lambebant, imò & pedibus proculcabant: *Sanguis ejus super nos*, quod & in spiritu prævidit Vates Regius: *Quoniam circumdederunt me canes multi.* Achabi pectus telum à milite Syro in incertum emisso, inter pulmonem & stomachum penetravit: *Percussit Regem Israël inter pulmonem & stomachum.* Textus Hebraicus habet: *Inter junctiuras & thoracem.* Sed nec hoc caret singulari mysterio, ita enim existimat S. Vincentius Ferr. adducens pro se Alexandrum Alens. & alios, quòd hasta Longini militis non inter costas, sed paulò inferiùs, ubi costæ desinunt, & caro tenera esse incipit, SS. Pectus JEsu à latere dextero perforaverit, & sursum usque ad Divinissimum COR pientissimi Redemptoris nostri, quod ad lævam propendet, penetraverit. Rationem hujus assertionis memorati PP. istam adducunt; quia mitissimus Salvator sublimis in cruce pendebat, miles verò in terra stans in altum lanceam vibrabat, quæ si per costas sacratissimi Pectoris JEsu penetrâsset, ob magnitudinem suam ossa ejus diffregisset, quod contra Scripturam esse videtur, ubi DEus expresè

Philipp. 2, 6. *1. Cor. 2, 8.* *Matth. 27, 50.* *Jo. 19, 34.* *Ps. 21, 17.* *3. Reg. 22, 31.* *S. Vinc. Ferr. in serm. de Pass. D.*

UVA. BHSC. BU 00661

presse in libro Exodi mandavit, ut Agno Paschali ad ignem assato Christi amore nostri in cruce passi pulcherrimo typo) nullum os comminueretur: *Nec os illius confringetis.* Ad quod pariter alludit Dilectus ille Discipulus, huic præsens transfixioni SS. CORDIS JEsu: *Os non comminuetis ex eo.* *Exod.* 12, 46. *Jo.* 19, 36.

Achab denique per mortem suam & ob hoc pectorale vulnus omne bellum ac populi dissidium finivit, & exoptatam Syros inter & Israëlitas pacem reconciliavit; cujus Cordiali plagæ duo regna pacificanti ac populos ab interitu servanti pro lemmate inscribimus: *Fert plaga medelam:* Christus per mortem & sanguinem suum non unum regnum sed universum mundum pacificavit: *Reconcilians omnia in ipsum,* cujus SS. COR vulneratum omnibus communis salus ac medela factum est, cui pro lemmate longè meliore jure inscribes: *Omnibus una Salus.* *Col.* 1, 20.

4. In hac quoque transfixione Sacratissimi CORDIS JEsu adimpletum fuit illud Regii Psaltis vaticinium: *Misericordia & Veritas obviaverunt sibi: Justitia & Pax osculatæ sunt.* Solet autem Misericordia adumbrari cum olea, Veritas cum candido lilio, Justitia cum libra, & Pax cum cornucopia, fruges & flores liberaliter spargenre. Omnia hæc Symbola in SS. CORDE Eucharistici & Crucifixi JEsu pulcherrimè conveniunt; ubi enim major Misericordia eluxit quàm dum JEsus dulcissimum COR suum nobis in pignus gratiæ & salutis obtulit? *Gratia,* inquit S. Bonaventura, *influit in nos per VERBUM CRUCIFIXUM, de cujus Latere exiit profluvium gratiarum habens vim sanativam &c.* Proinde meritò & rectè nomen Misericordiæ à CORDE promanat, quod idem est ac *Miserum COR*, oleam clementiæ omnibus, qui eam acceptare volunt, benignè ferens: *Non possum terreri multitudine peccatorum,* ait S. Augustinus, *si mors Domini in mentem meam venerit, quoniam peccata mea illum vincere non possunt: Clavi & lancea clamant mihi, quòd reconciliatus sum Christo, si eum amavero.* *Ps.* 84, 11. *S. Bonæv. serm.* 2. *hexam.* *S. Aug. in man. c.* 23.

Ibi, hoc est, in SS. CORDE JEsu Crucifixi & *Veritas* cum candidissimo lilio apparuit; quid enim magis verum: quàm ipsa VERITAS? quid magis candidum ac fidele, quàm ipsum suavissimum

UVA. BHSC. BU 00661

COR JEsu, dum tam fideliter omnia adimplevit, quæ de ipso omnes Prophetæ vaticinati sunt? Hinc S. Joannes post transfixionem hujus SS. CORDIS JEsu mox subjungit: *Facta sunt hæc, ut Scriptura impleretur*, alludens ad illum Zachariæ vaticinium: *Et aspicient ad me, quem confixerunt.* O verus ac sincerus Pelicanus amoris! Dicitur aliàs in proverbio: Ecce do tibi cor meum: habes cor meum: præbeo tibi in pignus cor meum &c. Per hæc verba bonus amicus omnia sua ac seipsum vult alteri amico fideliter cõmunicare. Talis fuit S. Paulus cum suis Corinthiis: *In CORDIBUS nostris estis ad commoriendum & convivendum.* Verùm non invenietis fideliorem amicum, quàm SS. ac fidelissimum COR JEsu. Egenus ille, qui de media nocte ostium amici sui pulsavit, & tres ab eo panes petiit, omnes domesticos ac servos ejus in cubili dormientes invenit, solus Dominus ad salutem suam vigilans ab eo inveniebatur, qui mox necessitati pulsantis optatam opem tulit. En typum SS. CORDIS JEsu ex omnibus fidelissimi & in promissis sinceriſſimi. O anima Christiana! pulsa, pulsa in omni necessitate tua hoc divinum gratiarum ostium, quod semper pro tuo commodo in SS. Eucharistia, in cruce & in cœlo est apertum, & impetrabis ab eo tot panes, quotquot habes necessarios.

Jo. 19, 36.

Zach. 12, 10.

2. *Cor.* 7, 3.

Luc. 11, 5.

5. Sed & in Sacratissimo CORDE JEsu *Justitia* & pax quasi in una sede morantur: *Justitia & pax osculatæ sunt.* Dic, obsecro, ubi major justitiæ rigor, quàm in libra crucis fuit? In hac statera corporis postquam mitissimus Redemptor orbis omnia nostra peccata ex una parte, & ex altera seipsum appendit, tandem consummatis omnibus, etiam post cruentam mortem SS. COR suum bilanci imponi voluit: *In trutina ergo crucis*, ait Eusebius Emissenus, *non aurum vel argentum, non aliquod Angelicum, sed semetipsum passus est Author salutis appendi*, & ut copiosa, imò & copiosissima apud eum esset redemptio, superaddidit COR suum. Ex quo ait S. Cyprianus, *totum effudit spiritum, ut nos respiraremus; quidquid erat humoris aquei reliquum, expressit, ut nos abluueremur: quidquid resederat in CORDE sanguinis, emisit, ut nos confirmaremur.* Origida Justitia Patris, quæ & SS. CORDI non pepercit Unigeniti Fi-

Ps. 84, 11.

Eusseb. Emissen. cit. à Mansi in Bibl. to. 1. *f.* 258.

S. Cypr. serm. de publ. M.

UVA. BHSC. BU 00661

lii sui! Hinc Apostolus: *Ex ipso vos estis in Christo JEsu, qui factus est nobis sapientia à DEO, & justitia & satisfactio & redemptio.* 1. Cor. 1, 30. O anima! collige ex hoc gravitatem peccatorum &c.

Supereſt modò alma *Pax* ex eodem SS. CORDE JEsu cum virenti oliva progerminans. Considera anima Christiana pientissimum Redemptorem tuum, nunc & gloriosissimum de morte, diabolo, & peccato Triumphatorem, quomodò post resurrectionem suam in medio Discipulorum steterit, eísque pacem annuntians, simul SS. Vulnera ac COR suum apertum monstraverit: *Ostendit eis manus & latus.* Et quid sequitur? *Dicit ergo eis iterum, Pax vobis.* Jo. 20, 20. Ecce bis dilectis suis pacem annuntiat JEsus, dum eis glorificata Vulnera ac COR clarificatum monstrat. Supra quod Glossa: *Pacem offert, qui propter pacem venerat, iterat, ut monstret per suum sanguinem pacificata, quæ in cœlis, & quæ in terra.* Glossa apud Cornel. hîc in Jo. O felix pax! ô duplex pax cum DEo & hominibus à SS. CORDE JEsu promanans! pax interna & externa: *Pax cum terra*, ait Petrus Blesensis, *quam quærimus*, hoc est, cum cœlo: *pax cum terra, quam gerimus*, hoc est, cum conscientia & corde nostro, & *pax cum terra, quam terimus*, hoc est, cum proximo nostro. Ideo pacificum COR JEsu, cùm ad mortem crucis nunc voluntariè se offerret, in testamento & ultima voluntate sua inter alia bona etiam pacem legare voluit: *pacem relinquo vobis.* Jo. 14, 27. Vide ex his dictis argumentis & rationibus, quàm bene Psaltes Regius de hoc SS. CORDE JEsu vaticinatus sit: *Misericordia & Veritas obviaverunt sibi: Justitia & pax osculatæ sunt &c.* Ps. 84, 11.

6. De Jehu à Deo recèns electo Israëlitarum Rege testantur Regum volumina, quòd, cùm in Samariam ad condignam ibidem de impiis Baali cultoribus vindictam sumendam proficisceretur, in publica via obvium habuerit Jonadab, virum probum ac justum, quem humanè salutans, interrogavit de integritate animi, mentísque candore, an reverà ab ipso amaretur, sicut & ipse vicissim eum diligeret: *Nunquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo?* Quid ad hæc Jonadab? non multis utitur sermonum ambagibus, sed unico, tantóque viro dignissimo verbo respondet: *Est*, Bene, benè reponit 4. Reg. 10. 15.

UVA. BHSC. BU 00661

ponit ad hæc Jehu Rex: *Si est? da manum tuam*, & sic illum manu stipulatâ ad se traxit in regium currum: *At ille levavit eum ad se in currum &c.* Per hunc Jehu Regem Israëlitarum in curru triumphali sedentem, Christum JEsum subaudi, qui, ubi in curru triumphali SS. Crucis cruentum conflictum cum filiis Baali & diaboli complevit, tandem & Sacratiss. COR suum amore nostri saucium in pignus veræ & æternæ pacis nobis consignare voluit. Proinde etiamnum de cruce ad te ô pie Lector clamat: *Nunquid est cor tuum rectum, sicut COR meum cum corde tuo*? COR meum humile ac mansuetum est, purissimum ac candidissimum est, & ex omnibus summè pacificum. Estne & tale cor tuum? COR meum patientissimum est, non habens ob illatas injurias redargutionem, nullam quærens vindictam, nullam fovens invidiam aut rancorem. Estne & tale cor tuum? COR meum amore in Deum & proximum pleniss imum est, erga omnes sinceriss imum, fideliss imum, ac liberaliss imum, ideo omnibus semper in SS. Eucharistia & in cruce apertum. Estne & tale cor tuum? *Si est? da manum tuam.* Ah quid moraris optime Lector? Repone citò cum Jonadab: *Est*, est mi Domine Rex, *Amore, More, Ore, Re*, ad omnia cum SS. CORDE tuo paratum; sic te pariter amantiss. Servator tuus levabit in currum suum regium, ineundo tecum veram pacem & nullis unquam sæculis delendam amicitiam.

7. His consideratis considerandis, quid tibi nunc restat anima Christiana, nisi ut omni affectu & conatu eò allabores, quomodo & tu hanc divinam pacem à dulciss. CORDE JEsu, omnium bonorum fonte, valeas impetrare. Anxia quondam & inquieta in corde suo de futura salute S. Mechtildis extitit, quæ, cùm aliquando in missa, quæ feria 2. post *Invocabit* in Quadragesima legi solet, in Evangelico hæc verba Veritatis à Sacerdote cantari audiisset: *Venite benedicti Patris mei &c.* ad dilectiss. animæ suæ Sponsum, candidum & rubicundum, in cruce suffixum, oculis mentis & corporis conversa, in hæc pia vota & verba soluta est: O si & ego una ex his benedictis forem, quæ dulcissimam hanc vocem tuam ô JEsu in supremo illo vitæ agone, ac præsertim in judicio auditura essem: *Venite &c.* O amabiliss imum, ô suaviss imum COR JEsu, quis unquam ad te venit, aut gratiam à te flagitavit, & repulsam tulit? Audite à benigniss. Redemptore responsum: *Certò*, inquit, *scias, te ex illis esse, & ut non dubites, ecce tibi do COR meum in signum & pignus amoris & domum refugii, ut semper ibi & maximè in morte consolationem invenias.* O quis dicet, quàm suavi & quàm amœnâ Cordis pace tunc Cor S. Mechtildis per reliquum vitæ cursum perfrueretur! Videbantur tunc illi omnes hujus peregrinationis dies pauci præ amoris magnitudine erga SS. COR JEsu, hinc sæpius dicere solebat: *Si scribi deberent omnia bona, quæ à SS. CORDE JEsu accepi, nullo vel magno volumine possent comprehendi.* O anima! si simili cordis pace frui desideras, & in numero esse Electorum, en signum prædestinationis tuæ: Ama SS. COR JEsu, & in æterna pace erit locus tuus.

March. in horto Pastor. & vita S. Mechtil.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XLIII.

SS. COR JESU refugium noſtrum & virtus in tempore tribulationis, & munimen forte in tempore tentationis.



Columba mea in foraminibus petræ, & in caverna maceriæ. Cant. 2, 14.

1. CÙm David Rex à facie Abſolonis perfidiſſimi Filii ſui profugus, relictâ urbe regiâ, cum paucis ſuorum ad Jordanem fluvium, itinere & metu fatigatus, perveniſſet, nec pontem ibidem aut naves ad manus haberet, quæ ad trajiciendũ flumen erant neceſſariæ, à Deo ardentibus votis flagitavit, ut ſibi pennas columbæ donaret, earum adminiculo Jordanis aquas trajecturus, ibidémque in antro petræ, velut columba, quietam ſtationem captur⁹: *Et dixi: quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam.* Mirabitur hîc nonnemo, cur S. Rex columbinas & non corvinas aut alias poſtulaverit pennas, quarũ ope Jordanem trans- *Pſ. 54. 7.*

UVA. BHSC. BU 00661

mittens ad optatam requiem perveniret: *Volabo, & requiescam.*

S. Aug. tom. 10. serm. 16. de verb. D. c. 10.

Observa: Columba seu palumbes juxta mentem S. Augustí. propter gemitum suum Symbolum est pœnitentis & ad DEum suspirantis animæ, quæ, si vel umbram accipitris, vitæ suæ insidiantis, advertit, mox celeri volatu ad notum sibi hospitium in sumis petrarũ jugis à natura excisum, solet contendere, in qua caverna securè cõtra omnes hostiles incursus vitam degit. Corvus econtra propter suum *cras, cras*, putridis q; adhærens cadaveribus, procrastinatorũ typũ gerit. Apage cum similibus corvis! Columba gemens & pavida, casta, & contrita Christo JEsu placet, quæ à tumultibus hujus sæculi procul remota *in foraminibus petræ*, hoc est, in SS. Vulneribus Christi, & *in caverna macteriæ*, hoc est, in diviniss. CORDE JEsu unicum suum perfugium ac munimẽ in tempore tribulationis & tentationis quærit, & cum Davide (Christum vulneratum tunc prævidente) invenit. O pie Lector! En forma hîc tibi proponitur, quomodo contra omnes tentationes, & hostiles tum mundi, tum Satanæ, tum carnis (hostis tui domestici) assultus te gerere debeas: *Esto quasi columba nidificans in summo ore foraminis*, hoc est, in dulciss. CORDE JEsu Crucifixi, in hoc nidum animæ tuæ construe, in hoc optatam in omni angustia opem invenies; in hoc pari modo cum Psalte Regio, etiamsi cœlum & terra ruant, lætus ac securus poteris decantare: *Hæc requies mea in sæculum sæculi; hîc habitabo, quoniam elegi eam.* Audi & devotissimum Landspergium, ita de hoc SS. ac diviniss. CORDE JEsu differentem: *Disce*, inquit, *habitare in hoc Vulnere Lateris: si enim amica aut sponsa est anima tua, ubi suavior illi thalamus dormiendi, quàm in hoc Vulnere? si columba es, ibi locus est tibi ad nidificandum: si passer esse decreviſti, nusquam tibi magis conveniens erit locus, ubi abstractam ac solitariam vitam agas, quàm in SS. CORDE Christi: si turtur es, & castis, variisque gemitibus ad DEum suspiras, hîc locus requietionis erit. Hîc esuriens manna invenies; ubi bibas, hîc enim est fons paradisi, & de paradisi medio egrediens, & in fidelium se corda diffundens: Est hîc ostium arcæ, per quod intrant non perituri diluvio.* Huc usque mellifluus Landspergius, quid amabo dulciùs de hoc suaviss. & vulnerato COR-

Jer. 39. 27.

Psal. 131. 14.

Landsp. hom. 54. de pass. D.

UVA. BHSC. BU 00661

CORDE JEsu dicere, aut scribere poterat Amator Crucifixi tam insignis? Proinde huic mysticæ nostræ columbæ, à facie inimici & persequentis milvi rapido volatu ad similem cavernam properanti, pro Lemmate inscribes:

Hoc tuta sub antro.

2. De S. Petro recensent Sacri Scriptores, quòd, cùm in monte Thabor mirandam illam Verbi Divini transfigurationem attonitus spectâsset, quasi lumine gloriæ & majestate divinâ ebrius sine mora petierit, ut in illo amœnissimo deliciarum loco tria tabernacula ædificarentur, quò sic jugiter in hoc voluptatis paradiso cum Christo JEsu glorificato & cum Moyse & Elia visibili specie se tunc in monte exhibentibus posset conversari: *Domine*, inquit, *bonum est nos hîc esse, si vis, faciamus hîc tria tabernacula &c.* Verùm bonus ille Petrus præ dulcedine hujus div. visionis quasi delirans *nesciebat, quid diceret*; oportuit enim tunc primùm Christum pati, ac infami cruci affigi, & ita intrare in gloriam suam, cùm crux sit unica ac tutissima via ad æternam felicitatem: *sic oportuit pati Christum, &c.* Verùm quidquid sit, non adeo ineptè & sine omni ratione Petrus ibidem tria tabernacula erigere voluit. Relinquamus, mi Petre, ad modicum tempus Thaboræum Montem, & ad Calvarium nos transferamus, ibi hæc tria, quæ tanto affectu desideras, tabernacula invenies. Primum tabernaculum in SS. JEsu manibus apertis, ac ferreis clavis immaniter perforatis, crucíque affixis reperies. Scio equidem, quòd Apostolus ad Hebræos obstinatos, ut eos tandem ad frugem reduceret, scriptis suis emphaticè exaggeraverit: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis*, omnia scientis, omnia judicantis, & vindictâ de peccatis etiam minimis sumentis: ô quàm duræ, ô quàm aggravatæ erunt hæ manus Domini homini peccatori pœnitentiam differenti! Sed confide, Anima Christiana! iterum dico, confide, si ab auditione mala in illa die suprema non velis timere, cura nunc maturè incidere *in manus Dei mortui* & in cruce suffixi, in his enim securum tabernaculum & domum refugii SS. ejus Vulnera tibi præbebunt: *Clamat clavus*, ait Doct. Seraph. *cla-*

Matth. 17. 4.

Luc. 24. 26.

Hebr. 10. 31.

UVA. BHSC. BU 00661

S. Bonav. serm. de Exalt. S. Crucis. Ps. 21, 17.

clamat vulnus, quod misericordiæ non est numerus. Secundum tabernaculum SS. pedes ejus, trabalibus clavis transverberati, tibi subministrabunt, de quibus Psalt. *Foderunt pedes meos*, non dixit: transfixerunt, aperuerunt pedes meos &c. sed *foderunt*, neque hoc sine mysterio: terra enim, si ligone foditur, desideratum fructum affert, variósque germinat fætus. Sic SS. Vulnera pedum Christi, clavis ferreis fossa, ô quàm salutarem redemptionis fructum in Ecclesia attulerunt? Magdalenam pœnitentem consule, ad pedes JEsu peccatorum veniam, gratiam amissam, & animæ salutem reperientem: *Peccavi*, ait S. Bern. *peccatum grande! turbatur conscientia, sed non perturbatur, quoniam Vulnerum Domini recordabor.* Tertium ac longè securiss. Tabernaculum invenies, in ipso sacratiss. ac diviniss. CORDE JEsu, in quo simul invenies, quidquid delicioſum est in cœlis, quidquid pretioſum in terris, quidquid amabile in toto universo esse potest, hæc & plura alia immensa bona in hoc SS. CORDE JEsu summè adorando infinities melius ac perfectiùs invenies. Audi iterum pro confirmatione hujus nostri conceptûs, quid in hanc rem differat citatus D. Seraph. *Bonum est*, inquit, *hîc esse, & faciamus hîc tria tabernacula, unum in pedibus, unum in manibus, aliud continuum in Latere, ubi volo quiescere, & vigilare, bibere, comedere, legere, adorare, & omnia mea negotia pertractare, ubi loquar ad COR ejus, & ab ipso, quod voluero, impetrabo.* O quàm dulcis hæc requies in SS. CORDE JEsu! quàm tutum refugium in tempore tribulationis ac tentationis SS. COR JEsu! ah quàm dulce! ô si noviſſent homines ac mortales omnes! ô si noviſſent!

S. Bonav. Stim. am. c. 1. & P. Vinc. Caraſſa in Faſc. Myrrh. conſ. 1.

Manut. l. 7. apophteg. num. 125.

3. Occurrit hîc mihi, ídque ad propoſitum peraccomodè, quod Manutius de Calcedonenſibus commemorat. Cùm hi populi in publico quondam campo ſua celebrarent comitia, ex improviſo jucundum ſpectaculum omnibus in planitie ibidem præſentibus fuit præſentatum; videbant tunc in aëre profugum paſſerculum, quem milvus rapax pernici volatu inſequebatur; in hoc certo vitæ diſcrimine cùm miſer paſſerculus nullum aliud refugium, quò ſe à rapacibus milvi unguibus tutaretur, inveniret, quàm in aperto ſinu Xenocratis Philoſophi tunc fortè in comitiis præſentis, rectà ad eundem

UVA. BHSC. BU 00661

dem tanquam asylum confugit, ubi in pectore hujus viri prudentis se non tam abscondit, quàm & furorem accipitris dexterrimè declinavit. Hoc, ut vidit Xenocrates, abblandiens aviculæ, illam manu de sinu suo extraxit, populóque palam ostendens, exclamavit: *Oportet profugum & supplicem protegere.* Age, quicumque es, pie Lector! en, forma & exemplum hîc tibi præscribitur, quod in omnibus occasionibus, periculis & tentationibus securè imiteris. *Interroga volatilia cœli, & indicabunt tibi:* Dic, quæso, an non anima tua similis ejusmodi passerculo est, à dæmone, tartareo illo milvo, ex omni parte vexata, & fortasse (quod DEus avertat) etiam nunc in præsentissimo æternæ salutis periculo constituta? Si ergo vis in omni tentatione ac tribulatione tua securum invenire asylum? En apertum SS. COR JEsu Crucifixi: hîc invenies *civitatem refugii*, quam DEus quondam delinquentibus in lege statuit: hîc invenies *vitæ ostium*, per quod si introieris, pascua invenies, & ingredieris, & egredieris: hîc pascêris in deliciis, & Supremi Regis mamillâ lactaberis. O SS. COR JEsu! verè *locus deliciarum*, exclamat S. Laurentius Justinianus, *de isto enim Lateris medio fons omnis dulcoris & suavitatis emanat.* Quam veritatem & S. Catharina Senensis suo Confessario intimavit, cui inter alia in Epistola quadam hæc verba scripsit: *Rogo, ut te concludas in aperto Christi Latere, ibi pia anima quiescit, in lecto ignis & sanguinis: sanguinis, ut lavetur, ignis ut accendatur &c.*

Job 12, 7.

Jos. 21, 36. *Jo.* 10, 9. *Isa.* 16, 16. *S. Laur. Justin. de inc. div. am. c.* 4. *In vita S. Cath. Senens.*

4. Revertamur ad Scripturam, & observemus insignem aliquem locum. Postquam Jonathas stationem Philistinorum percussit, Israëlitæ audaciores facti, communibus animis ac viribus statuerunt cœptam contra Philistæos prosequi victoriam. Et ecce cùm sese jam ad prælium pararent, & eminus in patenti campo triginta millia curruum (ex quibus pugnare solebant Philistæi) & sex millia equitum, ac reliquum vulgus innumerabile, velut arenam, quæ est in littore maris, observâssent, perterriti tanta gentium multitudine (& quia viribus longè impares erant) decreverunt ad conservandâ vitam consultius esse, si se in fugam converterent, & in abditissimis petrarum speluncis, quibus Judæa abundare solet, à facie inimi-

UVA. BHSC. BU 00661

corum interim, donec felicior aura aspiraret, sese absconderent:
1. Reg. 13, 6. *Quod cùm vidissent viri Israël, se in arcto positos (afflictus enim erat populus) absconderūt se in speluncis & in abditis, & in petris quoq; & in antris & in cisternis.* Sic & David à facie Saulis profugus, cùm jam certissimũ vitæ suæ periculum imminere advertit, quantocyùs ad desertum Engaddi & ad speluncam Odollam confugit, ubi in obscuro petræ antro tutissimum asylum reperit. Et observat Scriptura, quòd tunc ad Davidem in caverna latentem plures miseri & angustiati venerint, ut pariter sub illius præsidio & umbra vitam tue-
1. Reg. 22, 2. rentur: *Et convenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, & factus est eorum princeps.* O anima Christiana! Si in paribus versaris angustiis, si tentaris à diabolo, si premit carnis tumultus, si oppressa es à mundo, si debita peccatorum apud DEum contracta, conscientiam tuam stimulant, si morbis & infirmitatibus assiduis gravaris, si ubique in arcto posita es, si totus denique infernus contra te dilataverit os suum: *Tu ne cede malis, sed contra audentior ito:* Ito, inquam, non ad Davidem, qui quondam tribulatorum factus est princeps, sed ito ad filium David, Christum JEsum & hunc Crucifixum, hic debita tua levabit, & chirographum peccati diluet. In hac mystica petra pariter invenies optatas cavernas & speluncas, quinque ejus Sanctiss. Vulnera, ac præsertim in Diviniss. CORDE JEsu tutissimum
Isa. 2, 10. reperies refugii locum: O anima mea: *Ingredere in petram, & absconde in fossa humo à facie timoris Domini*: Abscondere, inquam, in SS. CORDE JEsũ.

5. Sic centum illi Prophetæ, quos Abdias gladio Jezabelis subduxerat, in cavernis & speluncis petrarum sese occultantes, optatum ibi refugii locum in tempore tribulationis invenerunt: *Nam*
3. Reg. 18, 4. *cùm interficeret Jezabel Prophetas Domini, tulit ille centum Prophetas, & abscondit eos quinquagenos & quinquagenos in speluncis.* Sic & Mathathias cum aliis, qui fortes in confessione fidei in omni tentatione permanserant, tempore Antiochi Tyranni in ca-
1. Mach. 2, 28. vernis montium & petrarum latebris sese abdiderunt: *Et fugit ipse & filii ejus in montes, & reliquerunt, quæcunque habebant in civi-*
tate

UVA. BHSC. BU 00661

tate &c. Sic Phlomela, ut de nocte obscura sibi infestum evitet bubonem, qui ei assiduò in sylvis ac dumetis insidias struit, ad similem altam cavernam, vel ad arborem concavam, aut inter ipsas densissimas spinas se abscondere assolet, quò damnosus bubo cum grandi suo capite penetrare non valet: sic læta laudem Creatori suo decantans, hostis sui insidias argutè deridet. Hoc fac & tu ô anima Christiana! si bubo infernalis cum omni vitiorum suorum caterva tibi parat & molitur insidias, fuge, fuge cum Philomela ad arborem crucis, fuge ad Redemptoris tui Vulnera & latebras; fuge ad ipsum dulciss. COR JEsu, cruentis cinctum spinis & crudeli lanceâ saucium. Huc bubo ille infernalis & carnalis caput suum inferre non potest, ab hoc enim SS. CORDE diabolus victus & confossus, infernus despoliatus, latro conversus, mundus redemptus, Ecclesia ædificata, cœlum apertum & Angelorum ruina restaurata est. O peccatores! ite, ite ad hoc SS. COR JEsu: *Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana munda erunt.* Testem adduco Sodalem illum Bizontinum nomine, qui horrendum in modum in ultimo agone (à quo pendet æternitas) de salute animæ suæ à Bubone diabulo tentatus fuit: in qua gravissima lucta, cùm non meliorem ac potentiorem sciret effugii & refugii locum, effigiem Crucifixi JEsu apprehendit, & invocato SS. Nomine JEsu & Mariæ, tandem in signum obtentæ victoriæ, crucem JEsu velut triumphale de hostibus suis vexillum manu vibravit, ac ter Victoria! Victoria! Victoria! voce quâ potuit inclamando, exosculans SS. Vulnera & COR JEsu, beatam animam expiravit: *O quàm bene est custoditus*, exclamat devotiss. Thomas Kempensis, *quàm bene armatus contra diaboli insidias & malas cogitationes, qui imaginem Crucifixi habet in Corde fixam, omnia interiora sua penetrantem.* O quàm bene custoditus; quàm bene armatus est talis agonizans! *Christus*, ait Mallonius, *cùm pro nobis moreretur ut locum nobis apud se pararet, nullum nobis amabiliorem, nullum chariorem locum, quàm in suo CORDE parare potuit.*

Isa. 1, 18.
Span. in Polianth. Tit. tentatio.
Thom. Kemp. p. 2. s. 4. ad Novit.
Mallon. cap. 20. apud me f. 269.

6. Videtur mihi benigniss. JEsus, ut bonus quidam Dux in bello, qui omnes circumstantias prudenter examinat, quomodo & quâ ratione, quibúsve modis, mediis aut insidiis hostem possit superare; proinde in loco abscondito unam validam partem reservat, ut, si opus fuerit, cæteris turmis suis adhuc possit suppetias ferre. Ita in nupero cruento conflictu Hechstadiano præsentes spectavimus. Et si figuram de hac re lubet intueri, ex sacro Scripturæ fonte petitam, consule librum Josue cap. 8. vers. 3. & seq. Dic anima mea! an non tota vita JEsu continua pugna contra principem tenebrarum diabolum & vitiorum exercitum fuit? Pugna hæc cruenta jam in cunis JEsu inchoaverat, ubi hic glorioss. juxtà ac invictiss. Dux noster aliquas legiones contra Satanam præmisit, dum primitias sanguinis in Circumcisione fudit, dum in horto Olivario sanguinem sudavit, dum in prætorio Pilati flagellatus & coronatus, ac tandem in Calvario monte crucifixus est. Verùm in his omnibus cruentis conflictibus Dux noster

UVA. BHSC. BU 00661

noster robustissimam exercitûs partem in *pectore* recluſit. Venit tandem miles, ubi mors & vita duello conflixêre mirando, & quia dubitabat, an JEsus reverà in cruce expirâsset, lanceam in latus ejus tam validè contorsit, ut per alterum latus illius, ut quidam opinantur, transiret; de qua transfixione B. Virgo & Mater Dolorosa hæc ad S. Brigittam verba habet: *Filius meus in Corde punctus erat tam amarè & immisericorditer, ut amba partes Cordis essent in lancea.* Ecce! hîc denique optimus Dux noster Crucifixus JEsus omnes vires suas & ultimas validissimásque hactenus per vitam reservatas suppetias contra inferni, mortis, omniúmque diabolorum, ac vitiorum exercitum emisit, plenissimámque victoriam de omnibus inimicis suis reportavit, & tutissimum nobis refugii locum paravit, quò in omni tentatione ac tribulatione tum in vita, tum in morte confugiamus. Et hæc est victoria, quæ vincit mundum, Sanctiss. ac Diviniss. COR JEsu. Audi S. Laurent. Justin. quàm sincero, devoto ac planè filiali affectu hoc amabiliss. COR Redemptoris sui alloquatur: *O Domine! ferrum creaturam insensibilem voluisti tuum Corpus Sanctiss. vulnerando intrare, & me creaturam tuam rationabilem per Vulnera jam facta ingredi non sines? Quid est hoc? nunquid Cor meum durius, aut vilius est omni ferro? Audi Domine clamorem meum, quamvis enim intrem per Vulnera tua, & pra amore comedam carnem tuam, semper impassibilis permanebis, & meus de te satiabitur appetitus &c.*

Revel. l. 2. c. 21.

S. Laur. Justin. tract. de incendio divini amoris cap. 2.

7. Finem huic considerationi faciat Joannes Baptista Faventinus, in sæculo quondam ferox miles, sed postea mirabiliter conversus, ordinem PP. Capucin. ingressus est, in quo vitam austeram amplexus, non aliter corpus suum flagellis, ac si ligneum aut marmoreum foret, tractavit, nullam ei requiem concedens; sícque brevi per tantam sui mortificationem obtinuit, ut passionum suarum victor factus sit egregius. Accidit, ut à Superiore suo in triclinio acri reprehensione exciperetur, quâ illius natura ad impatientiam & vindictam antè in sæculo proniſſima adeò commota est, ut vena Pectoris rumperetur, quam tamen vehementem passionem fortiter superavit; & cùm sanguis è rupta vena copiosè deflueret, pro more suo ad Crucifixi Salvatoris effigiem se contulit, sub cujus umbrâ in genua procumbens: Crucifixo JEsu sanguinem è Pectore manantem ostendit, confidenter dicens: *En Domine JEsu, qualia pro tui amore patiar!* Quid hîc expectas? En quàm faciles sint aures Crucifixo Redemptori tuo! Mox Crucifixus ille dextram manum à ferreo clavo revulsit, quam laterali suo Vulneri admovit, transfixúmque SS. COR suum hiscè verbis monstravit: *Vide Baptista, qualia & ego pro te in Cruce sustinui!* Quâ amabili Crucifixi JEsu voce Cor Joannis quasi cera liquefactum est, imposterum omnes adversitates læto animo sustinens, illúdque S. Pauli secum revolvens: *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversùm semetipsum contradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes, nondum enim usque ad sanguinem restitistis &c.*

Vixit anno 1562. de quo Flores Seraphici tom. 1. p. 373. & Stauroph. l. 28. Tit. 130.

Hebr. 12, 3.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XLIV.

SS. COR JESU centrum amoris nostri esse debet, ad quod tanquam ad metam omnes amoris nostri sagittas dirigamus.



Positus est hic in signum. Luc. 2, 34.

1. OLim serpens æneus in palo suspensus Israëlitis, venenato ignitorum serpentium morsu miserè vexatis, in deserto pro unico salutis signo fuit: *Pone eum pro signo.* Nobis Christianis pro certo & unico salutis signo esse debet SS. ac diviniss. COR JEsu Crucifixi & Eucharistici, ad quod velut ad metam nostram cum illo Genio in Schemate præfixo, omnia amoris nostri tela dirigamus, oportet: proinde haud immeritò pro Lemmate tulit: *Num.* 21. 8.

Non aliud posthac.

Vel:

Ad Centrum.

UVA. BHSC. BU 00661

De Jonatha dulci illo Principe, in vita & in morte amabili, referunt Regum fasti, quomodo Davidi optimo & intimo amico suo, cùm eum frustra cum Saule Patre suo reconciliare conatus fuisset, hoc consilium suggesserit, ut se in agro aliquantisper occultaret, se interim tres sagittas (quasi ad metam se exerceret) missurum, ex quibus certò aut amorem, aut odium Patris sui in se cognosceret: 1. *Reg.* 20. 22. *Si dixero*, inquit, *ecce sagittæ intra te sunt*, bene est: *pax tibi est, & nihil est mali*, si autem locutus fuero: *Ecce, sagittæ ultra te sunt*, scito, omen hoc esse infaustum, & odium patris mei omnino esse implacabile.

Anima Christiana! si sagittæ amorosæ Sacratiss. ac diviniss. CORDIS JEsu *intra te sunt*, si amas, si æstimas, si colis, si imitaris hoc amabilissimum COR JEsu, ac omnes actiones & opera tua, quasi bonus sagittarius, te ad hoc signum exercens, eò quotidie dirigis, scito, pacem tibi esse, quia cum Deo reconciliatus es, & cum eo in optata vivis amicitia; si verò sagittæ amoris *ultra te sunt*, si fortè ad amorem mundi, carnis, ac dæmonis magis inclinas, scito, hoc omen sinistrum & prorsus infaustum esse, Deúmque tibi esse adversarium; adeóque ad centrum & metam collimandum, quod est amabiliss. COR JEsu, extra quod, ô mortalis homo! nulla tibi salus speranda: *Ad centrum! ad centrum!*

2. Et quid dico? nunquid ad hoc diviniss. charitatis signum, hoc est, ad SS. COR JEsu, jam olim in umbra amata illa Sponsa cum omni suo amore collimavit, dum uno & fixissimo mentis oculo hunc suum dilectissimum Sanguinum Sponsum in cruce pendentem, & immiti lanceâ transfixum aspexit? Ad quam tandem benignissimus Redemptor de arbore Crucis in hæc verba solutus: *Cant.* 4, 9. *Vulnerâsti*, inquit, *COR meum Sponsa: vulnerâsti COR meum.* Et quomodo, mi JEsu! O Amor Crucifixe! hæc dilecta Sponsa SS. COR tuum potuit vulnerare? *In uno*, reponit amantissimus Redemptor, *Oculorum tuorum vulnerâsti COR meum*, alii legunt: *Transfixisti COR meum.*

Duo

UVA. BHSC. BU 00661

Duo hîc, prudens Lector, occurrunt consideranda, cur *bis* Sponsus Crucifixus dixerit: *Vulnerâsti COR meum.* Et nunquid unum tantummodo Cordis Vulnus habuit, quod miles lanceâ aperuit? Et quidem vulnerâsti COR meum *in uno oculorum tuorum*, O Soror! O Sponsa! & cur in uno & non ambobus oculis?

Ad primum adverte, quòd duplex Vulnus in CORDE Crucifixi JEsu inveniatur, primum lancea militis, secundum amor Sponsæ intulit; ita prædicta verba exponit S. Bernardus: *Quia zelo amoris tui vulnerâsti me, lanceâ quoque militis vulneratus sum.* S. Bern. lib. de pass. c. 2.

Et in uno oculorum tuorum. Solent autem sagittarii, dum ad metam præfixam tela sua dirigunt, unum, hoc est, sinistrum oculum claudere, & dextrum solum aperire, in quo oculo dextro omnes potentiæ visivæ nervos in unum impendunt, ut eò certiùs ad suum scopum sagittam possint transmittere. Et in hunc finem Naas Ammonitarum Rex olim Hebræis dextrum oculum solum eruere voluit, ut eos (quia in arte sagittandi apprimè experti erant) ex parte cœcos, inutiles, & ad bellum ineptos redderet: *In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium oculos dextros.* 1. Reg. 11. 2.

Dixi: signum nostrum & centrum SS. COR JEsu est, ad quod amore nostro collimemus: Oculus dexter bona nostra est intentio, quæ unicè ad COR JEsu feratur: oculus sinister ille est, qui à centro hoc præfixo declinat, & ad res caducas, vanas, & illicitas se convertit, hunc, inquam, oculum oportet nos cum Sponsa claudere, & dextrum aperire solum, ut eò meliùs ad verum scopum, qui est SS. COR JEsu, pertingamus. *Ad centrum, ad centrum!*

3. Oportet nos hîc imitari filios Judæ, qui regnante Saule sibi metam & certum scopum collocabant, in quem juventus se in sagittarum jaculatione solebat exercitare, ne à Philistæis, qui in hac sagittandi arte pariter excellebant, imposterum in bello vincerentur: *Et præcepit, ut doceret filios Juda arcum.* 2. Reg. 1. 18.

Ita quoque Persæ Gentiles sub Cambyse Rege tempore pacis in sagittandi arte ad metam se probabant, ut tempore belli eò peritiores invenirentur, de quo Rege refert Herodotus, quòd cùm aliquando Herodot. lib. 1.

UVA. BHSC. BU 00661

quando à Prexaspe aulico ebrius æstimaretur, filium ejus in horto ad arborem alligari jusserit, ad quem Rex in præsentia Patris, quasi se ad scopum exerceret, sagittam emisit tantâ cum dexteritate, ut cor ejus medium feriret, tum ad Prexaspen conversus: *Disce*, inquit, *imposterum de Regibus meliùs sentire & loqui.*

Ex Chron. Helvet. Henrici Suitz, Schönleben & alii.

In hac arte sagittandi, priusquam bombardarum & sclopetorum usus inventus est, pariter & Helveti excellebant. Rem memoriâ dignam accipe. Anno à Christo nato 1307. Austriacus quidam Gubernator & Judex verè indiscretus in Altorff Helvetiæ Oppido, in medio fori pileum ex sublimi pertica pendulum erexerat, severè mandans subditis, ut transeuntes coram hoc pileo non aliter ac coram Duce suo sese inclinarent, eique profundam, quasi Domino suo præsenti, reverentiam exhiberent. Displicuit hæc res comprimis Guilielmo Tell, ejus loci incolæ, qui in foro transiens, primus huic pileo nullam venerationem exhibuit, quem mox præfatus Judex cum filio comprehendi jussit, & quia in arte sagittandi apprimè peritus erat, filium ei in scopum proposuit, super caput ejus pomum collocans, ut aut in hoc pomum illæso filio, aut in ipsum cor filii sagittam torqueret; sed felicior Guilielmus fuit, quàm immitis Judex crediderat, qui dexterrimè pomum, nato prorsus intacto, telo suo trajecit, quam rigidam justitiam adeo indignè tulerunt Helveti, ut excusso illo rigido Gubernatorum jugo, ab Austriaca Serenissima Domo defecerint, & sibi privatam Rempublicam constituerint.

4. Mitto hîc plures alios peritissimos sagittarios, quales fuerunt Commodus Imperator, cui adeo certa manus fuerat, ut quidquid oculo destinâsset, sagittâ suâ contingeret. De Domitiano Imperatore referunt, quòd etiam in celerrimo cursu cor cervi telo suo potuerit trajicere. Notum est illud, quod de Serenissimo Godefrido Bullionio Duce Lotharingiæ recensent Auctores; qui, cùm urbem Hierosolymitanam arctâ obsidione premeret, tres alaudas in turri Davidica conspexerit, quas simul uno telo & jactu confixit, non sine bono omine, civitatem illam Sanctam paulò pòst Paganorum manibus eripiendam, quod & contigit; in quem finem Serenissimi illi

R.P. Drexel. de lingua detract. in in Phaëtonte.

Duces

UVA. BHSC. BU 00661

Duces etiamnum hodie in Scuto suo gentilitio tres alaudas uno telo confixas præ se ferunt in dignam hujus facti & expugnatæ Hierosolymæ memoriam.

O anima Christiana! ecce & tu in promptu hîc habes arcum & telum, arcus cor tuum est, & telum amor, sagittandum est, & aliquid cor tuum tanquam ratione præditum juxta Angelicum Doctorem amare debet: *Vita cordis*, inquit, *amor est, & ideo impossibile est, ut sine amore sit cor, quod vivere quærit.* Hinc videmus, quòd hic amet unicè aurum, alter mundanos honores, alius arma & bella, alius venationes, & alius voluptates suas sensuales &c. O miseri mortales! quid aurum est nisi lutum in terræ visceribus à solis radiis induratum & metallum excoctum? Quid omnes honores sunt mundani nisi fumus inanis? Quid voluptates sensuales nisi turpis fœtor & *ignis usque ad perditionem devorans?* Aliud & dignius amoris objectum quærendum est, quò tanquam boni sagittarii amoris nostri tela dirigamus.

S. Thom. op. 61. de dil. Dei c. 18.

Job. 31, 12.

En ostendo vobis, quid amare debeatis, & ad quod centrum tendere omnis affectus & amor cordis vestri. O dulcissimum, ô pientissimum, ô amabilissimum COR JEsu crucifixi amoris mei! ô abyssus omnium bonorum! Tu, tu solum & unicum omni nostro amore digniſſimum es, quia priùs quam essemus, amâsti nos & tradidisti te ipsum pro nobis. O pondus! ô centrum! in quo terminatur omnis amor Sanctorum! Ah miseri mortales quid agitis? ut quid ita terrenis inhiatis! quousque claudicabit amor vester in duas partes? non potestis Deo servire, & Mammonæ, Christo & Belial, luci & tenebris. Sursum igitur corda, ad centrum, ad centrum, hoc est, ad SS. COR JEsu: *Si COR Christi attendimus*, sunt verba Richardi à S. Victore, *nihil illo dulcius, nihil illo beatius, nihil uspiam creaturarum dulcius esse poterit illo CORDE.* Audi rem novam. Vidimus, anno 1704. examen apum, relicto suo alveari, rectà ad templum S. Nicolai Ep. in Langenreichen prope Biberbacum volans, ubi in cruce Domini considere & mellificare cœpit. Simile quid à R. P. Matthia Camphausen S. J. refertur, quòd examen apum in

Rich. à S. Vict. l. 2. de Emmanuele c. 21.

P. Matth. Camph. de pass. D. f. 318.

UVA. BHSC. BU 00661

vulnerato Latere seu CORDE Crucifixi JEsu nidificaverit, & ibidem mel suum paraverit. O pie Lector! En formam & modum habes, quò tibi tendendum &c.

5. Nunquid in Scriptura annotâstis animæ Christianæ, quid Regi Joas, Elisæum ægrotantem invisenti acciderit? Ad hunc ergo Prophetam cùm Rex Israël descendisset, ut ab eo consilium exquireret, quomodo se suósque contra Hazaël & Syros impostorum defenderet, Elisæus hoc consilium ei suggessit: *Affer arcum & sagittas*, & cum Rex arcum desideratum & sagittas ad lectum infirmi Prophetæ attulisset, nunc, inquit, aperi fenestram Orientalem, ut jacias sagittam victricem contra Syros, & qui hactenus illorum telis
4. *Reg.* 13. 17. prostrati estis, nunc vicissim vestris prosternentur: *Face sagittam: & jecit.* Et quid sequitur? *Et ait Elisæus: Sagitta salutis Domini! & sagitta salutis contra Syriam!* O felix sagitta! quæ non tantùm Regi, sed & toti Israëli salutem tulit! Vultísne videre hanc sagittam Domini, & sagittam salutis, per fenestram ad centrum suum transvolantem, pace cum populo feliciter composita?

Audite per fenestram apertam comprimis Sacratissimum Crucifixi JEsu COR apertum intelligi potest, quod pariter per fenestram illam à Noëmo in arca post diluvium apertam (per quam columba avolavit, & ad vesperam cum pacis oliva rediit) adumbratum fuit; per sagittam salutis Domini inde emissam, immensus ille Divinissimi CORIS JEsu amor, qua cor tuum (antequam tu illum ames) jam feriebat, præsignatus est; & per sagittam salutis contra Syriam amor tuus reciprocus erga SS. COR JEsu subaudiri potest. O vera *sagitta salutis* contra Syriam & contra omnes inimicos tuos, si verè & fideliter amas SS. COR JEsu! O quàm felix igitur est illa anima, quæ juxta documentum, quod ipsa Veritas Christus Sanctæ Mechtildi dederat, in CORDE hoc Divino *tanquam in centro & portu securissimo conquiescit! sic cor tuum*, sunt verba Christi ad dictam suam Sponsam, *cum CORDE meo coalescet, ut ferrum cum igne, quo igne factum est &c.*

Vincent. Caraff. in fasciculo Myrrh. l. 2. Conf. 15.

6. Exemplo nobis sit fidelissimus ille patri filius, cui nomen Eumelus

UVA. BHSC. BU 00661

melus, de quo S. Bernardinus commemorat, quod pater quidam Cimmerius nomine, regulus Paryſadæ tres filios habuerit, ſed de illis non imprudenter dubitaverit, an omnes ex legitimo connubio fuerint progenerati; idcirco hoc teſtamentum condidit, ut poſt mortem exanime corpus ſuum ad palum publicè alligaretur, & qui propiùs ex illis ad cor patris ſagittam ex arcu miſiſſet, is hæres rerum omnium & regni conſtitueretur. Quid multis? Patris cadaver arbori alligatur, contendunt filii pharetrâ & arcu, ut qui cor parentis telo transfixiſſet, verus regni hæres conſtitueretur. Primus & major natu exonerat arcum, & guttur patris tangit: Secundus & natu minor pectus quidem parentis ſui, ſed tamen illæſo adhuc illius corde transfixit. Tertius & natu minimus, cùm telum aptat, ipſum cor optimi genitoris ſui trajecturus, tantam barbariem execratus, præ animi teneritudine & amoris ſinceri affectu totus in lacrymas abit, telum & arcum diſrumpit, exclamans coram præſente Judice & ſpectatoribus: malle ſe regnum & hæreditatem fratribus cedere, quàm impiè in optimi parentis cadaver ſævire, & cor ejus crudeli jaculo ferire. Quo viſo & audito, Judices uno conſenſu & ore decreverunt, univerſam hæreditatem paternam illi ſoli juniori filio deberi, utpote qui proximè ad cor patris ſui acceſſiſſet, eúmque ut verus & legitimus dilexiſſet.

S. Bernardin. to. 1. ſer. 41. Item Le Blanc. in Pſ. 7. v. 14. & alii.

Et quid dico anime mi? En pater tuus in palo Crucis toto corpore nudus, mortuus & exanguis pendet ante te: *Et erit vita tua quaſi pendens ante te*, nec habet, ubi caput vulneribus & ſpinis ſaucium reclinet: *Inſpice*, ſunt verba S. Auguſtini, *vulnera pendentis, ſanguinem morientis, pretium redimentis: Caput habet inclinatum ad oſculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extenſa ad amplexandum, corpus expoſitum ad redimendum.* Et tu heu! ingrate & vilis homuncio, de novo peccatis tuis, quaſi venenatis ſagittis hujus amantiſſimi & dulciſſimi Patris tui SS. COR transfigere & impiè vulnerare non verearis? *Si Pater ego ſum, ubi eſt honor meus? & ſi ego Dominus, ubi eſt timor meus?* Ah diſce anime mi! ſi verus & legitimus Patris hujus tui cœleſtis filius & hæres eſſe cupis, illum ex toto

Deut. 28, 66.

S. Aug. l. de Virg.

UVA. BHSC. BU 00661

to aliquando animo, ex totis animæ visceribus & ex tota cordis latitudine diligere: *Ut totus*, pergit idem S. Augustinus, *tibi figatur in corde, qui totus pro te fixus fuit in cruce*: Non enim bene hoc verbum *patris* (quod plenum est fiduciâ & amore) usurpas, nisi pariter vivas ut filius amans, reverens & obsequens.

7. Coronidem huic nostræ considerationi imponat Jonathas Princeps Regius, qui & eidem initium dedit, de quo recensent Regum fasti, quòd adeo Davidem dilexerit, ut in signum veri & sinceri amoris sibi propriam togam & vestes exuerit, eúmque his contexerit. Causa hujus amoris, teste Cornelio & aliis, similitudo morum & amorum fuit, quia uterque moribus erat candidus, probus, bellicosus, & de Philistæis triumphans, hinc *dilexit eum Jonathas, quasi animam suam*: *ideo expoliavit se &c.* 1. *Reg.* 18. 4.

O anima Christiana! plùs hic in cruce quàm Jonathas! Vide & considera, quanto in te amore flagraverit amantissimus JEsus, dum non tantùm tui causâ vestimentis se expoliavit, corpúsque innumeris plagis pro te objecit, sed & seipsum, imò optimam ac pretiosissimam sui partem, hoc est, Sacratissimum ac Divinissimum COR suum in perfectissimi amoris tesseram tibi legavit, & in centrum amoris, tum quotidie in SS. Eucharistia, tum etiam in cruce, ubi *positus est in signum*, tibi proposuit; *præ nimio amoris sui fervore*, ait S. Bonaventura, *voluit lanceâ latus aperiri, ut demonstraret, quòd tradidit tibi COR suum.* Et in alio loco: *Patet amor CORDIS per vulnera corporis &c.* O amor! O amor! quis non obstupescat, quòd ipse DEus, summum illud, immensum & infinitum Bonum voluerit appellari & esse DEUS CORDIS MEI? Ita illum vocat vir secundùm COR DEI: *Deus cordis mei, & pars mea DEus in æternum.* O quantum solatium non deberet afferre cordi meo hoc unicum verbum: DEUS CORDIS MEI, & CENTRUM AMORIS MEI? O Divinissimum COR JEsu! quid ampliùs habet dicere servulus tuus indignissimus, nisi ut hoc temporis momento tecum hoc pactum ineam in æternum non ampliùs violandum.

Luc. 2, 34. *S. Bonav. in stim. amor.* *Idem ser. de exalt. S. Cruc.* *Ps.* 72, 26.

COR JESU quoties Cordis mihi vena micabit,
Tu toties posthac sis benedictus AMOR.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XLV.

SS. COR JESU magnes cordium humanorum, Cor quoque nostrum sibi exposcit cum omnibus affectibus præbendum.



Præbe fili mi cor tuum mihi. Prov. 23, 26.

1. OStendis puero nuces, & trahitur, non vi trahitur, sed amore trahitur; ostendis ovi ramum viridem, & trahitur: ostendis pisci vermiculum hamo affixum, & trahitur: ostendit se sol heliotropio, & ad motum ejus trahitur: una rota principalior cæteras omnes in horologio secum trahit &c. Et ecce! ostendit tibi mitissimus JEsus SS. COR suum, velut vivum magnetem in cruce exaltatum, & non trahitur Cor tuum ad reciprocum amorem? De Magnete referunt, & quotidiana probat experientia, quòd per mirabilem sympathiam etiam durissimum ferrum ad se trahere, & fortiter in aëre tenere soleat, unde perjucun-

UVA. BHSC. BU 00661

dum visu est, quomodo ferrei clavi, acus, cultri, forcipes, & similia ferrea instrumenta in altum per aërem attracta, hunc suum dilectum magnetem, quocumque ierit, sequantur, cui hoc Lemma dedêre: *Vis occulta trahit:* Vel: *Solus amor ferri.* Talis Magnes amoris SS. COR JEsu est, quod in vita & in morte mirâ & occultâ vi durissimum ferrum, hoc est, ferrea hominum corda ad se attraxit. Testes sunt Apostoli omnes, qui ad unam vocem relictis retibus secuti sunt Dominum. Testes tot millia hominum, in fame & siti per desertum Christum sequentium. Testes Dismas latro & Centurio conversi cum aliis pluribus in monte Calvariæ transfixioni SS. CORDIS JEsu Crucifixi præsentibus, de quibus recenset Lucas: *Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.* En mirandam ac planè divinam vim SS. CORDIS JEsu: *Si enim,* sunt verbà S. Hieronymi, *in magnete lapide hæc esse vis dicitur, ut ferrum trahat, quantò magis Dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat, quos volebat?*

Matth. 4, 20. *Marc. 6, 34.* *Luc. 23, 48.* *S. Hier. in cap. 9. Matth.*

Hoc summis quondam votis exoptavit Sponsa illa dilecta, dum ex propriis viribus se infirmam, & ad sequelam SS. CORDIS JEsu Crucifixi omnino impotentem se agnoverat, nisi speciali gratiâ traheretur, ideo hunc suum amantissimum Sponsum impensiùs rogare cœpit, quatenus velut verus magnes cordium humanorum pariter Cor suum terrenum ad se in crucem trahere dignaretur, juxta illud promissum Veritatis: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Et hoc est, O pie Lector, quòd à SS. CORDE JEsu paribus votis flagitare debes, ut Cor tuum ad se in crucem velit attrahere. Inspice Emblema, in quo SS. COR JEsu alatum, saucium, spinis cinctum, & in cruce suffixum, inferiùs autem cor tuum in terrarepens spectabis, duabus quidem pennis amoris Dei & proximi instructum, sed terrenis adhuc affectibus, & amore proprio nimio implicatum, & idcirco impotens, ut in altum volet, cui pro lemmate illud à Sponsa mutuatum inscribere placuit:

Jo. 12, 32.

Trahe me post te.

Cant. 1, 3.

2. Ta-

UVA. BHSC. BU 00661

2. Talis magnes amoris fuit Cor Eliæ, honoris Dei semper zelantissimum, quod etiam sine voce ad se cor Elisæi attraxit. Transibat fortè Elias à facie Jezabelis Reginæ profugus agrum Elisæi, vidénsque illum terram duodecim jugis boum arantem, pallium sine voce super Elisæum misit, quo dato & accepto suo signo, mox cor Elisæi in aliud mutatum est, dum patrem & matrem, boves & oves, agros & prædia reliquit, & pauper pauperem Eliam secutus est: *Tulit par boum, & mactavit illud, & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo, & comederunt, consurgénsque abiit, & secutus est Eliam.* 3. Reg. 19. 21. Talis magnes amoris fuit & Cor Jonathæ, Principis fortissimi, quod suo exemplo cor armigeri sui per eminentes petras & prærupta montium cacumina, contempto omni vitæ periculo, post se rapuit: *Ascendit autem Jonathas manibus & pedibus reptans, & armiger ejus post eum.* 1. Reg. 14. 13. Talis magnes amoris fuit Cor Davidis Regis, qui cor Ethai fidelissimi servi sui in omni tum prospera, tum adversa fortuna probavit, & ad sui sequelam fortiter allexit: *Vivit Dominus, & vivit Dominus meus Rex: quoniam in quocunque loco fueris Domine mi Rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus.* 2. Reg. 15. 21. Plùs & infinities plùs SS. COR JEsu ad se attrahere solet ferrea hominum corda, si illius divinæ gratiæ excitanti per amorem proprium non solent ponere obicem: *Trahuntur homines*, ait S. Aug. *non ut nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant*, qui perspectâ veritate de infinitis meritis SS. ac Diviniſſimi CORDIS JEsu, omnia nostra peccata in se suscipientis, propriâque morte ac sanguine eluentis, miro quodam modo ad amorem illius rapiuntur. Sic miles ducis exemplo fortiter trahitur; sic pastorem præcedentem ovicula, sic umbra suum corpus, sic palea succinum, quocunq; ierit, sequitur: & si cani projicis os aridum, sequi vias tuas solet, atque ad nutus tuos paratum se exhibet. O Anima Christiana! En, clamat ad te sine voce SS. COR JEsu, tuo amori, tuo cultui expositum: *Sequere me*: simúlque promittit æternam felicitatem & cœlum, imò seipsum in præmium, & tu hæsitas ingrata? Dic, quæso, quid ab hac SS. CORDIS JEsu sequela, & sincero illius amore cor tuum adhuc retardat, S. Aug. l. 1. ad Bonif. c. 10. Jo. 1, 43.

UVA. BHSC. BU 00661

tardat, aut retrahit? an observatio præceptorum? At *mandata*
1. Jo. 5, 3. *ejus gravia non sunt*. An fortasse jugum ejus insupportabile? sed *ju-*
Matth. *gum meum suave est, & onus meum leve*. An amor sæculi, divitia-
11, 30. rum, voluptatum? verùm hæc omnia oportet te aliquando defere-
1. Jo. 2, re: *Mundus transit & concupiscentia ejus*. Ergo dum tempus est, in
27. rem & salutem tuam vigila. Quære SS. COR JEsu, dum tempus est.

3. De magnete ulteriùs referunt Scriptores, quòd in extremis Indiæ oris integræ cautes magneticæ reperiantur, quæ mirâ vi ingentes naves, si quid ferramenti in eis inveniatur, ad se etiam remotè attrahere solent, ubi ferrei quidem clavi tenaci nexu magneti adhærent, sed navis luxatis compagibus dissoluta, in fluctuum ludibria di-
S. Aug. l. spergitur. Juvat hîc audire S. Aug. *Narrant*, inquit, *nautæ nostrates,*
21. de civ. *in ima India esse maritimas cautes magneticas, quæ medio cursu na-*
c. 4. *vigia, si quid sit in eis ferri, vel clavus unus, sistant, detineant, attrahant*. Quidquid sit de his cautibus magneticis, SS. COR JEsu tanquam verus magnes cordium humanorum longè suaviori modo ad se traxit omnia, & etiamnum trahit corda humana tum suo exemplo, tum sanguinis merito, ac pretio, tum etiam summo amo-
Jer. 31, re, quod prævidens Jeremias exclamavit: *Et ideo attraxit nos*
3. *miserans. Traxit*, inquam, hoc SS. COR JEsu Crucifixi comprimis ipsum Deum, qui per hoc pretiosiss. Sacrificium, in cruce oblatum, hominibus rursus placatus est. *Traxit* Angelos, quorum ruinam hoc mitiss. COR JEsu benignè reparavit. *Traxit* infernum seu limbum & purgatorium, ex quo Patrum animas misericorditer eruit, totámque simul captivam eduxit captivitatem. *Traxit* cœlos, solem & lunam, dum ad aperturam hujus SS. CORDIS JEsu Crucifixi obstupescentes, radios à terra tanquam luce indigna subtraxerunt. *Traxit* aërem præ compassione densissimâ tenebrarum caligine involutum. *Traxit* terram universam à centro suo comotam, & præ doloris vehementia contremiscentem. *Traxit* denique creaturas omnes,
Cornel. à *tanquam obstupescentes*, ait Cornel. à Lap. *& offerentes se ad pu-*
Lap in *gnandum pro eo contra Judæos Christicidas, eósque dispergendos.*
Jo. c. 12, Et nunquid, ô Anima Christiana! & tuum aliquando cor ad ma-
32. jorem

UVA. BHSC. BU 00661

jorem cultum, venerationem & amorem hujus SS. & amabiliss. CORDIS JEsu ab hoc ipso div. Magnete, publicæ jam in pluribus diœcesibus venerationi fidelium expositio, fortiter trahetur? *si trahit sua quemque voluptas*; ubi major voluptas, quàm in hoc dulciss. CORDE JEsu? quid amas, si hoc SS. COR JEsu non amas?

4. De Marco Antonio sumo quondam Romano Oratore recensetCicero, quòd, cùm causam M. Aquilii, injustè apud Senatum accusati, defenderet, nec Judices verborum vi in suam sententiam & ad comiserationem flectere posset, ut Aquilium à falso crimine iniquè delatum absolverent, demum de cathedra sua descenderit, & reo in medio tunc consistenti coram omni populo pectus aperuerit, ostendens illis denudatum pectus & vulnera ejus, quæ pro salute & incolumitate patriæ in variis conflictibus olim accepit. Tum ad Judices conversus: Si mea, inquiebat, hactenus verba, ò Patres Conscripti, non potuerunt cor vestrum movere, ut hujus innocentis Aquilii patrocinium in vos susciperetis, moveant vos saltem beneficia, quæ in Rempublicam contulit, & vulnera, quæ hactenus pro bono communi sustinuit; non enim sanguinolentæ istæ in pectore cicatrices infidelis animi, sed viri in Rempublicam optimè meriti sunt tesseræ ac luculenta insignia, quæ magis, quàm ego, pro eo loquuntur, probántque virum innocuum. Dixit, Judices in sententiam suam flexit, & Aquilius à mortis sententia absolutus, pristinæ libertati restitutus est. Et quid dico anime mi? Si hæc omnia, quæ de vita & passione, amore & dolore SS. CORDIS JEsu Christi hactenus per plures considerationes disserui, cor tuum eò trahere non potuerunt, ut à malo declinares, & faceres bonum, Deúmque tuum & Hominem tui causâ & amore cruci affixum, ex toto corde tuo redamares; trahant & moveant te saltem SS. ejus Vulnera ac præsertim Divinissimum ac sauciatum COR JEsu. Inspice per hoc reseratum vitæ ostium usque ad SS. CORDIS intima, & considera, quomodo amaverit te, dum non solùm in manibus, sed etiam in ipsis cordis intimis latebris descripsit te. Et hic est ille magnes amoris, qui cor tuum sursum trahere debeat, ut illud totum DEo consecres juxta illud: *Præbe fili mi cor tuum mihi.* Ubi ad-

Tull. Cicero act. 7. in Verrem.

Proverb. 23, 26.

UVA. BHSC. BU 00661

advertendum, quòd cor nostrum non Deo ad tempus commodandum, sed ex integro, & cum omnibus affectibus præbendum sit, *ut de cætero*, inquit Hugo Cardinalis, *cor nostrum nihil juris habeat, nihil velit, nihil sapiat, nisi quod vult, & sapit Sapientia.* Et S. Bernardus, *Nihil dignius*, inquit, *cogitari potest, quàm cor ad eum referre, qui, ut viveret, mori voluit.*

Hugo Card. hic.

S. Bern. ep. ad quendam postulantem.

5. Nunquam legistis animæ Christianæ, quàm varia, inepta ac stolida Sacrificia quondam Gentiles Idolis, falsisque Diis suis consueverint offerre? Ad placandum Jovem Romani coronatum arietem in victimam mactabant. Neptunum pelagi domitorem pingui tauro, viridi sertô redimito placabant. Apollini Musarum Præsidi capram, Baccho hircum pampineo serto coronatum, Priapo hortorũ custodi stupidum asinum, Æsculapio medicinæ inventori gallinam, Dianæ nemorum cultrici cervam, & veneri columbam offerebant &c. Apage cum istis larvis & falsis numinibus: *Qui sic credit*, ait S. Aug. *non Pater eum traxit: quem traxit Pater? illum, qui dicit: Tu es Christus Filius Dei vivi*, qui ei primogenitum suum in Sacrificiũ offert: *Sanctificate mihi omne primogenitum*; primogenitum est Cor nostrum. Supra quod eleganter Divus Bernardus: *Quid à nobis*, inquit, *requirat DEus? Cor nostrum, nihil dignius producere potest, quàm ut ei se restituat, à quo factum est, & hoc à nobis Dominus expetit, dicens: Fili da mihi Cor tuum &c.* Cur sacrificium Abelis à Deo tam benignè acceptum, & econtra Caini fratris rejectum fuerit: *Ad Cain verò & ad munera illius non respexit*? Causam assignat Cornelius, quia Abel totum cor suum Deo obtulit; Cain verò Cor suum divisit, & partialis fuit. Apage cum tali corde partiali, totum enim Cor tuum desiderat SS. COR JEsu trahendum. Cur Nadab & Abiu filii Aaronis tam horrendè à DEO fuerunt puniti, ut egressus ignis ambos momento devoraret: *Ignis à Domino devoravit eos, & mortui sunt?* Causam assignat Scriptura, quia ignem alienum & non Cor suum Deo offerebant; non enim placet purissimo CORDI JEsu Cor divisum, & ignis videlicet malarum concupiscentiarum, & affectuum carnalium ac terrenorũ. Apage, apage cum ejusmodi prophano igne, Cor mundũ, Cor castum postula-

S. Aug. tract. 26. in Joan.

Exod. 13, 2.

S. Bern. loco cit.

Gen. 4, 5.

Levit. 10, 2.

UVA. BHSC. BU 00661

ſtulat à nobis totius Conditor orbis: *Væ duplici Corde*, ait S. Auguſtinus, *qui in Corde ſuo partem faciunt Deo, partem faciunt diabolo: iratus DEus, quia ſit ibi pars diabolo, diſcedit & totum diabolus poſſidet.* Cur Ananias & Saphira uxor ejus ob retentum agri à ſe venditi pretium ſubitaneâ morte fuerunt caſtigati? Et nunquid ager ad illos pertinebat? omnino. Et nunquid pecuniæ exinde receptæ ad illorum voluntatem poterant applicari? Et hoc ſine dubio. Quare ergo ambo tam ſeverè puniuntur? Rationem aſtruit S. Auguſtinus: *Quia diviſum fuit Cor eorum, propterea interierunt.* Vides ex his: anima Chriſtiana, Cor integrum, Cor totum cum omnibus affectibus Deo offerendum eſſe, non placet illi partialitas, neq; Dagon & arca, Chriſtus & Belial in una ſede morari queunt: unde Magnus ille Auguſtinus, qui totum ac inflamatũ Cor ſuum SS. CORDI JEſu præbuit, dicere ſolebat: *Tu excitas, ut laudare te delectet: quia feciſti nos ad te, & inquietum eſt Cor noſtrum, donec requieſcat in te.*

S. Aug. tr. 7. in c. 1. Joan. Act. 5, 10.

S. Aug. de verb. Apoſt. ſerm. 27.

S. Aug. Confeſſ. l. 1. c. 1.

6. Ad hoc SS. COR JEſu Crucifixi, velut lingua magnetica ad ſuam ſtellam polarem, in omni fortuna reſpexit potentiſſimus ille juxtà ac pientiſſimus Romanorum Rex, & poſtea Imp. Ferdinandus Secundus. Audi rem admiratione dignam. Cùm anno à Chriſto Nato 1619. menſe Junio ex inſperato Henricus Matthæus Comes Turrianus cum valido exercitu ex rebellibus Bohemis & confœderatis Acatholicis conflato, Danubium trajeciſſet, & copias ſuas jam-jam in ipſis ſuburbiis Viennæ in Auſtria collocâſſet, ut ibidem Cæſarem aut caperet, aut perderet. Mirum! quantùm tunc temporis jam exultârint iſti rebelles Acatholici: *ſicut exultant victores captâ prædâ quando dividunt ſpolia*, præſertim cùm viderent, quòd & Viennenſes non pauci in ipſa civitate cum Turriano ſuo Duce ad perdendum Ferdinandum conſpirâſſent. Quid in re tam ardua ac periculis plena agit piiſſimus Rex? Cùm nullum ſupereſſet auxilium humanum, ad divinum ſe convertit, & toto Cordis affectu ad Crucifixum JEſum, cujus ſacram effigiem in ſuo conclavi ſummè ſemper venerabatur, confugit, ubi ad pedes illius proſtratus, totóque corpore in terra pronus ſe penitus in oratione divinæ voluntati SS. CORDIS JEſu commiſit, tradidítque. Hæc inter P. Bartholomæus Vil-

Max. Sandæus in ſuo Staurophilo, & Lyræus l. 6. c. 12.

Iſa. 9, 3.

UVA. BHSC. BU 00661

Villerius è Societate JEsu Sacerdos, Regíque à confessionibus in aulam se confert, petítque à primo Camerario adventum suum Imperatori insinuari. Et ecce spectaculum cœlo dignum, & terræ summè admirandum! Cùm Camerarius januam cubilis, in quo degebat Rex tacitus aureâ suâ clave reserat, Ferdinandum non in sua sede, sed humi dejectum, & toto corpore ante SS. Crucifixi imaginem prostratum conspicit. Stat ad hoc attonitus Camerarius, & Confessario idem cœlo dignum, Angelísque admirandum spectaculum indicat. Paulò pòst cùm Rex ab oratione surrexisset vultu in placidam serenitatem mutato, Confessarium ad se introduci jubet: tum ad illum conversus: *Versabar*, inquit, *mi Pater, in periculis, quæ domi forísque imminent, recogitandis: Volvebam animo hostium in suburbiis conatus, Acatholicorum in civitate molitiones, quas exactè novi: Cùm nullum ab hominibus præsens videretur præsidium, ad DEum confugi, quod soleo: Dejeci me ante Crucem, meum Dominum adoravi, & summâ spe plenus fui; miram animo tranquilitatem fecit DEus, irritos conatus hostium, ita spero, DEus efficiet.* Nec spes in Crucifixum JEsum ac mitissimum COR ejus hunc piissimum Imperatorem fefellit; nam illicò & in tempore adfuit auxilium, dum, copiis Catholicis sub noctem inopinatò Viennam ingressis, hostis rebellis confusus, fractus, & dissipatus est, totúmque Bohemiæ regnum sequenti anno legitimo Domino suo in hac ipsa Dominica, ubi Ecclesia Evangelium legere solet: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari*, restitutum est. Cæterùm multorum fama est, & gravium virorum authoritate scriptísque confirmata, Crucifixum illum tunc temporis Imperatori fuisse locutum: *Ferdinande ego te non deseram:* in quem finem hæc sacra imago etiamnum pro veritatis testimonio Viennæ inter & Potentissimi Augustissimi Imperatoris JOSEPHI I. pretiosissima cymelia asservatur, & piè colitur, in cujus suavi amplexu & Sanctorum Vulnerum ac Lateris præsertim crebro osculo pientissimus Imperator LEOPOLDVS I. Anno Christi 1705. die 5. Maji nobilem animam suam sanctè exhalavit. *O beati, qui sic in Domino moriuntur!* Quod denique concernit orationem, quam altè præfatus Ferdinandus II. in tantis constitutus periculis coram hoc Thaumaturgo Crucifixo humi toto corpore prostratus, ad DEum fudit, æquum duxi, ut illius compendium tibi candide Lector hìc pariter subjungerem: *Domine JEsu Christe, generis humani Redemptor! Tu, qui cordia intueris, nosti, me non meam, sed unicam tuam gloriam quærere. Tamen si tibi gratum est his angustiis, & hoc hostium conatu me deprimere, pudore suffundere, hominibúsque contemnendum dare, non recuso: Fiat voluntas tua; habes me indignum famulum ad nutum quemcunque promptum paratúmque.* O felix Imperator, cui sic militat æther! Quid modò restat, nisi ut pari devotione ad SS. COR JEsu Eucharistici & Crucifixi accedamus, ut ab eo pariter auxilium impetremus in tempore opportuno. Finio cum generosis illis Machabæis, ita fratribus suis in Ægyptum scribentibus: *Benefaciat vobis DEus, & det vobis cor omnibus, ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem corde magno & animo volenti.*

Oratio Ferdin. Imp. 2. ad Crucifix.

2. Mach. 1, 3.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XLVI.

SS. COR JESU verum regenerationis Lavacrum, in quo anima à peccatis suis purgata, ad vitam regeneratur æternam.



Lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Apoc. 1, 5.

1. COnstantino M. Romanorum Imperatori tunc temporis adhuc gentili & turpi leprâ infecto ex Medicorum consilio lavacrum parabatur ex innocuis infantium venulis affundendum, in cujus vicem, monente cœlo, sacratius Baptismi balneum substitutum, Imperatori salutem animæ & corporis restituit. Verùm aliud & longè illo salubrius lavacrum nobis paravit Longinus, dum SS. COR JEsu in cruce suffixi crudeli lanceâ perforavit, ex quo *continuò*, hoc est, mox post retractam lanceam (nam quamdiu ferrum vulnus occupat, parùm aut nihil cruoris effluere solet) sanguis & aqua non guttatim, sed confertim & copiosè profluxit. O quàm lugubre hoc erat spectaculum, videre ex uno eodémque

UVA. BHSC. BU 00661

vulnere SS. CORDIS JEsu sanguinem & aquam non mixtim, sed divisim promanantes! Et cur sanguis & aqua? Supra quod S. Chrysost. *Non temerè, aut casu scaturiunt isti fontes, sed quoniam ex ambobus Ecclesia constituta est. Sciunt hoc initiati; per aquam enim regenerati, sanguine & carne nutriti. Hinc mysteria ortum habent, ut quoties ad admirandum calicem accedis, tanquam ab ipso latere hauriens accedas.* Cui saluberrimo Latici etiam illud Apostoli jure merito applicare possumus: *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Scio equidem, Apostolum ibidem loqui de Baptismo, in quò regenerationis lavacro de novo in Christo renascimur; sed unde Baptismus effectum suum habet, gratiámque regenerandi spiritualiter, nisi à SS. ac diviniss. CORDE JEsu? *Unde rubet baptismus*, ait S. Augustinus *nisi ex sanguine Christi?* O quàm benè igitur apud Varem Regium idem pientissimus Redemptor noster in cruce pendens, ferróque immiti secundùm COR transfixus, amanti Pelicano se assimilavit: *Similis factus sum Pelicano solitudinis.* Supra quod eleganter Div. Aug. quòd Christus & hic Crucifixus optimè Pelicano solitudinis à Davide fuerit comparatus, *quia in solitudine natus, quia solus sic natus, scil. à Virgine, & quia in solitudine passus, quia solus sic passus*, dum immemor ipse sui, aliorum autem salutis memor, *propter nimiam charitatem*, prout loquitur Apost. *quâ dilexit nos, cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos.* Est autem Pelicanus, prout attestatur S. Hieron. *Avis Ægyptiaca, in Nili solitudinibus commorans, quæ pullos à serpente occisos, lateribus rostro perforatis, suo sanguine excitat.* Pulchrum revera de Christo JEsu Crucifixo Symbolum! Sicut enim hæc volucris sibi pectus proprio rostro adaperire solet, ut pullos veneno enectos suo cruore vivificet, ita amantiss. Redemptor, utpote verus Pelicanus amoris sacratis. suum Pectus in nidulo crucis adaperiri sibi voluit, ut nos peccato mortuos non tam resuscitaret, quàm etiam proprio sanguine & aquâ diviniss. CORDIS sui in vitam regeneraret, & enutriret æternam, unde lemma ab ipsa veritate mutuatum:

S. Chrys. hom. 48. in Joan.

Ad Tit. 3, 5.

S. Aug. tr. 2. in Jo.

Ps. 101, 7. S. Aug. cit. à Caraff. in Fasc. My. Ephes. 2, 4.

S. Hier. in ep. ad Præsid.

Jo. 10, 10.

Ut vitam habeant.

Imò

UVA. BHSC. BU 00661

Imò ut etiam abundantiùs vitam habeant in hoc sæculo per gratiã, & in futuro per gloriam: *Hactenus*, ait Stengelius, *manserat COR JEsu illæsum quoad substantiam: ne itaque præcipuum sui videretur non expendisse ad nostri redemptionem, permisit & illud sauciari, quò declararet, quòd ut COR, ita totum se, quantus est, nobis dederit.* O infiniti amoris argumentum! O lancea crudelis! ita te appellat universa Ecclesia, quia etiam in mortuum JEsum & in SS. COR ejus crudelis fuisti; imò O lancea dilecta & fidelis! verè clavis regni cœlestis, de qua haud immeritò jam olim in Ecclesia Dei fer. 6. post Octav. Paschæ postulante Carolo IV. Imp. singulare festum institutum fuit, nunc non ampliùs lancea furoris, sed amoris eris, unde versus illi: *Carolus Stengel. in hist. de pass. c. 98.*

Lancea, quæ Martis fueras mortísque ministra;
Amodò quæ facies vulnera, pacis erunt.

2. Mirantur SS. PP. & sacrar. Scripturarum Interpretes, cur DEO Creatori universorum potentissimo quondam placuerit, ex aperto & disrupto latere Adami protoplasti, gravi lethargo ac sopore tunc oppressi, Evam efformare: *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam; cúmque obdormisset, tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro ea, & ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Quid est hoc, Animæ Christianæ! quòd Deus Evam non ex alia parte corporis, quàm ex latere dormientis Adami ædificaverit? Scio, quid cum Aureo Oratore hîc Scripturarum periti sentiant, quòd Adamo dormiente, ex disrupto illius latere, & non v. g. ex pedibus Eva fuerit formata, factum esse ob utriusque majorem concordiam, amorem conjugalem, & mutuam pacem conservandam. Verùm hîc aliud mysterium inquiramus oportet. Audite illustriss. Ecclesiæ Sidus S. August. qui per Adamum in horto paradisi & voluptatis sub opaca arboris umbra indormientem non alium, quàm Secundum & longè innocentioris vitæ Adamum, Christum JEsum in cruce obdormientem intelligit, ex cujus aperto latere & disrupto SS. CORDE Eva Virgo & cunctorum viventium Mater, hoc est, Ecclesia vera cunctorum fidelium genitrix in lucem producta, & in SS. Lavacro divini cruo- *Gen. 2, 21.*

UVA. BHSC. BU 00661

ris & aquæ, largiter ex SS. CORDE JEsu promanantium, in vitam spiritualem & æternam renata fuit: *Ascendat*, ait prædictus S. Augustus. *Sponsus noster thalami sui lectum, dormiat moriendo, aperiatur ei Latus, & Ecclesia prodeat Virgo: ut quomodo Eva facta est ex latere Adæ dormientis, ita Ecclesia formetur ex Latere Christi in cruce pendentis.* O Animæ Christianæ! in veritate Sacramentum hoc magnum est, *ego autem dico in Christo & Ecclesia.*

S. Aug. lib. 12. de Symb. ad Catech. c. 6.

Ephes. 5. 32.

3. Cæterum mihi videtur hæc Sponsa Ecclesia, omnésque justorum animæ ex hoc div. SS. CORDIS JEsu lavacro ad meliorem vitam renatæ, ut quondam Sanctius Garzias Dux Aragoniæ, qui ex dissectæ matris laterali vulnere feliciter in lucem prodiit. Res ita se habet. Cùm Ennicus Garzias Dux Aragoniæ ad bellum contra Mauros processisset, comitem se illi ac individuam sociam Urvea uxor, mulier heroica tunc temporis gravida adjunxit. Infeliciter contra Mauros pugnatum est, Dux ipse trucidatus, cæsus exercitus, & Urvea conjunx in latere hostili lanceâ transfixa: & cùm de fuga sibi consuleret, in sylvosis Navarræ montibus concidens, animam expiravit. Fortè hunc locum transit Guevara homo Nobilis, Reginam mortuam deprehendit, in vultu agnitam: & cùm infantulus, quem in utero gestabat, per apertum latus manum tremulam protenderet, è matris defunctæ utero illum felicissimè cum testibus adhibitis excidit, cui in sacro fonte nomen Sanctii indidit, conjugíque alendum commisit. Sic in summo silentio per quindecim annos inter famulorum pastorúmque ministeria educatus, tandem cùm Aragoniæ Proceres de novo eligendo Duce comitia celebrarent, à Guevara totius rei seriem cum testibus exponente, Sanctius productus ac summo omnium plausu communíque populi lætitiâ in Septimum Aragoniæ Ducem electus est. Sed ad quid ista recenseo? Tu, tu, O Christiane! tu es ille Sanctius ex aperto latere & divinissimo CORDE Crucifixi JEsu non tantùm in vitam novam renatus, sed & in sanguine & aqua ipsius Servatoris tui à peccatorum sordibus mundatus: *De Latere tuo, O Domine JEsu* (subintrat hîc S. Cyprianus M.) *fons egreditur; ex hoc non solùm ablutionis primæ* (Baptismi scilicet) *venas haurimus, sed & compunctionis & lacrymarum per-*

Lucius Marin. to. 1. hist. Hisp. l. 8.

S. Cypr. M. serm. de Resur. Dom.

en-

UVA. BHSC. BU 00661

ennes effluunt rivi misericordiarum tuarum, & totius pietatis testes, quando in peccata relapsis secundâ ablutione opus est. Ecce, quomodo Sacratissimum COR JEsu patria nostra sit, & locus nostræ regenerationis, ac longè melioris nativitatis! Superbiant alii, (per me licet) & super sidera attollant avitum suum stemma longámque illustrium avorum seriem: sed stemma veræ Christianæ nobilitatis & antiquæ prosapiæ nostræ est Sacratiss. COR JEsu: *In hoc Latere*, ait S. Antistes Hipponensis, *in veram vitam regenerati sumus, & regeneramur.* O verè genus electum, genus regale, gens sancta & populus acquisitionis! *S. Aug. de Symb. cap. 6.*

4. O SS. COR JEsu, cui ulteriùs te comparabo? Fodina es gratiarum omnium, quia *de plenitudine ejus omnes accepimus.* Apotheca es aromatica contra omnes animæ nostræ infirmitates, *quia tuo livore sanati sumus.* Sigillum es omnium purorum cordium: *Pone me ut signaculum super cor tuum.* Urbs es refugii: *In qua se*, ut loquitur S. Bernardus, *columba tutatur, circumvolitantem intrepida intuetur accipitrem*: Fons es signatus, de quo Hugo à S. Victore: *Lava animam meam, quam tuâ imagine signâsti, munda corpus, quod redemisti.* Lavacrum denique es animarum, *in quo secundùm misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam.* Ita vidit S. Gertrudis, quòd ex CORDE JEsu fons pellucidus in Servos Dei largissimè prosiliret, eósque mirâ suavitate reficeret, & mundaret. Ad hoc salutare lavacrum pariter allusit Propheta ille Apocalypticus, dum Beatorum animas vidit, vestimenta sua, hoc est, conscientias & corda sua dealbantes, & sanctificantes in sanguine Agni in cruce quondam occisi: *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Sicut enim Sapone maculas & sordes vestimentorum solemus mundare; sic sanguis & aqua ex vivifico fonte SS. CORDIS JEsu profluentes animæ nostræ ob peccata contritæ maculas peitus abstergunt, & eluunt. Audi Blosium Abbatem pro more suo omnes fideles piè adhortantem, ut ad hoc SS. COR JEsu cum omni fiducia accedant: *Apertum*, inquit, *est Christi Latus, ut nobis accessum, aditúmque pius JEsus ad COR suum patefaceret.* *Jo. 1, 26. Isa. 53, 5. Cant. 8, 6.* *S. Bern. in Cant. Cant. 4, 22. 1. Petri 1, 3.* *Forsterus in lib. de Congreg. Jes. Cruc. Apoc. 7, 14.* *Ludovic. Blos. in Mon. Sp. cap. 19.*

UVA. BHSC. BU 00661

Unde declaravit suum erga nos incomprehensibilem amorem. Et quid ultrà nobis potuit facere, quàm fecit? ipsum COR suum tanquam secretiss. cubiculum nobis reseravit: sunt namque deliciæ ejus esse nobiscum, & in silenti tranquillitate, & in tranquillo silentio voluit apud nos quiescere. Dedit nobis Cor suum dirè vulneratum, ut in eo commoremur, donec penitus expurgati & mundati, suóque Cordi conformes, idonei ac digni simus unà cum ipso in æterni Patris COR abduci. Hæc ille.

5. O dulciss. COR JEsu favus mellis distillans es, præsertim illis, qui, dum ad SS. Synaxin accedunt, non aliter se parant, ac si in hoc Sacrum Vulnus amoris & in SS. COR JEsu charitate ardentissimum vellent intrare. Tali affectu & cupiditate S. Catharina Senensis solita erat ad Sacram Communionem accedere, quæ non aliter, ac infans uberibus Matris, sic illa SS. Lateri & CORDI JEsu adhæsit. Et si quondam Samson in occisi leonis faucibus suavem mellis favum invenit, quò se & parentes suos refecit: *Examen apum in ore leonis erat ac favus mellis:* quàm dulce erit nutrimentum Diviniss. COR JEsu ejusmodi animæ famelicæ, verè Deum suum amanti, & quotidie saltem per Communionem spiritualem intra cor suum recipienti? Et si olim populus ille electus *suxit mel de petra oleúmque de saxo durissimo*; petra autem & saxum illud durissimum erat Christus Crucifixus in typo præsignatus: quid erit ex ipso fonte Diviniss. CORDIS JEsu suavissimum omnium gratiarum mel exsugere? Et nunquid *dulciùs ex ipso fonte bibuntur aquæ*? O peccatores omnes & singuli, quid agitis miseri? & quare cum prodigo de siliquis porcorum ventrem & mentem vestram impletis? ah respirate aliquando, & cum S. Thoma pœnitente, animo pariter contrito, ad SS. COR JEsu accedite: & quemadmodum apicula timida & à facie venti dispersa, optatum nutrimentum ac unicum solamen in corde candidi aut purpurei lilii quærit ac invenit, cui impensissimè inhærere, suavémque ab illo rorem & mellificum succum exsugere assolet, cui apiculæ in corde lilii hærenti Italus quidam pro Lemmate inscripsit: *Dolce albergo mi da nel suo cuore*, quod idem est, ac *Dulce hospitium mihi in corde præbet suo:* Ita anima peccatrix, si verè

P. Joan. Wey. to. 2. l. 2. c. 19. §. 12.

Judic. 14, 8.

Deut. 32, 13.

P. Bosch S. I. in art. symb.

UVA. BHSC. BU 00661

si verè nunc de malè actis pœnitens cum lacrymis ad SS. ac Diviniſſ. COR JEsu recurris, ô quàm immenſam dulcedinem ibi non invenies? *Feciſti*, inquit S. Bonaventura, *ô Domine JEsu promecœlum & terram, ſolem & lunam, & omnia viſibilia; ſed ſcias Domine, omnia mihi vileſcunt: igitur omnia tibi reſtituo, tantùm da mihi Sanctiſſ. Vulnera tua*, ac præſertim Diviniſſ. COR tuum, hîc cum Davide *in pace in idipſum dormiam, & requieſcam.* *S. Bonav. in Stim. p. 1. c. 15. Pſ. 4, 9.*

6. O benigniſſ. COR JEsu! Mare es profundiſſimum & abyſſus omnium gratiarum ac benedictionum, ſicut enim *omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant*: ſic à te omnes gratiæ fluunt, & denuo ad te velut ad fontem ac centrum ſuum revertuntur. Ab hoc Diviniſſ. CORDE acceperunt Apoſtoli ſuam fidem, Martyres fortitudinem, Confeſſores juſtitiam, Virgines continentiam, & omnes Electi gloriam ſempiternam. O igitur abyſſus omnium bonorum SS. COR JEsu! ad quod ſaluberrimum animæ lavacrum in omni periculo ac tentatione, in cunctis ærumnis & anguſtiis, tum in vita tum in morte nos oportet conferre. Et ſi cor tuum, ô Chriſtiane Lector! eſt abyſſus omnium miſeriarum; en in hoc Diviniſſ. CORDE JEsu invenies abyſſum omnium ſimul gratiarum. Et nunquid *abyſſus abyſſum invocat in voce cataractarum tuarum*, hoc eſt, Sanctiſſimorum Vulnerum tuorum ac præſertim SS. CORDIS JEsu, amoris & lanceæ vulnere ſauciati? O quàm benè de illo Gentium Doctor Paulus: *Ut poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo & longitudo & ſublimitas & profundum.* Singula autem hæc verba Apoſtoli ſunt obſervanda: *Ut poſſitis*, inquit, *comprehendere*, hoc eſt, animo concipere, *quæ ſit latitudo* hujus SS. CORDIS JEsu, dum illius immenſa charitas ac beneficentia in omnes gentes & homines ſe extendit. *Quæ longitudo*, dum jam à primo conceptionis ſuæ momento in continuo amore dilexit nos. *Quæ ſublimitas*, dum nunc ſuper omnes cœlos & Angelos exaltatum, ab omnibus creaturis adoratur. *Quod profundum*, dum illius virtus uſque ad inferos deſcendit. Vade nunc anima Chriſtiana, & dimetire potentiam hujus SS. CORDIS, in quo omes Electi ad æternam vitam renati ſunt. O quàm bene igitur Seraphicus Bonaventura mortales omnes ad idem Diviniſſ. COR JEsu invitat: *Accedamus*, inquit, *chariſſimi ad COR altum, & in illa profunditate benignitatis immenſa totaliter immergamur. Accedamus cum fiducia ad Chriſti Latus, & intremus ipſum: Accedamus chariſſimi, accedamus, moriamur cum ipſo. Accedamus ad Latus ejus, & ſugamus ſanguinem ejus, quia hoc beneplacitum ejus eſt. Non faciamus illum fruſtra talia pati: non permittamus hunc ſanguinem effluere ſuper terram. Fiant ergo corda noſtra receptacula & vaſa ſanguinis Dom. Noſtri JEsu Chriſti, & ejus inebriati doloribus dicamus: Nobis autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri JEsu Chriſti Crucifixi.* Hæc de SS. CORDE JEsu Seraphicus Bonaventura. *Eccl. 1, 7.* *Epheſ. 3, 18.* *S. Bonav. ſtim. div. am. p. 1. c. 13.*

7. Non autem ſemel ſed ſæpius in hoc ſaluberrimo Lavacro SS. CORDIS JEsu

UVA. BHSC. BU 00661

JEsu animam nostram, à peccatorum sordibus toties fœdatam, oportet nos la-
Isa. 1, 16. vare: *lavamini, mundi estote.* Naaman princeps Syriæ locupletissimus sed lepro-
sus ad verbum Elisæi septies se in Jordanis flumine abluit, & à lepra divinitùs
4. *Reg.* 5, mundatus est: *Descendit, & lavit in Jordane septies juxta sermonem viri Dei, &*
14. *restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli & mundatus est.* Eliæ Sacrificium
3. *Reg.* 18. Deo quondam placuit, & ab eo ratum acceptúmque fuit, quia sæpius illud aquâ
34. superinfusâ rigare ac lavare studuit: *Implete quatuor hydrias aquâ, & fundite su-*
per holocaustum, & super ligna, quod cùm aliquoties Israëlitæ fecissent, tandem
ignis de cœlo descendit, & holocaustum illud cum lignis & lapidibus devora-
vit. David ob adulterium & homicidium innocentis Uriæ non semel, sed sin-
Ps. 6, 7. gulis noctibus cor suum à malitia lavare studuit: *Lavabo per singulas noctes lec-*
tum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Hinc toties à Deo petiit: *Cor*
Ps. 50, 12. *mundum crea in me Deus &c.* Si cor tuum ô Christiane Lector pariter SS. CORDI
JEsu in Sacrificium offerre desideras, oportet, ut nunc illud lacrymis non semel
Jer. 4, 14. sed sæpius laves: *Lava à malitia cor tuum.* Si secutus es errantem, imitare & pœ-
nitentem, quem hîc tibi pro dictorum coronide subjungo. Quidam Juvenis (ut
Lucas Wading. ex Chronicis S. Franc. ad an. 1220. *& ex eo P. de Wael.* Auctor est Lucas Wadingus) à S. Francisco in Ordinem admissus, cùm paulò
pòst variis tentationibus ab humani generis hoste gravissimè tentaretur, tot vi-
ctus impulsibus instanter à S. Viro licentiam petiit, denuo ad sæculum redeun-
di. Ad quem S. Pater: Itáne fili mi pro vili terra cœlum deseres? pro parentibus
Christum tanta pro te passum? siccíne viam salutis relinques, ut viam æternæ
damnationis ingrediaris? Crudelis certè in te forem, si in hoc tibi consentirem.
Verùm non audiit Juvenis hoc salutare monitum, proinde ad fugam se paravit.
Et ecce vix è limine monasterii excesserat, virum gravi & indignante vultu ob-
vium habuit, quærentem ex eo, quò abiret infelix? cui profugus indignabun-
dus: *Quid tibi mecum est, & quid ad te iter meum?* Ad quod Viator ille
(qui Christus erat) sine mora pallium removens, quo erat amictus, ei SS.
vulnera in manibus ac pedibus recenti sanguine manantia & exinde apertum
latus ac dulciss. COR suum ferro transfixum ostendit cum gemitu: *Vide*, inquie-
bat, *quanti mea interfit, te de hoc itinere interrogare?* Has pro te in cruce su-
stinui plagas, ut te errantem oviculam à via perditionis ad viam æternæ sa-
lutis reducerem. Hæc cùm Juvenis ille audiisset, ac vidisset, tantâ JEsu beni-
gnitate intimè commotus, ad pedes ejus provolutus est, viam lacrymarum
profundens, veniámque humiliter exorans, qui & postea velut prodigus fi-
lius à S. Francisco benignè receptus, per reliquum vitæ curriculum fratri-
bus suis singulari sanctitatis & vitæ religiosæ exemplo præluxit, & assiduò
cum columba illa mystica in foraminibus petræ & caverna maceriæ, hoc
est, in SS. CORDE JESU habitavit. O anime mi, plus pro conclusione
non addo, quàm quod S. Ambrosius ad Theodosium dixit: *Si secutus*
es errantem, sequere pœnitentem.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XLVII.

SS. COR JEsu Infirmorum Salus, & vita morientium, in quo dulce est vivere ac tandem securum mori.



In nidulo meo moriar. Job. 29, 18.

1. JOb Rex Idumææ, cùm omnibus bonis ac opibus suis excidisset, & jam toto corpore, à vertice capitis usque ad plantas pedum, ulcerosus, & à diabolo percussus in sterquilinio sederet, spe tamen plenus à Deo postulavit, ut finitis hisce miseriis in bona pace, ac in proprio lectulo domûs suæ paternæ suaviter animam posset expirare; quam gratiam, postquam adversa omnia incredibili patientiâ sustinuit, etiam à Deo impetravit, dum illi non sanitatem duntaxat & cuncta bona dupliciter reddidit, sed & eum plenum dierum in proprio nidulo, prout desideravit, in pace quiescere, & beatam animam exhalare permisit: *Dicebámque in nidulo meo* Job 29, 18.

UVA. BHSC. BU 00661

meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies. Pereleganter hîc advertit Pagninus, quòd per hanc palmam & Hebraicum verbum *Chol* etiam Phœnix avis subaudiri debeat, qui Phœnix, teste Pierio, sibi lectulum mortualem & triumphalem ex aridis spinis & bacillis odoriferis parare solet, ubi inter flammas ab ardentibus solis radiis accensas, medius non tam comburitur, quàm & de novo ex cinere renascitur: unde lemma: *Bustúmque partúmque.* Vel, si mavis: *Uror, morior, orior,* Talem quoque mortem patientiss. ille Job à Deo petiit: *In similitudinem avis Phœnicis,* subintrat hîc Tirinus, *per mortem in cinere carnis velut in nido ad tempus moriar, sed inde resurgam quasi Phœnix in vitam & gloriam æternam.* Prudens Lector! non dubito, quin pariter unicum votum ac desiderium tuum sit, piè aliquando & sanctè moriendi, quia solùm illi *Beati, qui in Domino moriuntur.* Et ecce, ostendo tibi lectulum seu nidulum, in quo cum Beato Jobo inter tot adversa securè valeas vivere, ac tandem beatè mori. Nidulus autem ille seu lectulus floridus non alius est, quàm apertum Sacr. COR JEsu. Ita devotiss. Ludovic. Blosius: *Nobis,* inquit, *præbet COR suum ceu lectulum purpurei Sanguinis sui rubentibus rosis adornatum, reposcitque cor nostrum ceu lectulum candidis mundorum operum liliis condecoratum.* In hunc finem pro Symbolo Phœnicem statuimus in spinoso, odorifero, & ignito suo lectulo suaviter expirantem cum inscripto lemmate:

Tirinus hîc.

Apoc. 14, 13.

Lud. Blosius in Mon. Sp. c. 19.

Hîc mihi dulce mori.

En pulcherrimum hominis Christiani, Deum verè amantis, & in dulcissimo CORDE JEsu Crucifixi morientis, typum! ubi enim, si totum mundum pertransis, suaviùs vivere, ac securiùs mori poteris, quàm in hoc divinissimo CORDE JEsu? *Non poteris fato nobiliore frui.* Unde Job: *Dicebámque, in nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies.* Ecce, sic moritur justus! O beata mors! O felix sors! Quis hîc non exclamet cum Sponsa: *Ecce, tu pulcher es, Dilecte mi, & decorus: lectulus noster floridus.* O verè floridus lectulus SS. COR JEsu, omnium virtutum floribus condecoratum, ex quo denuo, velut ex fonte vitæ refloresceret caro nostra, & requiesceret in spe: *Refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor ei.*

Job. 29, 18.

Cant. 1, 15.

Ps. 27, 10.

2. Ve-

UVA. BHSC. BU 00661

2. Verùm ut hujus diviniſſ. CORDIS JEsu immenſam benignitatem, præſertim in infirmos ac morientes largiſſimè effuſam, adhuc clariùs valeatis penetrare, ad id amabò attendite, quod referam. Dilectus ille Diſcipulus, & Verbi Incarnati intimus Secretarius, qui ex SS. CORDE JEsu fluenta Evangelii ſui hauſit, & cui in cruce moriens Dei Filius mœſtiſſimam Matrem ſuam impensè commendavit, hic, inquam dilectus Domini Diſcipulus, cùm ſub cruce fideliter usque ad mortem Magiſtri ſui divini perſeverâſſet, tandem circa horam diei nonam advertit, quòd pretioſiſſ. orbis Redemptor morte jam jam inſtante ſacrum caput ſuum versùs terram inclinaret, & ſic inclinato ac demiſſo capite innocentiſſ. animam in manus Patris ſui commendaret: *Et inclinato capite tradidit ſpiritum.* Grande hîc latet myſterium. Et cur benignus Dominus non in cœlum ultimo crucis agone in duriſſ. lectulo ſuo moriens oculos levavit? Ad quid terram reſpexit? De S. Stephano perhibent Apoſtolorum Acta, quòd in medio crepitantium ſaxorum imbre, imminente morte, oculos in cœlum intenderit. Sic S. Petrus Romæ inverſo corpore cruci affigi voluit, ut in cœlum, quò anima nunc pergeret, oculos poſſet levare. Ita S. Martinus jugiter in agone cœlum ſuſpexit, & pia illa Mater à S. Symphoriano filio ſuo, cùm ad lanienam ac martyrium duceretur, unicè flagitavit, ut cœlum ſuſpiceret, & ibidem regnantem intueretur. Verùm Chriſtus Author vitæ nunc moriens in cruce Caput ſuum ſpinis redimitum versùs terram inclinare voluit: *Et inclinato capite tradidit ſpiritum.* Et cur hoc? Attendite ô mortales omnes! *& levate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.*

Jo. 19. 30.

Act. 7, 55.

Luc. 21. 28.

Omiſſis aliis ac pluribus SS. Patrum rationibus, cur mitiſſ. JEſus in crucis patibulo moriens caput versùs terram inclinaverit, placet comprimis S. Athanaſius, qui optimè obſervat, quòd tunc in agone Chriſti mors (de qua Habacuc: *Ante faciem ejus ibit mors.*) in Calvariæ jugo jam parata ſteterit, arcum ſuum intendens, & telum lethiferum ad SS. COR JEsu, velut ad vitæ fontem dirigens. Sed ipſa mors, cùm videret innocentiſſ. Agnum absque ullo peccato (*quia*

Habac. 3. 5.

UVA. BHSC. BU 00661

Rom. 5. 12. *per peccatum mors*) non ausa est propiùs ad agonizantem JEsum accedere, ut huic Authori vitæ vitam adimeret, proinde à morien-te Salvatore aliquod signum expectavit, qui illi de cruce inclinato capite & ad sacratiss. Pectus demisso annuit, ut nunc ad vitæ fontem, hoc est, ad diviniss. COR suum mortiferam sagittam emitteret; se enim paratum esse pro redemptione generis humani etiam nunc mortem subire: *Sola mors*, ait S. Athanasius, *restabat adhuc, atque hæc quidem sibi metuens, appropinquare non audebat, ideo Christus inclinato capite vocavit ipsam &c.* Et Mallonius: *Inclinato capite Christus omnes sui corporis partes lustrat, an aliqua sit pars, quæ passa non esset, vidit latus dextrum, quod non ita passum videbatur, & vulneri locum elegit, ut COR feriatur.* Et ecce! vix mors fatale telum emiserat, sine mora SS. COR JEsu, præ doloris vehementia crepuit, ita B. Virgo ad S. Birgittam: *Tandem COR crepuit præ violentia passionis & anima egrediebatur.* Et in alio loco eadem do-loros. Virgo S. Birgittæ dixit: *Appropinquante autem morte Filii mei, cum Cor præ dolorum violentia rumperetur.* Et quemad-modum in subito & gravi terrore experimur, quòd sanguis copio-sè ad cor patiens fluere soleat, quasi illi ferre suppetias vellet, sic in luctuosissimo illo Salvatoris agone reliquus sanguis ad SS. COR JE-su nunc per mortem sciissum confluebat, & quia etiam hunc san-guinem amor pro nobis effundi voluit, ideo militem evocavit, qui lanceâ latus ejus, ipsúmque dulciss. COR JEsu aperuit, *ut illic quo-dammodo* (ut loquitur S. Aug.) *vitæ ostium panderetur*, in quo SS. CORDE, velut in purpureo lectulo fideles omnes & securè contra tentationes vivere, & beatè mori possent. O feliciss imam sortem in hoc amantiss. CORDE JEsu posse subire mortem, juxta exem-plar B. V. MARIÆ, de qua refert Laur. Moselli, quòd hoc diviniss. COR JEsu Filii sui beatiss. animam suam expirârit.

S. Athan. lib. Dicta & Interp. S. Script. q. 41. Mallon. de Sacra Sindone c. 20. Revel. S. Birgitt. c. 51. lib. 1. Rev. c. 10. S. Aug. tr. 120. in Joan. Laurent. Moselli lib. 6. de B. V.

3. De Moyse referunt S. Paginæ, quàm ardens habuerit desi-derium, Div. illam faciem, gloriámque Domini videndi: *Ostende mihi gloriam tuam.* Tandem votorum compos factus in Montem Sinai se recepit, ubi à Deo jussus est, interim in cavitate seu in foramine

UVA. BHSC. BU 00661

ne petræ expectare, donec Majestas Domini transiret. Audi ipsum Deum loquentem: *Ecce*, inquit, *est locus apud me, & stabis supra petram, cúmque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextrâ meâ, donec transeam, tollámque manum meam, & videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Ad quid, obsecro, Moyses in foramine petræ absconsus fuit, ubi gloriam Dei per rimas videre cupiebat? Per petram Christum intellige. *Petra autem erat Christus:* per cavernam petræ, ubi Moyses ab omni periculo securus & à manu divina protectus latitabat, ne à vibrantibus divinæ faciei splendoribus exanimaretur, rectè perforatum latus ac SS. COR JEsu accipies, quod est omnibus fidelibus piè in Christo morientibus tutiss. asylum: ita S. Augustinus: *Longinus aperuit mihi Latus Christi lanceâ, & ego intravi, & ibi requiesco securus.* Per posteriora Domini, quæ Moyses solùm vidit, teste Ferdinando, dorsum Christi cruentis flagellis cæsum, vulneribus saucium, ac gravissimâ crucis trabe oneratum indicatur, quem immensum passionis & divini in nos amoris excessum ubi Moyses tum adhùc in umbra vidit, præ admiratione, cùm transiret Dominus, exclamavit. *Dominator Domine, Deus misericors & clemens, patiens & multæ miserationis &c.* O anima Christiana, si vis pariter post hunc mortalis vitæ cursum cum Moyse videre faciem & gloriam Domini Dei tui, priùs oportet posteriora, hoc est, passionem Domini intueri, in quem finem *ingredere in petram, & abscondere in fossa humo à facie timoris Domini, & gloria Majestatis ejus.* Fossa autem illa humus non alia est, quàm SS. Latus & COR JEsu Filii DEI & Hominis pro nobis ferro transfixum; ama, inquam, nunc in vita dum sanus es, hoc SS. ac Diviniss. COR JEsu, quod tunc in ultima infirmitate ac supremo agone tuo te à facie timoris Domini non tantùm proteget, sed & Judicem tuum reddet placabilem. Aud. Beatum Petrum Damianum: *Pectus illud*, inquit, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi, lanceâ militari perfossum est, ut pectus tuum à pravis cogitationibus mundaretur, mundatum sanctificaretur, conservaretur, & consecraretur sanctificatū.*

Exod. 33, 21.

1. Cor. 10, 5.

S. Aug. Man. c. 23.

Isa. 2, 10.

B. Petrus Dam. ser. 1. de Exalt. S. C.

4. A veteri rursus ad novum transeamus Testamentum. Accessit

UVA. BHSC. BU 00661

aliquando nescio, quis locuples & bene nummatus adolescens nostrum amantiss. Servatorem, ut in via salutis æternæ necessaria ab illo monita caperet, ad quem Christus: *Si vis*, inquit *perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo.* Non adeo bene hic sermo auribus hujus divitis exceptus est, dum sine mora inconsultis arbitris domum viam suam relegit, & tristis ac perturbatus, multísque inanibus curis intricatus, à Christo recessit: *Erat enim habens multas possessiones.* Et ecce dum mœstus discessit, JEsus ab illius tristitia accepta occasione, ad Discipulos aliósque astantes conversus, gravem illi ac planè tremendam sententiam intonat: *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cælorum.* Et ut magis adhuc istam Evangelicam veritatem exaggeraret, & auribus circumstantium, imò & mentibus efficaciter imprimeret, pro singulari verborum pondere addidit: *Iterum dico vobis, facilius est, camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum cælorum.* O Bone JEsu quid dicis? cur divitibus omnem propemodum spem salutis consequendæ irrefragabili veritate præscindis? An non Abraham dives erat valde in possessione auri & argenti? an non dives David, Job, Joseph ab Arimathæa, plures alii, & tamen hi æternam salutem consecuti sunt, & de terrenis ad æternas pervenerunt divitias? O divites ululate & plorate, quia os Domini locutum est: *Agite nunc divites*, subintrat hîc S. Jacobus Apostolus, *plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis, divitiæ vestræ putrefactæ sunt &c.* Suspende hîc judicium prudens Lector, & si dives es, noli terreri, noli desperare, ea adhuc remedium & spes planè firma supereſt tuæ salutis. Adverte: hoc *difficilè* juxta S. Hieronymum, non sumendum est *ut impossibile; non enim impossibilitas prætenditur, sed raritas demonstratur.* Potest itaque dives salvari, sed quomodo? si hic arrogans camelus superfluum suum divitiarum gibbum ac sarcinam in manus pauperum deponit, & intrare studet per foramen acûs, & quondam illud foramen acûs? ℣. S. Paschasius: Acus Christus JEsus & hic Crucifixus est; per acumen acûs divinitas ejus adumbrata fuit, omnia penetrans, omnia post se trahens: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia*

Matth. 19, 24.

Gen. 13, 2 1. *Par.* 22, 14. *Job.* 1, 3. *Jacob.* 5, 1.

S. Hieron. apud Cornel. hîc in Matth. 19, 24.

Joan. 12, 32.

UVA. BHSC. BU 00661

omnia traham ad me ipsum: per oblongum acûs foramen rectè intelligitur SS. Vulnus laterale ac SS.COR JEsu lanceâ transverberatum. Et sicut foramen acûs filum etiam crassum vi quodamodo secum trahere assolet, ita dives, si introierit per veram peccatorum confessionem ac pœnitentiam in SS. COR JEsu Crucifixi paucis dico: *Salvabitur*: non enim amabiliss. COR JEsu animæ nostræ interitum sed vitam inquirit. *Cujus Divinitas*, ait citatus S. Paschasius, *penetrat omnia & humanitas, quia passa est, trahit post se omnia, per quod vulnus passionis* (hoc est per SS. COR JEsu vulneratum) *gentes ingressæ sunt in vitam æternam.* *S. Pasch. cit. à p. Mancino l. 5. diss. 2. punct 3.*

5. Olim amicus ille amico suo de media nocte fores domûs pulsanti, & tres ab eo panes impensè flagitanti respondit: *Noli mihi molestus esse, jam ostium clausum est.* Non sic amantissimus JEsus & Eucharisticus & Crucifixus, non sic, inquam, sed ostium, hoc est, SS. ac divinissimum COR ejus semper suis amicis imò & inimicis, qui cum graviter peccatis vulnerârunt, apertum manet. O immensa bonitas! Principes hujus sæculi suas ante ostia habent custodias, ne quis pauperculus cum sua supplicatione statim ad eos possit irrumpere. Non sic SS.COR JEsu, non sic, en habes ad illud liberum accessum in vita, in ægritudine, & in morte, *Estote* ergo *parati in diem tertium*, dicebat olim Moyses ad Israëlitas, ubi inter tonitrua & fulmina legem Dei acceperat. Hoc & ego vobis dico ô mortales! ô Christiani! ô Catholici! *Estote parati in diem tertium*: tres enim adhuc vitæ dies habetis, in quibus oportet vos operari, illum, in quo nunc vivitis (imò & de hoc incertum est), diem infirmitatis, & diem mortis, hoc est, principium, medium, & finem. Disponite igitur domui vestræ, & ejusmodi mansionem quærite, in qua æternùm securi stabitis, hoc est, dulcissimum & nunquam satis venerandum COR JEsu: *Ut sim tutus*, ait devotissimus ille Asceta P. Jo. Weyer S. I. Theologus in suo Filio Adoptivo, *ut sim tutus*, inquit, *imposterum contra omnes tentationes, intro in Latus tuum Domine JEsu, quod lanceâ militis mihi aperuit amor tuus in refugium. Hîc habitabo, hîc requiescam securus, hîc singulariter in spe constituisti me.* En hîc habes cum Phœnice amoris Divini nidum. *Luc. 11, 7.* *Exod. 19, 15.* *Jo. Weyer de Fil. adopt. to. 2. l. 1. cap. 3.*

6. Ve-

UVA. BHSC. BU 00661

Nil. Mist. p. 1. Exhort. 12. in fine.

6. Veritatem hanc per exempla adhuc magis solidabimus. Experto crede Roberto Eminentissimo illi S. R. E. Cardinali Bellarmino, qui, sicut in vita sua nihil charius habuit quàm JEsum Crucifixum, sic etiam in agone erga hunc suum Crucifixum Amorem planè singularem affectum ostendit, dum tremebunda manu sibi pileolum detraxit, & Crucifixo Simulacro caput suum iterum iterùmque consignando, illud supra pectus & cor suum collocavit, ut COR JEsu Cor suum evocaret, & in amore in æternum sibi uniret, sícque suavissimè in osculo Domini Cor ejus expiravit.

Idem p. 4. Exh. 10.

V. P. Alphonsus Esquiera S. I. Vir singulari sanctimonia præditus, cùm sæpius ardentissimis votis ac precibus à Crucifixo JEsu per interces sionem Dolorosæ Matris ejus postulâsset, quatenus Cor suum sibi adimeret, ac cum Divinissimo CORDE suo uniret, tandem ante obitum vitæ suæ impetravit, quod petiit, dum sensit à B. Virgine Cor suum extrahi, illúdque in apertum Latus Crucifixi Redemptoris sui reponi, & sic COR JEsu ac Cor suum penitus invicem uniri. O felix unio!

Lopez. to. 4. l. 1. c. 45.

His adjungo Joannem de Cespedes ex Ordine S. Dominici, piissimam Sanctimonialem & insignem Crucifixi JEsu cultricem, quæ, cùm illi in ultima lucta effigies Christi in Cruce pendentis præsentaretur, maximo, quo potuit, mentis affectu Christum rogare cœpit, quatenus sibi ex sacratissimo CORDE suo unicam pretiosi Sanguinis stillulam ad condignam delictorum expiationem & satisfactionem dignaretur largiri. O immensa bonitas amabilissimi CORDIS JEsu! vix preces finierat, palàm visa est una divini Cruoris gutta ex Vulnere amoris & lateris JEsu recto cursu in pectus hujus Virginis delabi &c. Nec minori admiratione illud dignum est, quod de Ven. Maria Maldonata ex eodem sacro Ordine recenset Lopezius, quæ, cùm in hora mortis exhaustis membrorum viribus vehementissimam sitim pateretur, Crucifixum Dominum impensiùs rogavit, ut vel

Lopez. to. 4. l. 1. c. 46.

unicâ sanguinis guttâ de SS. Latere & perforato CORDE os suum aridum reficeret. Ad quod Christus Dominus revulsis de ligno crucis manibus sacratissimum suum latus labiis illius applicuit, & haustum de sanguine & aqua ex fonte SS. CORDIS sui promanantibus, illi præbuit, quo accepto, læta animam suam in SS. COR JEsu expiravit.

Annal. Eccl. Raym. to. 13. anno 1216. n. 24.

Considerationem nostram claudat devotus quidam Dei Servus in Terram Sanctam peregrinatus, qui, ubi omnia sacra loca, Christi præsentiâ aut sanguine sanctificata magna cum devotione & lacrymis visitâsset, tandem cùm ad Calvariam rupem perveniisset, ubi mitissimus Redemptor noster in cruce pro salute mundi animam in manus Patris commendavit, eique in suavitatem odoris holocaustum SS. CORDIS sui igne amoris totum cum clamore valido & lacrymis obtulit, noluit hic Beatus ulteriùs in terra vivere, sed similem mortem à Crucifixo JEsu petens, ruptis vitalibus cordis venis ad radices crucis sanctissimâ morte expiravit. O quàm dulce est, sic mori, ô quàm dulce! Et quomodo tu, ô pie Lector, expirabis,

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XLVIII.

SS. COR JESU Spes ſumma animarum purgantium, idcirco poſt mortem aperiri voluit, ut mortuum mortuis prodeſſet.



In ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu. Zach. 9, 11

1. QUòd Purgatorium ſit, ſeu locus cœlum inter & infernum medius, in quo animæ juſtorum, in hac vita non plenè purgatæ, poſt vitam iſtam mortalem adhuc ad tempus, antequam ad claram Dei viſionem admittantur, purgari ſoleant, apud Catholicos extra controverſiam, imò & de fide eſt. Hunc ignem purgantem juxta S. Ambroſium, Rupertum, & alios præſignavit ille gladius ignitus atque verſatilis ante paradiſi portam poſt lapſum Adami cum cuſtode Cherubino collocatus, ut animæ nec-dum ſatis in hac mortali vita purgatæ, poſt mortem per illum ignem tranſeant, & ſic per Cherubim in paradiſum educantur: *Et collo-*

UVA. BHSC. BU 00661

Cornel. hic in lib. Gen. 3, 24. *cavit ante paradisum voluptatis Cherubim & flammeum gladium.* Hunc pœnarum locum præfiguravit carcer ille, de quo ipsa Veritas testatur, & nos præmonet, ut in hac vita, dum locus adhuc est misericordiæ, pro peccatis nostris satisfaciamus, ne aliàs post hanc vitam in illum carcerem mittamur, ubi ad ultimum usque quadrantem & minutissima quæque peccata erit satisfaciendum: *Amen dico* Matth. 5, 25. *tibi, non exibis inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Eundem purgatorii ignem in alio quoque loco insinuavit Christus: Matth. 12, 32. *Qui autem dixerit contra Spiritum S. non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Ubi manifestè supponitur, quòd peccata aliqua etiam in futuro sæculo quòad pœnam temporalem remittantur: sed hoc non fit in cœlo, in quod nihil coinquinatum poApoc. 21, 27. terit intrare, neque in inferno, quia ibi nulla est redemptio. Ergo Matth. 25, 4. dari debet locus tertius, seu purgatorium, in quo post mortem pro pœnis peccatorum, in hac vita non solutis, satisfaciendum est.

2. Hac veritate præmissâ quæritur, quodnam optimum inter omnia sit remedium, quo animabus illis, pœnam damni & sensûs luentibus, possimus in hac vita succurrere? Judas Machabæus, heros invictissimus pro defunctis illis, qui in bello pro religione susceptò ceciderant, pretiosum Sacrificium Jerosolymis offerri voluit: 2. Mach. 12, 43. *Et factâ collatione duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium.* Verùm inter omnia sacrificia longè præstantissimum est SS. ac diviniss. COR JEsu, si illud in missa aut in sacra Communione Patri æterno pro peccatis mortuorum, adhuc in igne purgante luentium, offerimus, unde ipse mitissimus Redemptor JEsus, postquam consummatâ passione jam in Cruce expiraverat, COR quoque suum immiti Longini ferro objecit, ut ex illo ultimam sanguinis stillam in solamen & Jo. 19, 34. levamen illarum purgantium animarum expenderet: *Unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua,* S. Chrys. & hoc, ut pulcherrimè observat Os illud aureum, *in animarum* S. Chrysol. serm. 132. *præsidium purgantium,* ut sic mortuus mortuis prodesset, cui veritati quoque subscribit S. Chrysologus: *De Latere,* ait, *fundit aquam*

UVA. BHSC. BU 00661

aquam, ut paradisi viam temperet, ignem ex parte Sanctorum extinguat inferni, totum chyrographum debiti diluat & solvat antiquum, &c. Collige ex hoc, Anima Christiana! planè infinitum amorem SS. CORDIS JEsu Crucifixi, quem neque mors extinguere, neque flumina passionis obruere poterant.

3. Figuram de hac veritate habemus in Agno illo immaculato, ex DEI mandato in exitu Israël de Ægypto ad universa multitudine populi immolato, de cujus calido sanguine Hebræorum postes & superliminaria in cunctis ædibus per modum Crucis aspergebantur, ne Angelus transiens, ac percutiens Ægyptios, plagam aliquam inhabitantibus Hebræis posset inferre: *Et sument de sanguine ejus & ponent super utrumque postem, &c.* Si sanguis hujus Agni occisi ædes Hebræorum à plaga conservavit immunes, quid non fecit, ac facere potuit cruor ille divinus ac pretiosissimus cum unda purissima ex sacratissimo fonte diviniss. CORDIS JEsu in ara Crucis ad salutem & solamen piè defunctorum promanans? *Quantò magis sanguis Christi*, subinfert Apostolus, *qui per Spiritum S. semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis?* In hunc finem pro clypeo Emblematis nostri Agnum illum divinum, quem quondam S. Joannes stantem & occisum spectaverat, statuere placuit, de cujus transfixo & aperto corde fons vivus sanguinis & undæ promanat in solamen purgantium animarum, cui symbolo pro lemmate inscribimus:

Exod. 12. 7.

Hebr. 9, 14.

Apoc. 5, 8.

Purgantes temperat ignes.

4. De luctuoso Civitatis Jerosolymitanæ excidio perhibent Scriptores, quòd tanta humani sanguinis copia per Romanos milites victores effusa fuerit, ut adinstar rivulorum ille ex occisorum corporibus in valles platearum conflueret, & tum milites, tum equi usque ad genua per hæc cruenta vada incederent. Cùm exinde per milites ingens incendium in variis urbis partibus, ac præsertim in sumptuosissimo illo Templo exoriretur, horrendum dictu! plures ex defectu aquæ, humano illo sanguine collecto populatrices flammas conabantur extinguere.

Flav. Jos. de bello Judaico lib. 7. c. 16.

UVA. BHSC. BU 00661

O luctuosissimam rerum faciem! quis unquam audivit tale, aut huic vidit simile, quòd humano sanguine sævum incendium extingueretur? Verumenimverò alium vobis, O mortales! ostendo sanguinem, longè isto puriorem, quia de Virgine assumptus est; longè isto sanctiorem, quia ab Agno DEI immaculato effusus, & pro omnium salute in ara crucis oblatus est, & etiamnum in SS. Eucharisticoſacrificio pro salute vivorum & mortuorum offertur. Hunc, inquam, O mortales! innocentissimum Crucifixi Redemptoris vestri cruorem & aquam ex ipso vivo SS. CORDIS fonte profluentem sumite, & incendium ac flammas, in quibus purgantes cremantur animæ, extinguite, non enim efficacius illis remedium per modum suffragii applicari potest, quàm participatio sacrosancti sanguinis JEsu: *In sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu*, quæ verba Aloysius Novarinus pulchrè de animarum liberatione è purgantibus flammis exponit &c.

Zach. 9, 11.

Et quemadmodum illi, qui ante obitum suum Testamentum condere solent, res quasdam præstantiores, ut gemmas, uniones, margaritas, annulos aureos, & similia pretiosa, quæ optimo suo amico, aut amantissimo filio, vel filiæ in singulare amoris pignus legare volunt, dum vivunt interim in aliquo scrinio aut cistula abscondunt, ne statim in reliquorum hæredum oculos incurrant, ut exinde post mortem talis hæres, ubi legatam sibi cistam reserat, ob inventum prædivitem & insperatum testatoris thesaurum singulari gaudio afficiatur, & vel ex hoc amorem hujus defuncti sui benefactoris grato animo agnoscat.

Sic mitissimus JEsus postquam in Cruce testamentum suum complevit, crucifixoribus vestes, peccatoribus veniam, latroni paradisum, Joanni Matrem, & Ecclesiæ suæ SS. Vulnera, crucem ac immensum sanguinis, meritorúmque suorum thesaurum legans, tandem post mortem Arcam pretiosissimam divini Pectoris sui lanceâ Longini, quasi ferreâ clave reserari voluit, ubi absconditus, ultimus, optimus, ac longè pretiosissimus omnium thesaurus, super omnes gemmas, aurum & argentum infinities æstimabilis, dulciss.

COR

UVA. BHSC. BU 00661

COR JEsu adhuc latebat; hunc, inquam, summum thesaurum dilectissimis & intimis suis amicis, ac præsertim etiam illis misellis & in igne purgante luentibus animabus in maximum solamen in ultimo suo testamento legavit, ut sic vivis atque defunctis prodesset, & copiosior apud eum esset redemptio. Imò non suffecit hoc Divino Amori Sacratissimi CORDIS JEsu, sed etiam post mortem usque ad infernum, hoc est, ad limbum Patrum, & animarum purgatorium ipse descendere voluit, ut illis universale jubilæum intimaret, & ad cœlestia æternáque regna unà secum transferret: *Multi probabiliter censent*, ait Cornelius à Lapide, *Christum omnibus animabus in purgatorio existentibus suo ad eos descensu dedisse primum plenúmque jubilæum, omnésque à pœnis liberásse, & secum ad cœlum in triumphum duxisse.* O immensum amorem SS. CORDIS JEsu! in quo S. Mechtildis aliquando vidit, dilectas Deo & B. Virgini inhabitare animas, *ut in illo fonte omnem amaritudinem suam dulcem redderent.* *Cornel. in Eccli. c. 24. v. 25.* *Nadas. in An. Cœl. 8. Sept.*

5. Nota est illa piscina Probatica, de qua S. Joannes commemorat, quòd sub ejusdem quinque porticibus multitudo magna languentium, cœcorum, claudorum, & aridorum, velut in publico xenodochio jacuerit. Cujus rei causam assignat Scriptura, *quia Angelus Domini secundùm tempus descendebat in piscinam, & movebatur aqua, & qui primus descendisset in piscinam, sanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate.* Unde, quæso, hæc aqua piscinæ, quæ in medio urbis Hierosolymitanæ ovibus in Sacrificium DEO offerendis pro lavacro serviebat, hanc insolitam & prorsus mirandam virtutem obtinuit, ut ad Angeli motum quoscunque sanaret ægrotos? res stupenda, & consideratione digna! Respondet Magister Historiarum & alii, quòd in hac piscina lignum illud reconditum fuerit, ex quo Servatori nostro Crux fabricata est, ex cujus attactu aquæ piscinæ tam salutiferæ factæ sunt ad quoslibet morbos sanandos. Quidquid sit hac de re, aliud mysterium inquiro. Addit Ludolphus Carthusianus, prædictas aquas fontanas semper apparuisse rubricatas ob copiosum sanguinem victimatum, qui *Jo. 5, 3.* *Magister Hist. in Hist. Ev. c. 21.* *Ludovic. Carthus. p. 1. c. 77.*

UVA. BHSC. BU 00661

per occultos canales ex jugulatione & oblatione holocaustorum, in atrio templi immolatorum, ad eandem piscinam probaticam defluebat. S. Antonius Paduanus per eandem piscinam SS. Christi passionem, & per quinque ejus porticus quinque SS. Vulnera Redemptoris nostri intelligit, in quibus omnes infirmæ animæ securè vivere, & tutò possunt quiescere: *Piscina*, inquit, *est passio Christi; porticus quinque vulnera ejus &c.* Pulchrè hæc omnia. Sed si rem attentiori intellectûs oculo inspiciamus, per eandem piscinam probaticam eleganter & fructuosè Sacratissimum ac Divinissimum COR JEsu adumbratum fuit. Erat hæc piscina in medio civitatis: COR JEsu est in medio non tam sui corporis, quàm & mystici corporis Ecclesiæ, à quo omnia membra vitam, influxum ac vigorem suum participant. Piscina illa, prout volunt Interpretes, à Sapientissimo Salomone exstructa fuit; SS. COR JEsu à Sapientissimo Architecto Spiritu Sancto formatum est. In illa piscina fluebat fons aquæ & sanguinis: & nunquid SS. COR JEsu manavit undâ & sanguine? Lavabantur autem & Sacerdotes sacrificaturi & oves offerendæ in illa piscina per hanc mysticam piscinam SS. CORDIS JEsu omnes à peccatorum sordibus in Baptismo & pœnitentia abluti sumus: *qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* In dicta piscina ad Angeli descensum & aquæ motum unus tantùm sanabatur; sed in hac piscina mystica SS. CORDIS JEsu omnes, quicunque volunt, poterunt sanari. In illa denique piscina lignum crucis erat absconditum. O anima Christiana, vide & contemplare SS. COR JEsu super Tabernaculum SS. Sacramenti hîc expositum, & in medio ejus pariter crucem implantatam cernes. Jam non miror ampliùs, quod memorata piscina Probatica adeo miseris mortalibus salutaris fuerit, & tanta semper multitudo cœcorum, claudorum, aridorum, diversisque morborum generibus laborantium ibidem aquæ motum expectârit, per quam calamitosam languentium & expectantium hominum turmam rectè devotissimus Quaresmius animas in igne purgatorii existentes intelligit, quæ nil aliud expectant, quàm Magnum illum consilii Angelum, Christum

S. Anton. Pad. in hunc loc. Jo. 5.

Apoc. 1. 5.

Quares. to. 4. l. 2. c. 2. sect. 3.

UVA. BHSC. BU 00661

Christum JEsum & hunc Crucifixum, ut denuo hanc saluberrimam Piscinam Sacrosancti Sanguinis & aquæ in SS. CORDE suo moveat, & sic *sanguis ejus pro animæ piaculo sit*, & vos, ô Christiani descendite pariter in hanc mysticam piscinam, & movete sanguinem & aquam SS. CORDIS JEsu in Sacratissima Synaxi. En expectant languentes & miserlæ animæ cum noto illo Paralytico jam fortasse ultra 38. annos ibidem in flammante stagno vestrum auxilium. O quot animæ etiamnum clamant: *Hominem non habeo!* Audite S. Antistitem Hipponensem: *Clamant quotidie, qui jacent in tormentis, clamant, & pauci sunt, qui respondeant.*

Levit. 17, 11.

S. Aug. serm. 44. *ad Erem.*

6. Moveat vos ô Christiani ad ferendam animabus purgantibus opem amabilissimum COR JEsu, quod ideo triginta argenteis ab impio Iscariothe in mortem vendi voluit: *At illi constituerunt ei triginta argenteos*, ut pro hac pecunia ille sanguinis pro sepultura peregrinorum coëmeretur in subsidium & solatium animarum purgantium: *Iste locus*, ait S. Vincentius, *dicitur etiam sepulchrum animarum; emerunt ex illis agrum figuli in sepulchrum peregrinorum, id est, purgantium.* Moveat vos ad hanc charitatem miseris istis animabus ferendam idem dulcissimum COR JEsu tertiò in monte Olivario ad Patrem orans, ubi observandum, quòd in tertia illa oratione, quasi rupto Sacratiss. CODRIS fonte, copiosissimum sanguinem ex omnibus corporis poris sudaverit: *Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Et cur obsecro in tertia oratione sanguinem sudavit? cur non in prima aut secunda? Respondet S. Augustinus, quòd SS. COR JEsu primas ibi preces obtulerit pro omnibus in peccato lethali existentibus, ut ab eo liberarentur, & viverent. Secundas Deo Patri præsentârit pro omnibus Justis ut in bono & in gratia Dei perseverarent. Tertias preces fuderit pro animabus in purgatoriis flammis luentibus, ut è loco pœnarum misericorditer erutæ, ad æternam pervenirent felicitatem. Et in hac tertia oratione (quod singulariter notandum) effusum est afflictissimum COR JEsu in sanguineum imbrem: *Factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis &c.* O pientissime JEsu quid agis?

Matth. 26, 15.

S. Vinc. Ferr. ser. 2. *in die animar.*

Luc. 22, 24.

S. Aug. l. de cura pro mortuis agenda.

Vide Quaref. to. 4. *de SS. Vul. Christi apud me f.* 314.

UVA. BHSC. BU 00661

agis? totum corporis, sanguinis, & vitæ tuæ pretium imò & supremam cruoris & undæ guttam ex fonte SS. CORDIS tui ad solamen & levamen animarum purgantium exponis? Et nos ingrati pro illis animabus quid facimus? Heu nos desides! Imitamur sanè ingratum illum Pincernam, cui Joseph in carcere multa bona præstitit, eique liberationem proximam prædixit, à quo, cùm unam gratiam flagitaret: *Tantùm memento mei, cùm tibi bene fuerit, & facias mecum misericordiam*, turpem repulsam & oblivionem tulit: *O quàm grandis crudelitas & inhumanitas*, ait S. Augustinus, *clamant ad nos quotidie, qui dum vixerunt, multa mala pro nobis sustinere voluerunt, nec eis subvenire curamus?*

Gen. 40. 14. *S. Aug. serm.* 44. *ad Erem.*

7. Ex quibus hactenus adductis argumentis abundè patet, quòd in veritate nil magis purgantes flammas temperet, quàm divinus ille fons SS. CORDIS JEsu. O beatæ illæ animæ, quæ stolas suas lavare possunt in Sanguine hujus Agni! olim in expugnatione Jericho funiculus ille coccineus e fenestra suspensus toti familiæ Rahab signum salutis fuit, per quem ab interitu tota domus conservata est: *At illa appendit funiculum coccineum in fenestra.*

Jos. 2, 21.

Funiculus hic coccineus juxta S. Hieronymum pretiosus ille sanguis est, è fenestra aperta Sacratissimi CORDIS & Lateris JEsu in salutem vivorum & mortuorum promanans: *Offertur enim*, ait S. Thomas Aquinas, *in Ecclesia pro vivis & mortuis, ut omnibus prosit, quod est pro salute omnium institutum.* Et sicut pluvia salubris languentes herbulas & flores, calore solis exustos mirè recreat & reficit, sic sanguis JEsu Eucharistici & Crucifixi mirè purgantes flammas temperat: *Ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro anima piaculo sit.*

S. Hier. ad Nepot. c. 3. *S. Thom. in opusc.* 57. *Levit.* 17. 11.

Coronidem huic considerationi brevis historia imponat. B. Henricus Suso cum fratre suo pium quoddam pactum inierat, quòd post illius obitum singulis feriis sextis per annum sacrum de Passione Domini (ubi singulariter de transfixione SS. Lateris & CORDIS JEsu Crucifixi agitur) pro salute defuncti vellet offerre; qui cùm paulò pòst hoc pactum ex incuria aliqua omitteret, dictus B. Henricus ab anima defuncti fratris ob non servatam fidem graviter increpatus est. Excusabat se quidem Henricus, quòd alias preces & intentiones pro illius salute sæpius obtulisset, cui anima defuncti claris vicissim verbis hæc reposuit: *Sanguinem, sanguinem peto ac stio: ubi sunt illæ missæ de passione cruenta Domini ejúsque Vulneribus, quæ efficacissimum sunt remedium nobis animabus opitulandi?* Quæ sacra ubi B. Henricus persolvit, animam fratris ad cœlum transmisit. Agite! succurramus & nos, & si illæ animæ decem millia talenta adhuc Domino suo debent, en ærarium divinum, SS. COR JEsu apertum est, ex quo lytrum pro illis possumus exsolvere &c.

Alexis de Salo par. 2. *de pur.* c. 9.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO XLIX.

SS. COR JESU justis ac piis in judicio summum solatium, injustis verò, qui per illud intrare noluerunt, summus terror erit.



Ecce, venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Apoc. 1, 7.

1. QUàm prodigiosa fuerit illa columna nubis & ignis, quæ quondam Israëlitas sicco pede per mare rubrum, & exinde per desertum in terram promissionis traduxit, ex eo liquet, quòd huic populo electo Dei non tam optatam de nocte lucem, quàm & in æstu Solis placidissimam umbram subministrârit; quæ columna è contrario insequentes hostes Ægyptios non tantùm obcœcavit, sed & fulmine ac fulgure cum Pharaone universum exercitum incredibili strage subvertit, ac in profundum maris demersit: *Et respiciens Dominus supra castra Ægyptiorum per columnam* Exod. 14. 24.

UVA. BHSC. BU 00661

lumnam nubis & ignis, interfecit exercitum eorum, & subvertit rotas curruum, ferebantúrque in profundum.

Innocent. Pont. in. lib. de mis. conditionis humanæ.

Talis rerum facies in universali judicio, & secundùm mentem Innocentii Pont. etiam in particulari repræsentabitur, ubi SS. ac divinissimum COR JEsu, tanquam vera illa columna nubis & ignis (nubis, inquam, propter humanitatem, & ignis propter divinitatem) piis, justis, ac rectis corde erit in umbraculum ab æstu gehennæ, & in signum resurrectionis: impiis verò ac sceleratis in ruinam perpetuam: unde lemma: *Illuminat, & obscurat.* Vel:

Lux recto, fatúmque nocenti.

Luc. 2, 34. Et hoc est, quod prædixit ille Simeon à Spiritu S. illuminatus: *Positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum.* Item, Zacharias Propheta: *Et aspicient ad me, quem confixerunt,* caput scilicet spinis, manus & pedes ferreis clavis, latus autem & Cor meum crudeli lancea in cruce. *Zach. 12, 10.* Quæ crucifixionis insignia ac Vulnera tunc clarissimè in Christo Judice, sed gloriosa ac splendida videbuntur, justis quidem in maximum solatium, impiis verò, ut dictum est, ad majorem confusionem ac damnationem; quia in vita toties admoniti, per hoc SS. COR JEsu, tanquam veram ac unicam salutis portam intrare noluerunt: *Quò se tunc,* exclamat Magnus ille Aurelius Augustinus, *peccator convertet? quando illi meritò exprobrabit Salvator: Vide hominem, quem crucifixisti, vide vulnera, quæ inflixisti, vide Latus, quod transfixisti, quoniam per te & propter te apertum est, & tamen intrare noluisti.*

S. Aug. lib. 1. de symb. c. 8.

2. Videtur hîc mihi SS. COR JEsu, ut quondam Cor Davidis, qui vir erat secundùm Cor DEI: *Inveni David, filium Jesse, virum secundùm Cor meum:* de quo refert Scriptura, quòd corde mitis ac totus mansuetus fuerit; unde de seipso testatur: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* Quàm mansuetus fuit erga Superiores sibi injurios? Saulem Regẽ considerate, quem licèt sæpius & quidem justè potuisset interficere, noluit tamen, quia mitis erat & humilis Corde. Quàm mansuetus insuper erga suos domesticos extitit? Absolonem filium ejus rebellem in memoriam revoca-

Act. 13, 22. *Ps. 131, 1.* *1. Reg. 24, 7.* *2. Reg. 18, 5.*

UVA. BHSC. BU 00661

vocate, qui, licèt Davidem de throno deturbare nisus sit, mortíque destinaverit, noluit tamen mitis pater, ut à Joabo, aliísque belli ducibus interficeretur, & auditâ ejus morte vehementer doluit. Quàm mansuetus denique erga hostes suos? Semei cogitate, à quo licèt lapidibus peteretur, non tamen ei maledixit, neque permisit, ut ab Abisai occideretur. O mansuetissimum cor Davidis! quis huic vidit simile? Verùm expectate paululùm, & aliam scenam videbitis. Cùm idem David, qui priùs, ut vilis & ignobilis pastor Goliatho in baculo, fundâ & lapide prævaluit, nunc autem, ut Rex à Deo designatus, contra Ammonitas in prœlium se conferret, illos ob illatam legatis suis turpiter rasis injuriam castigaturus, quid fecit? non ampliùs vili tunicâ & servili habitu pastoris indutus apparuit, sed ut Rex potentissimus insolitâ cum pompâ, gloriâ, ac majestate, cum numerosissimo exercitu in campum descendit: *Congregavit itaque David omnem populum, & profectus est adversùm Rabbath: Cumque dimicâsset, cepit eam, & tulit Diadema Regis eorum de capite ejus, pondo auri talentum habens gemmas pretiosissimas, & impositum est super caput David: sed & prædâ civitatis asportavit multam valde, populum quoq; ejus adducens serravit, & circumegit super eos ferrata carpenta, divisitq; cultris, & traduxit in typo laterũ: sic fecit universis civitatibus Ammon.* O quàm horrenda vindicta! quàm barbara laniena! quid agis David aliàs mansuetissimus? ubi nunc est illa tua toties laudata, ac decantata mansuetudo? An hîc iterum cantas: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus?* 2. *Reg.* 16, 6. 2. *Reg.* 12, 29. *Psal.* 131, 1.

Verùm aliud hîc latet mysterium. David nullum alium, quàm verum DEI, Hominísque Filium, Christum JEsum adumbravit, qui in primo adventu suo contra Goliathum (diabolum) pugnaturus, totus humilis, mansuetus, & servili tantùm habitu indutus, cum baculo Crucis apparuit. O quàm humilis ac mitis tunc erat corde etiam contra intensissimos inimicos, pro quorum salute in cruce ad Patrem oravit, ac pro illis Cor suum in victimam obtulit: *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam!* Verùm in secundo adventu, cum Ammonitas, hoc est, mundi hujus sectatores, ob in- *Jer.* 11, 19.

UVA. BHSC. BU 00661

numeras SS. CORDI suo illatas injurias condignè castigaturus, velut supremus ac districtissimus Judex advenerit; O DEUM immortalem! quanta tunc erit rerum metamorphosis? *Apparebit*, inquit S. Bonaventura, *Dominus JEsus cum Vulneribus suis, & clamabit dicens: Videte, quanta à vobis, & in vobis, & pro vobis passus sum, & tamen ingrati omnia contempsistis, & pro nihilo duxistis: ite maledicti in ignem æternum.* O quàm horrendum tunc erit contemptoribus SS. ac diviniss. CORDIS JEsu, incidere in manus DEI viventis, omnia scientis, & cuncta districtissimè examinantis, ac judicio discussionis & condemnationis judicantis! Consule Julium Romanum, amore Hortensiæ meretricis captum, cui Christus Crucifixus de SS. Latere suo cruorem in faciem projecit, &c.

S. Bonav. citatus à Gedeone Forster in lib. de Cong. JEsu Crucifixi.

Bagatta tom. 2. l. 5. c. 2. §. 6. n. 9.

3. De Samsone refert Liber Judicum, quòd ex ore occisi leonis mel quidem dulce collegerit: *De forti dulcedo*, sed & examen apum in illo invenerit: *Et ecce examen apum!* Quis autem ignorat, quàm acerbum & vulnificum aculeum etiam mellificæ apes gerant, quo sese contra quoscunque invasores possint defendere? proindenon incongruè illis pro lemate inscribes: *Armata clementia.* Leo hic à Samsone interfectus typum Christi JEsu Crucifixi sustinet, per mel inde promanans clementia SS. CORDIS ejus, per apes verò aculeum gestantes, justitia ejusdem SS. CORDIS JEsu præsignata fuit: *Sicut apis*, ait mellifluus Bernardus, *habet mellis dulcedinem, habet etiam aculei punctionem. Hujus apis, quæ Christus est, mel & aculeum non ignorat, qui misericordiâ & judicium ei decantat cum Propheta dicente: Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine.*

Judic. 14, 8.

S. Bern. serm. 2. Advent.

Ps 100, 1.

De Maximiliano, hujus nominis Secundo, Romanorum Imp. perhibent Scriptores, quòd pro Symbolo suo sibi aquilam per aëra volantem pingi jusserit, quæ rostro suo fulmen & palmam ferebat, cum inscripto Lemate: *In tempore utrumque.* Per hoc prudentissimus Imperator misericordiam & justitiam, quam pro meritorũ dignitate cuilibet paratus erat administrare, eleganter adumbravit. Rudolphus I. Habspurg. post diversa & longa Procerum Germanicorum certamina tandem in Imperatorem electus, ubi Ottocarum Bohemiæ

Picinelli in mundo Symb.

UVA. BHSC. BU 00661

miæ Regem sibi & Imperio rebellem subjugavit, pro suo Symbolo in scuto manum armatam sibi pingi curavit, quæ fulminantem gladium virenti oleæ ramo circumdatũ præ se ferebat cũ lemate *Utrum libet?* ac si diceret sapientissimus juxtà & bellicosissimus Imperator:

Elige, sive petis gladium, seu quæris Olivam?
Serviet officiis ille, vel ista tuis?

En similem ferè modum DEus Judex, Regum Dominus in judicio exhibebit, oleam consolationis illis, qui cum SS. CORDE JEsu recto fuerunt corde, benignè offerens, iis autem, qui cum Pharaone in malo obduraverunt cor suum, fulmen, gladium, judicium, gehennam: *Utrum libet?* nunc elige, penes te est, nam *in tempore utrumque;* Audi & devotissimum Blosium: *Christus Dominus*, inquit, *in judicio ostendet vulnera sua ineffabili decore fulgentia, quia Justis quidem dulcissimam consolationem, impiis verò horribilem confusionem afferent, eruntque miseris veneranda Domini Vulnera æterna futura supplicia.* *Ludov. Blos. Instit. vitæ medit. spirit. de jud.*

4. Veniet autem Christus Dominus in illa forma ad judicium, in qua ascendit in cœlum: *Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Tunc habebat in manibus ac pedibus fixuram clavorum; tunc dulciss. latus ac diviniss. COR JEsu lanceâ vulneratum spectabatur; tunc facies ejus resplendebat ut sol; tunc vestimenta ejus erant purpurea ac rubra sicut calcantium in torculari, unde Angeli obviantes, hunc Dominum suum admirabundi interrogabant. *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra, iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ?* Tali, inquam, forma redibit ad judicium: *Vestitus veste aspersâ sanguine*, quia tunc pretiosum sanguinem suum, toties in passione pro salute nostra effusum à nobis requiret. Tunc quoque veniet fixuris clavorum & aperto latere ac vulnerato Corde, quod & Angelis & hominibus palam ostendet, quæ ac quanta in illo à primo conceptionis instanti passus sit. Tunc sicut Moyses, radiante facie, elevabit manum suam coram omni multitudine populorum: *Testes invoco hodie cœlum & terram, quòd proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem.* Tunc lætabuntur & exulta- *Act. 1, 11.* *Isa. 63, 1.* *Apoc. 19, 13.* *Deut. 30, 19.*

UVA. BHSC. BU 00661

Philipp. 3, 20. bunt omnes Justi; *expectantes beatam spem.* Econtra impii, ingrati ac scelerati peccatores, qui priùs immemores passionis ac SS. CORDIS JEsu, sumè nobis benefacientis, in vita fuêre, ô quàm flebiliter plangent, & ululabunt, quia mandatis ejus non obedierunt, & maturè in vita sua per ostium arcæ, (hoc est, per SS. COR JEsu) ante faciem hujus diluvii non introierunt ad vitam! Cæterùm columba illa Noëmica tempore diluvii non invenit, ubi requiesceret Gen. 8, 11. pes ejus: *At illa venit ad eum ad vesperam &c.* Sed in illo diluvio extremo non erit arca, ad quam confugiant, nec redibit columba, quæ pacis ramum tibi ferat, ô peccator! nec olea erit quæ misericordiâ efflorescat. Vide nunc & considera, quàm amarum sit relinquere JEsum & SS. COR ejus?

5. De Joseph, à propriis quondam fratribus in servitutem vendito, narrat Scriptura, quòd cùm post plures años ac tam varios casus tandem per singularem Numinis providentiam Prorex Ægypti proclamatus, famis tempore ab iisdem perfidis fratribus impensè rogaretur, ut sibi & patri senio confecto frumentũ necessarium pro numerata pecunia concederet, serio atque ad majestatem composito Gen. 45, 4. vultu responderit: *Ego sum Joseph, quem vendidistis.* Ad quæ pauca verba dicti fratres ob malæ conscientiæ remorsum, intus animũ stimulantem, adeo cœperunt expavescere, ut in terram coram Joseph prostrati, totis artubus contremiscerent, & ne quidem faciem contra illum levare auderent: *Non poterant respondere fratres nimio terrore perterriti &c.* O miseri mortales! quid erit, quando verus ille Joseph ac Salvator JEsus, quem vos in servitutem mortis vendidistis, ac tandem morte turpissimâ ad crucem condemnâstis, in sua gloria & majestate ut Rex & Judex à Patre constitutus veniet: Joan. 5, 27. *Et potestatẽ dedit ei judiciũ facere, quia Filius Hominis est?* Quid, inquam, erit, quando in universali Judicio in præsentia omnium Angelorũ & hominũ vobis sumam vestrã ingratitudinem improperabit: *Ego sum ille Joseph, quem vendidistis* vilissimo peccati pretio? Ego sum ille Joseph, cui in monte Olivario sanguinem sine misericordia extraxistis, quem toties concupiscentiis & spurcis carnis illecebris flagellâstis, quem de novo cruentis delictorum spinis coronâstis,

UVA. BHSC. BU 00661

stis, quem gravissimo crucis trunco oneratũ ad lanienam, ad mortẽ rapuistis, & tandem crudeli ferro COR meum transfixistis: *Ego sum ille Joseph.* Nunc videte, & *aspicite ad me, quem confixistis*? Quid mali vobis feci? Educavi & enutrivi vos, & vos me despexistis? Mana cœlesti in Eucharistia toties vos pavi, & vos misistis lignum in panem meum? Quoties per gratiã meam auxiliari vobis volui, & vos noluistis? Extendi in cruce manus meas, & non fuit, qui aspiceret? quid ultra debui facere vineæ meæ, & non feci? nunc igitur perditio vestra ex vobis est: *Ite, ite.* Ite, inquam, ô miseri, & ulterius DEum, æquissimũ vestrũ Judicem peccatis vestris ad vindictam provocate. Ite nunc impuri ganeones & lasciva veneris mancipia: *Coronate vos rosis, antequam marcescant.* Ite nunc blasphemi & perjuri, & vestra improba ora, velut insani ac furibundi canes ulterius in cœlũ ponite: Ite nunc gulosi heluones & gurgites insatiabilis, *quorũ* in vita *Deus venter fuit, & nunc finis interitus.* Ite nunc Pseudopolitici & hypocritæ, qui ita in mundo DEO servistis, ut tamen diabolum non offenderetis. Ite nunc rapaces & injusti, qui vitia vitiis, injustitias injustitiis, & scelera sceleribus cumulâstis, si modò *justitias judicabit DEus*, quid fiet de injustitiis? Ite nunc denique peccatores omnes, qui vitam vestram in omni turpitudine contrivistis, *& obliti estis Dei Creatoris vestri!* Ecce nunc ultima & novissima hora est, quæ ad infernum & ad supplicia nunquam terminanda vos vocat: *Ite, ite! O Domine JEsu! ne intres in judicium cum servo tuo &c.*

Zach. 12, 10.

Sap. 2, 8.

Ps. 72, 9.

Philipp. 3, 19.

Ps. 74, 3.

Deut. 32, 18.

Ps. 142, 2.

6. De Manlio insigni viro, & pluribus victoriis nobili recensetPlutarchus, quòd, cùm Romæ à Senatu ad mortem fuisset condemnatus, & jam ad ultimum supplicium traheretur, ingratis judicibus capitolium, quod in bello priùs contra Gallos tam generosè conservaverat, ostenderit, simúlque pectus suum denudaverit, in quo cruentas vulnerum cicatrices palam exhibuit, clamans ac vociferans: *Hæc*, inquiebat, *loquuntur pro me, quæ pro tota Republica fecerim.* Ad quæ dicta inexpectata præfati judices consternati, mox sententiam mortis revocârunt, Manlium pristinæ dignitati & honori restituerunt. Attolle nunc oculos, quicunque es peccator, & JEsum Crucifixum Redemptorem tuum, hîc ante oculos tuos pendentem considera! En quomodo nunc tibi pariter sua demonstret Vulnera & COR transfixum: *Hæc*, inquiens, *loquuntur pro me, quæ pro tua salute fecerim?* Noli ergo ô anima imposterum ampliùs tam protervè peccare, & me Redemptorem tuum de novo ad mortem crucis condemnare, ne tibi

Plut. in vita Camilli.

UVA. BHSC. BU 00661

tibi in illo judicio aliquid deterius contingat; sed potiùs cùm tempus adhuc salutis est, securum tibi refugii locum quære, non autem invenies melius ac nobilius, quàm SS. COR meum, ob tui amorem in perpetuam æternitatem apertum. Audi iterum devotiss. Ludovicum Blosium: *Apertum*, inquit, *est Christi Latus, ut nobis accessum, aditúmque pius JEsus ad COR suum patefaceret, unde declaravit suum infinitum erga nos amorem. Et quid ultrà potuit nobis facere, quàm fecit? Ipsum COR suum tanquam secretissimum cubiculum nobis reservavit. Dedit nobis COR suum dirè vulneratum, ut in eo commoraremur, donec penitus expurgati & mundati, suóque Cordi conformes, idonei ac digni simus, unà cum ipso in æterni Patris COR deduci.* Ecce quantum solatium tunc tibi in judicio feret, fuisse amatorem, cultorem, & imitatorem SS. CORDIS JEsu! Tunc certè ab auditione mala non timebis.

Ludov. Blos. in Marg. sp. c. 19.

7. Hanc veritatem optimè agnovit Eminentissimus S. R. E. Cardinalis Alexander Farnesius, qui hanc Emblematicam picturam eleganti & artificiali penicillo elaboratam, ante oculos suos in conclavi appendi curavit. Erat ex una parte Christus JEsus in cruce suffixus, mortuus, & hianti Vulnere laterali saucius, ad quem varii peccatores, puta, David, Petrus, Matthæus, Zachæus, Filius Prodigus, Dismas Latro, Magdalena, &c. appropinquabant, delictorum veniam cum lacrymis humiliter deprecantes, cum hac inscriptione: HIC RECIPIT. Ex altera parte erat depictum Supremum judicium, quomodo idem Salvator orbis non ut in ligno suspensus, sed in sede Majestatis inter Angelos & Cœlites locatus, irato vultu ac fulminantibus oculis impios ac ingratos peccatores trisulco fulmine ad Tartarum ableget, æternùm ibi cremandos, cum hac scriptione: HIC REIICIT. Ita est ô anima Christiana! ita est, in cruce te recipit Benignissimus Servator JEsus: *Nunc patent*, ait S. August. *viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. Vulnera JEsu Christi plena sunt misericordiâ*, sed quàm maximè SS. ac Diviniss. COR JEsu, quod est pignus redemptionis nostræ, plenitudo gratiæ, perfectio virtutum, Sacrificium justitiæ, & porta vitæ. Coronidem huic nostræ considerationi imponat Rex Benadad, qui, cùm ab Israëlitis extremam cladem accepisset, & ultra centum hominum millia in uno prælio perdidisset, in summam animi mœstitiam devenit, cui tamen servi ejus hoc optimum suggesserunt consilium: *Dixerúntque ei servi sui: Ecce audivimus, quòd Reges domus Israël clementes sint: ponamus itaque saccos in lumbis nostris, & funiculos in capitibus nostris, & egrediamur ad Regem Israël forsitan salvabit animas nostras.* O Christiani! sic & nos modò faciamus. En SS. ac Diviniss. COR Regis nostri Crucifixi & Eucharistici totum benignum, totum clemens, totum misericors nunc nobis in vita est: ergo humiliemus animas nostras sub potenti manu DEI, ut misericordiam consequamur. Nunc, nunc hoc SS. COR JEsu *peccatores recipit*, sed tunc in judicio *rejicit*. Venite ergo ô charæ animæ! Venite & procidamus ante Deum, & ploremus coram Domino, quia COR contritum & humiliatum non despiciet.

Neub. Dom. 3. post Pent.

S. Aug. manual. c. 21.

3. Reg. 20, 31.

CON-

UVA. BHSC. BU 00661

CONSIDERATIO L.

SS. COR JESU ingens Angelorum, Omniúmque Sanctorum gaudium, & paradisus animarum delicioſiſſimus.



In eo lætabitur Cor noſtrum. Pſ. 32, 21.

1. QUòd Chriſtus Dominus quinque Sacrorum Vulnerum cicatrices, tanquam glorioſæ victoriæ, de morte, diabolo, peccato, & gehenna in cruce partæ trophæa etiam poſt Reſurrectionem in Corpore ſuo retinere, ac cœlo inferre voluerit, non tantum Sacri Scriptores inſinuant, ſed & ipſa fides docet: *Vulnera ſuſcepta pro nobis*, ait S. Ambroſ. *cœlo inferre maluit, abolere noluit, ut Deo Patri noſtræ pretia libertatis oſtenderet. Talem ſibi Pater ad dexteram locat, trophæum noſtræ ſalutis amplectens.* Quâ veritate ſuppoſitâ, perſpicuum pariter eſt, SS. COR JESU in noſtram ſalutem, ſummámque Sanctorum gloriam per Vulnus Lateris in

S. Ambr. lib. 10. in Luc. c. 24.

UVA. BHSC. BU 00661

omnem æternitatem splendidissimè emicaturum. Sicut radii, quià Sole promicant, totum terrarum orbem illuminant, tenebras dispellunt, & universa gaudio replent; sic diviniss. COR JEsu in cœlo radiis divini luminis inde prodeuntibus, universam lætificat civitatem Dei. O quàm immensum, quàm ineffabile tunc omnium Angelorum & Electorum erit gaudium, videre, & cominùs posse intueri hoc arcanissimum totius SS. Trinitatis Sacrarium, SS. COR JEsu? Si aquila, prout Emblema monstrat, summum inde oblectamentum capit, dum irretortis oculis Solem, luminis fontem, propiùs potest aspicere, quale, obsecro, erit animæ beatæ gaudium, jam non ampliùs in speculo & in ænigmate, sed à facie ad faciem per omnem æternitatem hoc SS. ac diviniss. COR JEsu posse contemplari? unde lemma ab Apostolo mutuatum:

1. *Cor.* 13, 12.

Tunc facie ad faciem.

2. Et hoc est, quod Veritas fideli illi servo, cui quondam quinque talenta ad negotiandum tradiderat, & qui quinque vicissim alia hisce superlucratus fuit, in summum animi solatium insinuavit: *Euge serve bone & fidelis . . . intra in gaudium Domini tui.* Ubi observandum, quod Christus non dixerit: Gaudium intrabit in te, & in Cor tuum, sed tu intrabis in gaudium Domini tui, per quod gaudium Domini Seraphicus Doctor SS. vulnera, ac præsertim SS. COR JEsu, quod est omnium Beatorum ac Cœlitum singulare gaudium, & post DEum super omnia oblectamenta deliciosissimum, rectè & meritò intelligit: *Ecce*, inquit, *apertus est thesaurus divinæ Sapientiæ & charitatis æternæ, intra ergo per vulnerum aperturam, & cum cognitione magna delicias obtinebis.*

Matth. 25, 21.

S. Bonav. apud Caraff. l. 3. *Consid.* 13.

O immensum gaudium SS. COR JEsu! Considera, anima Christiana! quàm inenarrabli mentis dulcedine nunc Beatissimi illi Spiritus, omnésque Angelorum Hierarchiæ in cœlesti gloria perfruantur, cùm hoc diviniss. COR JEsu, ut causam omnis gratiæ ac gloriæ suæ aspiciunt, sine quo nec ipsorum ruina fuisset restaurata, nec Ecclesia ædificata, nec mundus redemptus.

O quàm ineffabili lætitiâ tunc quoque exaltabunt SS. Martyrum, Om-

UVA. BHSC. BU 00661

Omnium Electorum ac Prædestinatorum Animæ, cùm Regem gloriæ non ampliùs de longè cernent, sed in propinquo, dum in lumine ejus videbunt lumen & lucernam illam, totum Empyreum cœlum suo fulgore illuminantem. Et si quinque illæ civitates refugii ab Isaia denominatæ, fuerunt figuræ 5. SS. Vulnerum Christi, profectò SS. COR JEsu est civitas Solis, cujus splendore cuncta illustrantur, & vivificantur: *Erunt quinque civitates in terra Ægypti: Civitas Solis vocabitur una, &c.* De S. Franciscæ Romanæ refert ejus vita, quòd in Festo SS. Omnium viderit è quinque Sacris Redemptoris nostri Vulneribus, potissimùm verò è SS. CORDE JEsu, vibratis radiis, universum cœlum & Cœlites omnes mirè illustrari, ac illas præsertim Beatorum animas, quæ in hac vita charitate in Deum excellebant, *peculiariter lucere à radiis è CORDE JEsu splendentibus*, auditâ hac voce: *Ego sum amor fidelis.* *Isa. 19, 28.* *Nadas. in An. Cœl. 1. Nov.*

3. Solent autem in lucerna tria inveniri: oleum, ignis, & inter utrumque ellychnium, quod ignem cum oleo velut vinculum solet unire. O dilecta Anima! inspice SS. COR JEsu, in qua lucerna lucidissima pariter hæc tria invenies, ignem Divinitatis, oleum humanitatis, & divinam hypostasin, quæ est velut vinculum copulans divinitatis ignem cum oleo humanitatis. Proinde huic mysticæ lucernæ (SS. CORDI JEsu) non incongruè illud applicare possumus, quod S. Joannes quondam de Agno Dei pronuntiavit, quòd instar Solis cœlum empyreum illuminaverit, quaquaversum radios suos spargendo, & Ecclesiam triumphantem mirè illuminando: *Et civitas non eget sole, neque lunâ, nam claritas Dei illuminat illam, & lucerna ejus est Agnus.* O gratiosa lucerna SS. COR JEsu! ex cujus aspectu omnes Beatorum Animæ singulare gaudium ac jucunditatem longè maximam hauriunt. Et si Abraham olim omnia adversa tam generoso animo sustinuit, dum hoc mysterium in spiritu & in umba tantùm cognovit: *Vidit, & gavisus est*: quantò magis exultabunt omnes Sancti in gloria à contemplatione hujus diviniss. CORDIS JEsu? O quantum gaudium SS. COR. JEsu! *Apoc. 21, 23.* *Jo. 8, 56.*

4. Noëmo quondam de arca sua egresso, in signum fœderis

UVA. BHSC. BU 00661

DEum inter & hominem pulcherrima iris apparuit, tribus coloribus,
Gen. 9, 16. igneo, purpureo, & viridi conspicua: *Videbo illum, & recordabor fœderis sempiterni*, ait Dominus ad Noë. Et quid dulcissimum COR JEsu illis beatis Spiritibus in cœlo aliud est, quàm si-
Deut. 4, 24. milis Arcus speciosissimus? Igneus, quia *Deus tuus ignis consumens est*; Purpureus propter passionem, unde Angeli pacis eum in cœ-
Isa. 63, 2. lum introëuntem interrogarunt: *Quare rubrum est indumentum tuum?* Et viridis, propter spem nostram, dum & nos miselli, adhuc tanquam viatores in hac lacrymarum valle existentes, ex hoc SS. CORDE JEsu omnem salutis spem & habemus, & singulis momentis haurire possumus. Hunc ergo pulcherrimum arcum, quoties Pater Æternus in Filio suo aspexerit, toties recordabitur quoque fœderis sui sempiterni: *Videbo illum, & recordabor fœderis sempiterni*, quòd non ampliùs delere velim omnem carnem & animam viventem, sed potiùs ex meritis hujus SS. ac divinissimi CORDIS JEsu vobis ô mortales! ritè per contritionem ac confessionem dispositis, omnia condonem delicta ac demerita. O anima mea! etiamnum in hoc miseriarum barathro inter millena versêris pericula, erige te, & Deo tuo infinitas gratias age, quòd in tuum commodum longè maximum adhuc paratum habeas mysticum illum ar-
Eccl. 43, 12. cum, SS. COR JEsu: *Vide Arcum & benedic eum, qui fecit illum: valde speciosus est in splendore suo.* O valdè speciosus!

5. Progredior ad Davidem, qui, cùm aliquando in spiritu & in umbra tantùm has cœli delicias degustâsset, præ stupore attonitus
Ps. 35, 9. exclamavit: *Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Et quænam, obsecro, hæc domus est, in qua Sancti inebriabuntur?

Adverte, domus hæc vinaria, divino ac suavissimo falerno plena SS. COR JEsu est omnibus tum in cœlo existentibus, tum in Sanctissima Eucharistia eum dignè recipientibus. In hanc ergo do-
Cant. 2, 4 mum vinariam solet mitissimus JEsus animam, dilectam Sponsam suam, invitare, & introducere, atque in ea suam ordinare charitatem. Alii cum Euthymio per illam ubertatem domûs Dei pretiosiss.

Sangui-

UVA. BHSC. BU 00661

Sanguinem intelligunt, qui ex SS. CORDE JEsu transfixo defluxit, & per torrentem aquam illam saluberrimam cum divino cruore pariter effusam. O quàm gratiosus, quàm amabilis & quàm desiderabilis ille torrens voluptatis est! Et hoc est, ad quod alludit Propheta Apocalypticus: *Et ostendit mihi fluvium aquæ vitæ, splendidum tanquam crystallum de sede Dei & Agni.* Et nunquid SS. Cor JEsu est sedes Dei, in quo Divinitas pleniſſimè inhabitare solet, & in quo Pater sibi unicè complacet, ac Spiritus Sanctus velut in suo throno quiescit? Ex hoc ergo SS. & Augustiſſ. CORDE JEsu, tanquam ex fonte in omnes Beatos jugiter promanat fluvius ille aquæ vitæ: *Ecce,* inquit Isaias, *Deus Salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo, quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem: Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Ezechiel quondam fluvium vidit à dextro Templi latere, hoc est, de SS. CORDE JEsu (ut alibi explicavimus) in commodum & salutem hominum exuberantem: *Aquæ autem descendebant in latus Templi dextrum ad meridiem altaris.* Sed ille fluvius, quemadmodum observat Cornelius, Ecclesiæ militantis erat, hic autem, quem S. Joannes in Civitate Dei vidit, propriè Ecclesiæ triumphantis est, instar Solis pellucidus, & instar crystalli puriſſimus, per quod puritas ac Sanctitas illius cœlestis, immensæ, ac nunquam terminandæ voluptatis indicatur, quam Sancti omnes hauriunt ex hoc Diviniſſ. CORDE JEsu, quod post Deum perfectè eorum desiderium explet, & ineffabili voluptate illorum corda perfundit. Unde Isaias: *Declinabo super eam quasi fluviũ pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam.* *Isa.* 12, 2. *Ezech.* 47, 1. *Isa.* 66, 12.

6. Olim Deus populo suo electo promisit, se ex adipe frumenti, hoc est, de Manna cœli, eos abundanter saturaturum, quod & in deserto per 40. annos fideliter præstitit: *Cibavit eos ex adipe frumenti.* Et ut haberent, quô sitim extinguerent, illis dulciſſimum mel in potum obtulit, aquam nempe de petra Cades decurrentem, quæ populo in siti ad instar mellis suaviſſimi extitit. Accedit, quòd in sylvis ac petris copioſiſſimum mel in terra illa desiderabili ubique reperiebatur, quemadmodum ex facto Jonathæ patet, virgam in *Ps.* 80, 16.

UVA. BHSC. BU 00661

Ps. eod. melle intingentis: *Et de petra melle saturavit eos &c.* Altiùs nunc
1. Cor. 10, attolle oculos anima Christiana: *Petra autem erat Christus*, sub-
4. intrat hîc S. Paulus. Hæc mystica petra de percusso suo latere in rupe Calvariæ ex ipso fonte Sacratissimi CORDIS sui abundantissimum gratiarum mel in omnes profudit, & etiamnum in terra illa desiderabili Sanctorum, hoc est, in cœlesti gloria pleno impetu in omnes animas largissimè spargit. O quàm igitur bene Vates Regius:
Ps. 16, 15. Tunc *satiabor, cùm apparuerit gloria tua!* Et si beatitudo juxta præstantissimum illum Christianum Philosophum Boëtium est *status bonorum omnium aggregatione perfectus sine admixtione ullius mali*, profectò SS. COR JEsu (NB. post Deum) est illud beatitudinis centrum, in quo Cælites omnes securè ac cum plenissima desiderii satietate conquiescunt: *O felix unio* (exclamat P. Vincentius Caraffa Soc. JEsu Generalis Præpositus meritissimus, Vir & doctrinâ & prudentiâ ac sanctimoniæ laude clarissimus) *O felix unio, jucunda possessio, felicissima in CORDE Christi commoratio! Verè cor nostrum semper famelicum & inquietum nullo alio saturari, in nullo conquiescere potest, præterquam in CORDE Christi, ceu centro suo.*

Vinc. Caraff. in fasc. Myrrh. l. 3. consid. 24. n. 2.

7. Nec caret singulari mysterio, quòd olim Deus Aaroni summo Pontifici mandaverit, quatenus in corde suo (Textus Hebraicus legit: *Super cor suum*) nomina Tribuum Israël pretioso Rationali insculpta gestaret, ad admonendum Pontificem, quòd non tantùm animas commissas in humeris, sed etiam in imo cordis gestare de-
Exod. 28, 29. beat: *Portabítque Aaron nomina filiorum Israël in rationali judicii super pectus suum.* En pulcherrimum typum Sacratissimi CORDIS JEsu, summi illius Pontificis, qui non tantùm in hac mortali vita,
Hebr. 9, 12. cùm *per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æternâ redemptione inventa*, sed etiamnum ut glorioſus Triumphator in cœlo in SS. CORDE suo omnium prædestinatorum nomina insculpta
Zach. 3, 9. portat: *Ego*, inquit apud Zachariam, *cælabo sculpturam ejus*: Vel ut alii legunt: *Aperiam apertionem ejus.* O quàm immenso tunc gaudio replebuntur Beatorum Animæ, cùm nomina sua divino Rationali insculpta viderint! ô quantùm gaudebunt! Hoc experta est S. Mecha-

UVA. BHSC. BU 00661

Mechtildis Virgo, cui clementissimus Redemptor suavissimum COR suum pro hora mortis in pignus felicissimæ prædestinatorum æternitatis obtulit: quam gratiam similiter obtinuit: S. Gertrudis Virgo, cui Christus in extremo agone SS. COR suum apertum in arrham futuræ gloriæ monstravit, Angelis interea cantantibus: *Veni, veni, veni, quia te expectant cœli deliciæ, alleluja, alleluja!* Eandem felicitatem S. Gregorius Magnus à Christo impetravit, qui huic Beatissimo Pontifici COR suum obtulit, ut inde thesauros pro Ecclesia Dei depromeret. Et de S. Margaritha pœnitente refert vita, quòd in Latere Crucifixi SS. COR JEsu intuita, ac complexa, sursum ab eo in cœlum rapta fuerit. O felices animas! O si similis quoque sors & te maneret pie Lector! Ama nunc & Zela honorem Sacratissimi CORDIS JEsu, en adhuc vivit gratiarum Dominus, monstrans tibi apertum COR suum: *O quàm bonum est*, ait Mellifluus Bernardus, *ô quàm jucundum, habitare in CORDE JEsu!* O quàm bonum! Verè *animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritûs Dei*, & quàm dulce sit hoc *SS.* COR JEsu! ah! ah! non percepit!

Nadas. in anno Cœl. 19. Nov. & 17. No. Idem 12. Mart. & 22. Febr.

S. Bern. tract. de pass. Dom. cap. 3.

1. Cor. 2, 14.

8. Verùm ut hujus Divinis. CORDIS JEsu dulcedinem, quâ omnes nunc Beatorum Ordines perfruuntur, clarius adhuc valeatis penetrare, ad id amabò attendite, quod sacer Codex de divite illo Epulone commemorat; qui, cùm maximis & ineffabilibus tormentis tum ardentissimæ sitis, tum etiam ardoribus incendii infernalis cruciaretur, Patrem Abraham (quia Judæus erat ex semine Abraham prognatus) humiliter invocavit, quatenus ad aliquod vel leve solamen ac dolorum levamen Lazarum de sinu suo sibi mitteret: *Miserere meì, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Tace ingratissimum pecus & titio infernalis! quid te una juvabit aquæ gutta, quam tibi Lazarus nunc felicissimus de cœlo in locum tormentorum ferat? Et si omnes aquæ, flumina ac maria in infernum defluerent, nec unam quidem ignis sempiterni scintillam extinguerent. En nunc pœnam Talionis justissimam! priùs noluisti nec unam panis micam Lazaro famelico indulgere, nunc condignum est, ut

Luc. 16, 24.

nec

UVA. BHSC. BU 00661

nec una aquæ frigidæ gutta tibi in solamen cedat. Verumenimverò aliud hîclatet mysterium, quòd damnatus ille Epulo unam duntaxat frigidæ guttulam de cœlo flagitaverit, & nec eam impetraverit, causam subjungit S. Augustinus: *Tanta*, inquit, *est dulcedo futuræ gloriæ, ut si una gutta defluereet in infernum, totam damnatorum amaritudinem indulcoraret.* Ecce una guttula de cœlesti illa suavitate dicto Epuloni abundè suffecit, non tantùm ad suos, sed & omnium damnatorum cruciatus diluendos.

S. Aug. s. de Beat. cœlest.

O Bone JEsu! non me capio ampliùs præ admiratione! Quid ergo erit amabilissimum ac Divinissimum COR tuum illis Beatissimis Spiritibus in cœlesti paradiso, dum in illo juxta Apostolum inhabitare solet *omnis plenitudo Divinitatis?* Ah quid erit? Audi S. Chrysostomum: *Si quotidie foret infinities moriendum, ferendum tamen esset: præterea gehennam, & tormenta omnia convenit sustinere, ut videre queas Christum venientem in gloria sua, & conscribi ordini Sanctorum.* Et quid fiet ô anima! Si ipse JEsus & Amor tuus dignabitur lacrymas ab oculis tuis abstergere, & te velut Sponsam suam dilectam ad castissimos amplexus & osculum SS. CORDIS sui admittere? O ineffabilis dulcedo! ô summa dilectio charitatis habere JEsum, & in ipso Divinissimo CORDE JEsu æternùm posse commorari?

Col. 2, 9.

S. Chrys. ad Theodorum lapsum. Idem asserit. S. Aug. ser. 37. de Sanctis.

Ah pientissime JEsu! cor nostrum sit erga Sacratissimum COR tuum, ut quondam fuit cor Magni illius Aurelii Augustini, quod tanto amore in te ferebatur, ut post beatum obitum hujus Præsulis cor ejus quinque Sacrorum Vulnerum tuorum stigmatibus saucium fuerit repertum.

Lyr. l. 5. c. 7. f. 296.

Ah benignissime JEsu! cor nostrum sit erga Sacratissimum COR tuum, ut quondam fuit cor S. Francisci Salesii, qui in suo pectore Cor non hominis, sed Seraphini absconditum portabat, quòd assiduò per suspiria, per calamum, per colloquia in flammas tui amoris erumpebat. Unde cùm intra unius anni spatium facilè 25. millia hæreticorum ad veram fidem reduxisset, auditus est aliquando inter labores anhelans dicere: *O mi Deus! quæso, siste gratiarum tuarum torrentem: neque enim potest capere Spiritus meus abundantiam deliciarum dulcedinis tuæ tantæ.*

Nadas. die 28. Decemb.

Caraff. in fasc. l. 1. consid. 8.

Ah clementissime JEsu! cor denique nostrum sit erga Sacratissimum COR tuum, ut quondam fuit cor S. Francisci Xaverii Indiarum, Apostoli, perpetuâ charitatis flammâ erga te & proximum ardens, proinde te non aliter, quàm Deum CORDIS sui appellabat: O quoties ingeminabat: *Domine JEsu Christe, Deus cordis mei, per quinque illa vulnera, quæ tibi in cruce nostri amor inflixit, tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti.*

EPI-

UVA. BHSC. BU 00661

EPILOGUS.

SS. COR JEsu omnibus fidelibus Christianis universale & ultimum in vita & in morte Perfugium.



Petra refugium herinaciis. Psal. 103, 18.

1. OMnia animalia, naturâ duce, de commoda sibi & opportuna prospiciunt habitatione, in qua contra inimicorum incursus, tempestatúmque injurias securè commorentur. Sic *Aquila* contra venenatos serpentes *in arduis ponit nidum suum*: columba contra insidiantes milvos *in foraminibus petræ & cavernamaceriæ* tuta latitat: *lepusculus plebs invalida* contra canes venaticos *in petra cubile suum collocat*: vulpes contra molossos *foveas suas habent*, & passer *invenit sibi domum*, & *turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.* Et tu, Anima Christiana! inter tot ac tanta pericula constituta, non tibi maturè de aliquo provi-

Job. 39. 27. *Cant.* 2. *Prov.* 30, 26. *Matth.* 8. *Ps.* 83, 4.

UVA. BHSC. BU 00661

deas domicilio, ubi tuta contra tot hostes, te quotidie infestantes, morari possis ac degere? Quod autem domicilium securius esse potest, quàm SS. COR JEsu?

Herinacium, seu echinum considera, (egregium hominis providi ac industrii paradigma) dum non tantùm in autumno sibi maturè pro instante hyeme escam parat, & volutatus super jacentia poma in terra, ea aculeis suis affixa lætus in cavas arbores, aut in cavernam suam deportat, sed & in globum convolutus, ubi periculum aliquod prævidet, hostium insultus & insidias tutus deridet. Solet autem herinacius ut plurimùm cubile suum in aliquo petræ foramine collocare, ubi commodam sibi stationem pro ratione temporis & venti, nunc ad austrum, nunc ad aquilonem eligit, sícque tranquillus contra quosvis ventorum & hostium impetus vivit, cui lemma inscribes:

Undique tutus.

Vel, si ad propositum tuum magìs placet illud Picinelli:

Venturi providus ævi.

Anima Christiana! en formam hîc habes & exemplum, quod imiteris, semper venturi ævi provida. Nunc ergo, dum tempus est acceptabile & dies salutis, providè in rem & salutem tuam vigila, & tibi de securo illo prospice domicilio, ubi tuta ac tranquilla in omni tentatione, in quovis periculo, & in ipso demum agone ac judicio possis latitare: *Herinacius*, inquit Le Blanc, *spinis suis tectus ad petram fugiens, est humilis peccator, aculeis peccatorum suorū compunctus, in Christo se abscondens*, & in SS. CORDE ejus, quasi in securissimo domicilio & asylo latitans. O felix anima! quæ in hac mystica petra, & in caverna maceriæ SS. CORDIS JEsu abscondita insidiantis inimici declinat assultus! *Ideo*, ait Hadrian. Lyræus, *Latus suum pius & misericors aperuit, ut cruor te vulneris vivificet, caro corporis refocillet, spiritus cordis quasi patenti & libero meatu aspiret: ibi tutò latebis, donec transeat iniquitas, ibi nequaquam algebis, eò quòd in Visceribus Christi* (hoc est, in SS. CORDE JEsu) non

Le Blanc. in Ps. 103. v. 18.

Hadr. Lyr. de Jesu pat. l. 6. c. 6.

UVA. BHSC. BU 00661

non frigescat charitas, ibi deliciis affluas, ibi gaudiis supereffluas, &c. O felix habitatio SS. COR JEsu!

2. Ingeniosa ac pia, & ad nostrum propositum peraccommoda est illa ponderatio S. Hieronymi, quare benignissimus orbis Reparator Christus plerumque post solis occasum infirmos ac languidos curârit: *Vespere autem facto, cùm occidisset sol, afferebant ad eum omnes male habentes, & dæmonia habentes, & erat omnis civitas congregata ad januam.* Marc. 1, 32. Et cur non manè, aut in meridie eos saluti restituit? Grande hîc latet mysteriũ, non enim otiosè Sacri Scriptores tempus illud vespertinum & occasum solis adnotârunt, ita & S. Matthæus: *Vespere autem facto obtulerunt ei multos dæmonia habentes, & ejiciebat spiritus verbo: & omnes malè habentes curavit.* Matth. 8, 16. Ubi subjungit: *Ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, & ægritudines nostras portavit.* Isa. 32, 4. Per solem hunc occiduum rectè præfatus S. Hieronymus Christum JEsum, mysticum illum justitiæ solem in cruce expirantem intelligit, ubi moriens cunctas animarum nostrarum ægritudines ac languores, in illis corporum morbis præsignatos curavit: *Omnes*, inquit S. ille Ecclesiæ Doctor, *non manè, non meridie, sed ad vesperam curantur, quando sol occubiturus erat, quando granum tritici in terra moritur, ut multos fructus afferat &c.* S. Hier. in cap. 8. Matth. Observat autem S. Marcus, quòd *omnis civitas*, hoc est, prout interpretatur Menochius: *Omnes cives oppidi Capharnaum*, Menoch. in hunc l. ad hæc stupenda miracula, quæ Christus sole occumbente ad januam domûs in curandis illis infirmis & dæmoniacis patrârat, in unum confluxerint, & ad ostium illud admirabundi steterint: *Et erat omnis civitas congregata ad januam.* Marci 1, 33. Et quid denotat illa janua, non enim frustra ab Evangelista, qui hæc Spiritu S. dictante conscripserat, illa quoque janua connotata fuit? Respondet ad hanc quæstionem pereleganter & appositè doctiss. Francisc. Quaresmius, quòd per dictam januam non incongruè SS. Latus & diviniss. COR JEsu, quod Longinus sole occumbente, lanceâ suâ, quasi clave in bonum totius universi reseravit, possit ac debeat intelligi: *Et hoc*, inquit, *significatum* Quaresm. to. 2. c. 3.

UVA. BHSC. BU 00661

catum fuit in eo, quod ad occasum Christo Domino latus apertum fuit, quod fuit velut salutis ostium reseratum, ad quod omnes admissi, salutem consequentur, &c.

O mortales omnes! quid agitis? quousque occupabitur cor vestrum amore creaturarum, mundi, carnis, honorum, divitiarum, vanitatum, concupiscentiarum, stultitiarum, &c. En, patet vobis vitæ ostium & janua salutis, & vos post tot ac tanta recepta beneficia adhuc intrare recusatis in SS. COR JEsu? Columba illa Noëmica, dum cessante diluvio in terra sordida, limosa, & spurcitiis repleta non inveniisset, ubi requiesceret pes ejus, continuò reversa est in arcam, in qua à Noëmo per apertam lateris fenestram cum gaudio excepta est: *Gen. 8, 9.* *Extenditque manum, & apprehensam tulit in arcam.* Anima Christiana! En & tibi fenestra SS. Lateris JEsu Crucifixi aperta est, per quam liberè ad ipsum COR DEI amore tui vulnerati poteris penetrare. *Vincent. Puccin. 4. p. Vitæ cap. 9.* Ita quondam vidit S. M. Magdalena de Pazzis, quòd plures animæ in SS. Latere & CORDE JEsu inhabitantes, tanquam micantes gemmæ illud diviniss. COR coronârint. O si omnes animæ ad hoc SS. COR JEsu advolarent!

Noë quondam extentis in modum crucis brachiis columbam illam, cum olivæ ramo ad se revertentem, exspectans exspectavit. Vide hîc alterum Noëmum in arca crucis expansis te manibus præstolantem, & quia digitis cruci affixis non potest refugii tibi locum monstrare, capite in SS. Pectus sese inclinante tibi apertum COR suum designat, in quo secura habites, & ab omni periculo immunis per omnem æternitatem quiescas: *S. Bonav. p. 1. stim. c. 5.* *O bone JEsu!* exclamat S. Bonaventura, *nimis saxeum est cor meum, nisi emolliatur sanguine tuo: nimis distractum est cor meum, nisi recolligatur in Latere tuo &c.*

3. De Samuele recensent Sacri Regum fasti, quòd Sauli in Regem Israëlitarum jam inungendo non perdices, nec phasianos, aut alia delicatiora fercula (quibus Nobilium mensæ abundare solent) sed unum armum à victima reservârit: *1. Reg. 9, 24.* *Levavit autem cocus armum, & posuit ante Saul: Dixítque Samuel: Ecce, quod remansit, pone ante te, & comede, quia de industria servatum est tibi.* Anima Chri-

UVA. BHSC. BU 00661

Christiana! non armum in cruce, sed ipsum amabilissimum ac diviniss. COR suum reservavit tibi JEsus, Agnus ille Divinus: *Quia de industria servatum est tibi.* Et quemadmodum Oratores efficacissima ad persuadendum argumenta in finem perorationis rejiciunt, & Poëtæ in calce epigrammatis majorem adhibere solent energiam; sic divinus ille Orator, cùm in cathedra crucis *cum clamore valido & lacrymis* pro nostra salute ad Patrem ultimò perorâsset, & carmen suum (heu, quàm lugubre!) septem videl. verborum complêsset, ut tandem Epilogum immensi sui amoris faceret, ac Patrem cœlestem ob demerita nostra justissimè iratum in sententiam suam flecteret, eique misericordiam persuaderet, quid fecit? En, tradidit, & objecit furori crudelis lanceæ ipsum dulciss. ac diviniss. COR suum: *Et exauditus est pro sua reverentia:* ruinam Angelorum in cœlo supplevit, infernum spoliavit, mundum redemit, Patrem placavit, & tibi locum refugii paravit, ut, cùm venturus est tanquam districtissimus Judex judicare terram, ubi alii clamabunt: *Cadite montes super nos, & colles operite nos,* tu tranquillum atque tutissimum in hoc SS. CORDE JEsu invenias asylum, *quia de industria servatum est tibi.* O quàm sapiens igitur est illa anima, quæ in hoc summo petræ foramine nidificat. Talis *assimilabitur viro sapienti, qui ædificat domum suam supra petram, & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat supra petram.* *Hebr.* 5, 7. *Luc.* 23, 30. *Matth.* 7, 14.

4. *Convertere* igitur *anima mea in requiem tuam* (hoc est, in SS. COR JEsu) *quia Dominus benefecit tibi.* Natus est pro te in carne, ut tu nascerere Spiritu. Positus est in alieno præsepio, ut tibi proprium pararet locum in cœlo. Inter jumenta jacere in stabulo non abhorruit, ut te, qui sicut jumentum apud DEum factus es, in hominem mutaret. Circumcisus est, ut tu cor & labia tua circumcideres. Oblatus est Patri in templo, ut tu ipsi in templum offerres Cor tuum. In fugam & in exilium ejectus est, ut te exulem in patriam reduceret. Laboravit in officina Patris Nutritii, ut tu pro honore DEI & salute proximi nulli parceres labori. Esurivit pro te, per *Ps.* 114, 7.

UVA. BHSC. BU 00661

quem nec ales esurit, ut te cœlesti Manna & supersubstantiali pane reficeret. Sitivit ipse fons vitæ, ut anima tua sicut terra sine aqua sitiens, haberet, quô sitim restingueret. Fatigatus est ex itinere, ut te lassum ac debilem viatorẽ refocillaret. Obmutuit & obsurduit coram convitiantibus se, ut tu discereris in simili occasione tacere. Oravit pro te toties pernoctans in oratione DEI, ut tibi non tam exemplum præberet, quàm & Patris iram contra te placaret. Venditus est in mortem triginta argenteis, ut te hoc sanguinis pretio ab inferni, diaboli, & peccati servitute redimeret. Innumeris angustiis affectus est, ut in angustiis tuis haberes levamen. Vigilavit de nocte, ut te à peccati lethargo suscitaret. Sanguinem sudavit, ut peccatorũ tuorum maculas elueret. Captus est, quem cœli & terra capere non possunt, ne tu in tentationibus capereris ab hostibus tuis. Ligatus est catenis & vinculis, ut te solveret à vinculis peccatorum. Derelictus est à Discipulis omnibus, ut tecum posset manere usque ad finem vitæ. Negatus est à Petro, ut tu illum in omni occasione coram Patre & hominibus confitereris. Falsò accusatus est, ut te confitentem in supremo Judicio posset absolvere. Velatus est facie, ut tibi eam in gloria sua æternùm ostenderet. Spoliatus est vestibus, ut stolâ gloriæ & jucunditatis te indueret. Sputis fœdissimis comaculatus est, ut sordes animæ tuæ abstergeret. Flagellatus est, ut servus, Dominus universorum, ut te inutilem servum ab æternis redimeret flagellis. Coronatus est spinis Rex vivorum & mortuorum, ut tu coronareris coronâ gloriæ. Damnatus est ad mortem, ut tu morte dignus vitam cõsequereris æternã. Ejectus est extra civitatẽ, ut te in cœlestem Jerusalẽ introduceret. Crucem bajulavit humeris, ut tuam tolleret & levaret. In ligno exaltatus est, ut te ad se attraheret. Inter latrones pependit medius, ut tu in medio viveres Angelorum. Ambo brachia in cruce extendit, ut te filium prodigum mitissimus Pater in gratiam reciperet. Mortuus est pro te, ut tibi vitam repararet sempiternam. Tandem ubi omnia consumavit, quæ Prophetæ de eo vaticinati sunt, ut demonstraret, quòd non tantùm in finem dilexerit te, sed quòd neque mors, neque creatura alia imme-

UVA. BHSC. BU 00661

mensum illum charitatis ignem in Diviniſſ. CORDE ſuo potuerit extinguere, quid facit? ipſum SS. Latus & dulciſſ. COR ſuum immiti lanceâ aperiri voluit, ut liberum acceſſum ad illud mortales omnes haberent, in quo in omnibus tentationibus, periculis, & adverſitatibus, ac præſertim in ſupremo illo agone, ex quo pendet felix, aut eheu! æternùm infelix æternitas, ſecurum ac tutiſſimum invenirent perfugium. Ecce! *quia de induſtria ſervatum eſt tibi!* O COR JEſu, quis ſatis amet te? ah quis?

5. *Convertere* igitur *anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi*, dedit enim omnia pro te, & tandem ipſum Diviniſſ. COR ſuum in locum refugii, ſecuritatis & aſyli univerſalis: *Manus & pedes*, ait Guerricus Abbas, *& latus perforari ſibi tulit, & ſe mihi totum aperuit, ut ingrediar in locum Tabernaculi admirabilis, & protegar in abſcondito Tabernaculi ſui*: hoc eſt, in SS. CORDE JEſu. Vis figuram de hac veritate? Moyſes & Aaron coṁotâ graviſſimâ in eos populi ſeditione, & increſcente magìs magísque in caſtris tumultu, ne à tumultuante illa turba ſaxorũ grandine obruerentur, quid fecerunt? Sine mora ad Tabernaculum Altiſſimi, tanquam ad ultimum perſecutionis & calamitatis ſuæ aſylum confugerunt, *quod poſtquam ingreſſi ſunt, operuit nubes, & apparuit Gloria Domini.* Tu pie Lector, ſi deſideras carnem tumultuantem, mundum inſidiantem, diabolum infeſtantem, & alios hoſtes, tum viſibiles, tum inviſibiles, ac præſertim te ipſum (quo non datur pejor) feliciter ſuperare, quid agendum? Fuge, fuge pariter ad Tabernaculum Altiſſimi, ad SS. COR JEſu Euchariſtici & Crucifixi, ubi operiet te gratiarum nubes, & Gloria Domini proteget te: *Hìc*, inquit S. Bonaventura, *erit requies mea in ſempiternum, ubi paſcar à Vulnere, lactabor ab ubere, & hæc erit dulciſſima potio mea in vitam æternam.* De Loth ex Sacris litteris compertum eſt, quòd animam ac vitam ſuam, cùm Pentapolis igne cœleſti in condignam ſcelerum vindictam concremaretur, in monte & in civitate Segor ſalvârit: *Feſtina, & ſalvare ibi, quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc.* Tu, ſi animam tuam ab incendio gehennali ſervare cupis immunem, fuge, ah fuge pari ratione ad montem, ubi *Vita tua* JEſus CRUCIFIXUS) *pendens eſt ante te*, & ſalva te in civitate munita, & in urbe refugii inexpugnabili, quod eſt SS. COR JEſu: *Tutum refugium*, ait S. Auguſtinus, *mihi præbent Vulnera Salvatoris*, & quantò magìs ipſum Diviniſſ. COR JEſu? *Feſtina & ſalvare ibi.*

Pſ. 114, 17. *Guerric. Abb. in Cant.* *Num.* 16, 43. *S. Bonav. in ſtim. am. & Lyr. fol.* 287. *Gen.* 19, 22. *Deut.* 28, 66. *S. Aug. Manual. lib.* 2.

6. Cùm Tribus Benjamin à cæteris undecim Tribubus Iſraël ad vindicandam nefandam eorum libidinem uſque ad internecionem deleretur, ſoli illi Benjamitæ ſalvati ſunt, qui in ſolitudinem fugientes in petra Remmon ſe abſconderunt: *Quod cùm vidiſſent, qui remanſerant de Benjamin, fugerunt in ſolitudinem & pergebant ad Petram.* Anima peccatrix! Etſi mille mortibus ac infernis digna ſis, noli deſperare, noli te abjicere, ſed potiùs in animo contrito & verè

Judic. 20, 45.

UVA. BHSC. BU 00661

Osea 2, 14. verè humiliato fuge in solitudinem SS. CORDIS JEsu, ibi Redemptor tuus loquetur ad Cor tuum, ibi in foramine petræ videbis cum Moyse gloriam Domini, ibi optatum in omni tentatione & tribulatione reperies auxilium: *Abscondere in fossa humo à facie timoris Domini.* O quàm felix tunc eris in agone tuo, si fueris in hoc Divinitatis domicilio! Dives ille, cujus ager quàm plurimos fructus tulerat, novam domum meditari cœpit, in qua non tam fruges reconderet; quàm & ipse, utpote homo Epicureus, vitam lautam, tranquillam ac desidiosam duceret: *Et dicam animæ meæ: Anima habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare &c.* O stulte! si vis securam domum ac tranquillam habitationem? SS. COR JEsu inquire: en in illo habes multa bona posita in annos plurimos, hîc requiesce, hîc comede, hîc bibe & epulare. O quàm bonum est hîc habitare, quia hoc SS. COR JEsu omnibus omnia factum est. Si pauper es? Lapis Philosophicus est, quo omnia potes mutare in aurum. Si ægrotus es? Theriaca est & panacea præstantissima ad curandos quosvis animi morbos. Si aridus es? *Irriguum superius & inferius est.* Si dives & opulentus es? Aurifodina omnium gratiarum & meritorum est. Et nunquid qui in auro extrahendo laborat, ex fodina auri plus lucri uno die capessit, quàm alius ex plumbi aut ferrifodinis per annum? Si peccator es? Necdum time, si enim juxta mentem Philosophi *ira succensio sanguinis est circa cor:* profectò SS. COR JEsu iram ampliùs fovere non potest, quia omnem & ultimam sanguinis stillam dedit, & pro tua salute profudit. O immensum solatium! Quid igitur superest, nisi ut hoc SS. ac Diviniss. COR JEsu ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex tota omnium viscerum latitudine diligamus? Et quod, obsecro, Cor tam durum, tam impurum, tam frigidum & iniquum, quod ex consideratione tantæ bonitatis non aliquo amore reciproco in SS. COR JEsu liquescat? O si vel unica sanguinis guttula adhuc in corde meo est, quæ te non amat, ô Diviniss. COR JEsu! eruatur, & in infernum projiciatur! Doleo solummodo, quòd tam serò te agnoverim ô pulchritudo tam nova tam antiqua! doleo! Imposterum majori amoris intensione tarditatem meam compensabo, humillimis votis pro fine hujus opusculi rogans te, ut hunc meum qualem qualem conatum benignè suscipias, spiritúmque legentibus inspires, ut SS. COR tuum tenerè ament, & inquirant, atque honorem illius ubique locorum promoveant, ut cum Apostolo dicere possint: *Quis nos separabit à Charitate SS. CORDIS JEsu?*

Exod. 33, 22. *Isa.* 1, 10. *Luc.* 12, 19. *Josue* 15, 19. *Rom.* 8, 35.

Soli DEO Honor & Gloria,
Nobis autem confusio faciei.

INDEX

UVA. BHSC. BU 00661

INDEX

Verborum, rerum, & materiarum notabilium, in hoc Opere comprehensorum;

Ubi primus numerus Considerationem, & secundus initialem numerum ejusdem Considerat. indicat.

A.

Aaron cum thuribulo stans inter vivos & mortuos, typus SS. Cordis JEsu. consid. 39. n. 5.

Abraham cur in Sacrificio Unigeniti sui servos & asinum abesse voluit? c. 14. n. 5.

Abraham cur filio & non asino ligna holocausti imposuit? c. 37. n. 3.

Abraham cur Isaaco manus ligare voluit? c. 14. n. 5.

Abyssus & mare bonorum omnium est SS. Cor JEsu. c. 46. n. 6.

Achab in prælio ad cor telo transfixus, figura Christi. c. 42. n. 2.

Adam cur ad medium ligni paradisi ante sententiam latam confugit? c. 38. n. 5.

Adam typus Christi novi Adami. c. 13. n. 5.

Adam quando seriò pœnituit? c. 22. n. 8.

Adam in sudore vultûs sui vescens pane, figura Christi. c. 33. n. 6.

Adam aratro terram fodiens & colens, typus Salvatoris. c. 37. n. 2.

Æthna amoris SS. Cor JEsu. c. 41. n. 4.

Agnus, de cujus cruore ædes aspersæ, typus Christi. c. 48. n. 3.

Agnus matutinus figura Christi infantis in templo oblati. c. 11. n. 3.

Agnus lactens Samuelis, typus Christi puelli. c. 11. n. 4.

Agnus quinque Vulnerum cicatrices in se gerit. c. 11. n. 5.

Agnus symbolum perfectæ obedientiæ, & quomodo? c. 13. n. 1.

Agnus Paschalis cur immolatus? c. 26. n. 1.

Agnus Paschalis quomodo typus Christi Eucharistici? c. 26. n. 2.

B. Agnes Pio furto de pectore pueri JEsu crucem diripit. c. 5. n. 5.

Albuquercius per infantem oblatum cœlum iratum placat. c. 11. n. 8.

Alphonsi Esquieræ cor cum SS. Corde JEsu unitum. c. 47. n. 6.

UVA. BHSC. BU 00661

Aman cur sibi gloriæ duxit, esse Regis convivam? c. 23. n. 6.
Ambrosius Minorita victima amoris, & quomodo? c. 38. n. 7.
Amor SS. Cordis JEsu ex institutione SS. Eucharistiæ infinitus. c. 23. n. 9.
Amoris Dei & proximi varia symbola & figuræ. c. 21. n. 3. & seq.
Amoris perfectissimi exemplar Cor R. P. Rochi Consalez. c. 21. n. 8.
Amor & dolor SS. Cordis JEsu assiduus in vita ejus fuit. c. 8. n. 9.
Amor SS. Cordis JEsu spineâ coronâ cincti & redimiti. c. 36. n. 4.
Angelus cur virgâ ligneâ holocaustũ Gedeonis accendit? c. 37. n. 5.
Angelus purificans labia Isaiæ, cur calculum ignitum forcipe tulit? c. 25. n. 6.
B. Angelus del Paz adinstar SS. Cordis JEsu cor vulneratum habuit, cur? c. 41. n. 8.
Anima tentata citò ad cavernam maceriæ confugiat, cur? c. 34. n. 4.
Animæ dignitas per varia symbola declaratur. c. 19. n. 2.
Animæ pretium solùm SS. Cor JEsu æquare potuit, & quomodo? c. 19. n. 6.
Apis in corde lilii quiescens, typus animæ in SS. Corde JEsu quiescentis. c. 46. n. 5.
Apis mel ex floribus & aranea venenum inde colligens, quid sibi velint? c. 27. n. 2.
Apis in SS. Corde JEsu mellificat. c. 44. n. 4.
Arca Dei sub papilionibus typus Christi in præsepio expositi. c. 10. n. 5.
Arca non poterat secum tolerare impurum Dagon, cur? c. 14 n. 3.
Arca quàm terribilis olim fuerit? c. 16. n. 5.
Arca Dei cur auro intus & foris vestita? c. 25. n. 3.
Arcam fœderis cur David non ad se perduxit? c. 25. n. 6.
Arcus seu iris SS. Cor JEsu, cur? c. 50. n. 3.
Athalia cur omnes Nepotes Regios mandavit occidi? c. 12. n. 4.
S. Augustinus Episc. 5. SS. Vulnerum stigmata in suo corde gestavit. c. 50. n. 8.
Augustus Imperator ex ostenso saucio pectore militis ad clementiam flectitur. c. 20. n. 6.

B.

Bajazethes Imp. Turcarum ob unicum pomum ephebi viscera jussit dissecari. c. 31. n. 3.
Balneum Constantino M. Imperatori cruentum pro mundanda lepra paratum. c. 12. n. 3.
Bajulationis crucis pulchræ & variæ enumerantur figuræ. c. 37. n. 7.
Balsamum deficientibus SS. Cor JEsu. c. 39. n. 2.
Beatitudinis cœlestis magnitudo ex con-

UVA. BHSC. BU 00661

consideratione SS. Cordis JEsu. c. 50. n. 7.
S. Bernardus, & S. Elzearius in SS. Corde JEsu omne bonum reperiunt. c. 18. n. 7.
Beatitudo vera hominis in hac terra in quo consistat? c. 30. n. 5.
S. Bonaventuræ votum fuit loco lanceæ Longini fuisse. c. 41. n. 5.
B. Blonda cor filii occisi comedens, quomodo se gesserit? c. 34. n. 6.
Bombyx typus Verbi incarnati in utero B. Virginis quiescentis, & quomodo? c. 5. n. 1.
Bos cur in sacrificium à Deo receptus, & asinus econtra rejectus? c. 30. n. 4.
Botrus Chanaan typus SS. Cordis JEsu Eucharistici & Crucifixi. c. 28. n. 3.
Botrus Cypri SS. Cor JEsu & quomodo? c. 28. n. 1.

C.

S. Catharina cur spineam coronam neglectâ aureâ elegit? c. 36. n. 6.
Cella vinaria Sponsæ SS. Cor JEsu. c. 28. n. 7.
Centurio quomodo ad Christum fuerit conversus? c. 20. n. 4.
Certamen ingens amoris SS. Cordis JEsu in ultima cœna & cur? c. 24. n. 1.
Christus in circumcisione quomodo passerculus in proprio sanguine intinctus? c. 8. n. 8.
Christus circumcisus cum Principe Sichem comparatus. c. 8. n. 7.
Christus circumcisus quomodo & à quo? c. 8. n. 3.
Christi circumcisio prima sanguinis aurora. c. 8. n. 4.
Christi circumcisio arrha Sponsæ. c. 8. n. 5.
Christi circumcisi sanguis cum balsamo comparatur. c. 8. n. 8.
Christus cur se filium hominis, & non à potiori Filium Dei appellarit? c. 16. n. 1.
Christus cur pedes Discipulorum laverit? c. 25. n. 1.
Christus post mensam in cœlum, alii post mensam Eucharisticam in infernum abeunt. c. 27. n. 7.
Christus juvenem Religiosum ad SS. Cor suum amicè stringit. c. 30. n. 6.
Christus cur capite inclinato expiravit? c. 47. n. 3.
Christus quare 30. argenteis vendi voluit? c. 48. n. 6.
Christus cur in tertia oratione in Oliveto sanguinem sudavit? c. 48. n. 6.
Christophorus M. puer 8. annorum cum gaudio cor suum exhibet lanceâ transfigendum. c. 36. n. 8.
Clypeus Josue typus SS. Cordis JEsu. c. 9. n. 2.
Clypeus Alphonsi Regis SS. Cor JEsu saucium & SS. Vulnera ejus exhibet. c. 9. n. 2.

UVA. BHSC. BU 00661

Clypei aurei Salomonis & Antiochi Regis typus SS. Nominis & Cordis JEsu. c. 9. n. 3.
Clypeus Davidis SS. Cor & Nomen JEsu fuit. c. 9. n. 5.
Clypeus Dismæ latronis pœnitentis SS. Cor & Nomen JEsu. c 9. n. 6.
Clypeus à Theseo proprio sanguine pictus & scriptus. c. 9. n. 7.
Clypeus Myrtilo vitam terrâ marique conservat. c. 9. n. 8.
Columna nubis & ignis figura SS. Cordis JEsu. c. 49. n. 1.
Communicantium diversimodè variæ enarrantur figuræ. c. 27. n. 3.
Communicantes indignè similes Judæ, Caino, Joabo, Pilato &c. c. 27. n. 5. & seq.
Communicans de carne pacificorum olim morte punitus, cur? c. 27. n. 7.
Conviva cur sine veste nuptiali damnatus? c. 27. n. 9.
Contritio cordis non est adeò difficilis, ut quidam æstimant. c. 22. n. 8.
SS. Cor JEsu cur Ven. Margarithæ Alacoque in throno igneo apparuit? c. 2. n. 2.
SS. Cor JEsu & cor P. Martini Guttiers S. I. in una lance collocatum, cur? c. 3. n. 5.
SS. Cor JEsu misericordiâ plenissimum. c. 4. n. 5.
SS. Cor JEsu à primo conceptionis instanti crucem elegit, cur, & quomodo? c. 5. n. 4.
SS. Cor JEsu neglecto auro & thure myrrham sibi reservavit, cur? c. 10. n. 1.
SS. Cor JEsu victima præstantissima Patris iram placans. c. 7. n. 2.
SS. Cor JEsu sacrificium ex omnibus Patri cœlesti gratissimum. c. 11. n. 1. & seq.
SS. Cor JEsu intimè condolet stragi SS. MM. Innocentûm. c. 12. n. 5.
SS. Cor JEsu in templo præsens omnium corda considerat. c. 14. n. 3.
SS. Cor JEsu iram in misericordiam commutat. c. 15. n. 1.
SS. Cor JEsu simile tenebrosæ nubi in largum imbrem se diffundenti. c. 15. n. 2.
SS. Cor JEsu in expectando & puniendo valde longanime. c. 15. n. 8. & seq.
SS. Cor JEsu Sol super bonos & malos oriens. c. 16. n. 1.
SS. Cor JEsu fons misericordiæ, omnibus Christi membris misericordiam communicat. c. 16. n. 2.
SS. Cor JEsu vena clementiæ. c. 16. n. 2.
SS. Cor JEsu durissimum cor Samaritanæ emollit & convertit. c. 16. n. 3.
SS. Cor JEsu porta omnibus patens, qui volunt per eam intrare ad vitam. c. 18. n. 6.
SS. Cor JEsu porta refugii Davidi & aliis pœnitentibus. c. 18. n. 7.
SS. Cor JEsu pro una anima tantum passum

UVA. BHSC. BU 00661

passum est, quantum pro omnibus. c. 19. n. 2.
SS. Cor JEsu plùs amat animam, quàm Jacob suam Rachelem, Samson suam Dalilam, & David suam Michol. c. 19. n. 3.
SS. Cor JEsu afflictissimum cur in horto & non in cruce ab Angelo confortatum? c. 19. n. 5.
SS. Cor JEsu canalis ovium, & crux virga decorticata Jacob. c. 20. n. 1.
SS. Cor JEsu quale & quàm immensum pretium dederit pro anima? c. 19. n. 6.
SS. Cor JEsu cur cor altum? c. 20. n. 2.
SS. Cor JEsu cur in cruce apertum? c. 20. n. 2.
SS. Cor JEsu cur à nobis requirit cor alatum & duabus pennis instructum? c. 21. n. 2.
SS. Cor JEsu simile soli, qui pertransit benefaciendo omnibus. c. 24. n. 1.
SS. Cor JEsu primum altare in novo testamento, in quo prima missa celebrata. c. 24. n. 4.
SS. Cor JEsu in SS. Eucharistia etiamnum positum est in signum, cui à multis contradicitur. c. 26. n. 6.
SS. Cor JEsu quare in cœna ultima adeò contristatum fuit? c. 27. n. 1.
SS. Cor JEsu cur sicut botrus in torculari crucis expressum? c. 28. n. 2.
SS. Cor JEsu thesaurus omnium maximus. c. 29. n. 1. & seq.
SS. Cor JEsu cur dicitur apertum, & non perfossum, transfixum, perforatum & transverberatum à lancea? c. 29. n. 5.
SS. Cor JEsu est unum illud necessarium, ad quod intentionem suam Christiani dirigant. c. 30. n. 2.
SS. Cor JEsu in oliveto cur adeò afflictum? Variæ de hac re figuræ. c. 31. n. 4.
SS. Cor JEsu refugium herinaciis & peccatoribus. c. 18. n. 7.
SS. Cor JEsu verum solsequium. c. 32. n. 2.
SS. Cor JEsu cum voluntate Patris semper conjunctissimum. Variæ figuræ. c. 32. n. 4.
SS. Cor JEsu velut nubes in salutares pluvias se in oliveto effundit. c. 32. n. 1.
SS. Cor JEsu inter duos lapides molares positum & pressum in monte Olivario. c. 33. n. 2.
SS. Cor JEsu afflictum in horto cum uva & rosa comparatur. c. 33. n. 6.
SS. Cor JEsu ex denudatione summum tormentum habuit. c. 35. n. 4.
SS. Cor JEsu spinis cinctum, verè victima coronata. c. 36. n. 1.
SS. Cor JEsu victima totius mundi c. 38. n. 4.
SS. Cor JEsu nullo modo vindictam, sed misericordiam inclamat. c. 39. n. 3. & seq.

UVA. BHSC. BU 00661

SS. Cor JEsu ex omnibus mansuetissimum & cur? c. 39. n. 5.
SS. Cor JEsu piis solatium maximum & impiis terror erit in judicio. c. 49. n. 1. seq.
SS. Cor JEsu fons in medio paradisi, rigans omnem terram. c. 40. n. 1. & seq.
SS. Cordis JEsu omnis actio fuit Theandrica, & quid hoc? c. 41. n. 2.
SS. Cor JEsu insolitum splendorem de se effundit. c. 41. n. 4.
SS. Cor JEsu cum monte Calvariæ comparatur, cur? c. 41. n. 5.
SS. Cor JEsu pacem universalem mundo reddit. c. 42. n. 1.
SS. Cor Jesu quomodò & qualiter à Longino lanceâ fuerit perfossum? c. 42. n. 3.
SS. Cor JEsu securissimum animarum tabernaculum. c. 43. n. 2.
SS. Cor JEsu centrũ amoris. c. 44. n. 1.
SS. Cor JEsu quomodò bis vulneratum? c. 44. n. 2.
SS. Cor JEsu magnes amoris. c. 45. n. 1. &c.
SS. Cor JEsu lavacrum regenerationis. c. 46. n. 1. & seq.
SS. Cor JEsu fons signatus & purificans. c. 46. n. 4.
SS Cor JEsu favus distillans. c. 46. n. 5.
SS Cor JEsu mare gratiarum. c. 46. n. 6
SS. Cor JEsu Juvenem à Religione profugum ad frugem reducit. c. 46. n. 7.
SS. Cordis JEsu latitudo & longitudo, sublimitas & profundum c. 46. n. 6
SS. Cor JEsu sauciam animam à sordibus purificans. c. 46. n. 7.
SS. Cor JEsu infirmorũ salus & quies piè morientium. c. 47. n. 1. & seq.
SS. Cor JEsu in monte præ vehementia dolorum crepuit. c. 47. n. 3.
SS. Cor JEsu fossa humus à facie timoris Domini. c. 47. n. 3.
SS. Cor JEsu spes summa animarum purgantium. c. 48. n. 1. & seq.
SS. Cor JEsu vera piscina probatica. c. 48. n. 5.
SS. Cor JEsu totum cœlum illustrat. c. 50. n. 2. (n. 5.
SS. Cor JEsu torrens voluptatis. c. 50.
SS. Cor JEsu fluvius aquæ vitæ. c. 50. n. 5.
SS. Cor JEsu mel ex petra. c. 50. n. 6.
SS. Cor JEsu beatitudinis centrum. c. 50. n. 6.
Cor Patris defuncti fit meta sagittis filiorum & cur? c. 44. n. 6.
Cor nostrũ SS. Cordi JEsu offerendũ ex integro & non ex parte tantùm, ut patet ex variis figuris. c. 45. n. 5.
Cor Sacerdotis ad pedes Crucifixi Romæ invenitur. c. 28. n. 8.
Cor divitis in arca pecuniarum inventum. c. 29. n. 2.
Cor Martyrum in tormentis gaudio, & SS. Cor JEsu mœstitiâ repletum, cur? c. 31. n. 5. & seq.

Cor

UVA. BHSC. BV 00661

Cor B. Claræ non crucem duntaxat sed & spineam coronam in se gestavit. c. 36. n. 2.
Cor mundum requirit DEus in templo, ubi variæ figuræ. c. 14. n. 6.
Cor S. Ignatii M. & Ep. solum intactũ manet in martyrio. cur? c. 2. n. 7.
Cor V. Catharinæ Raconisiæ à Christo sæpiùs mundatur. c. 3. n. 2.
Cor B. Claræ totam Christi passionis supellectilem in se cõclusit. c. 5. n. 3
Cor Martyris Anonymi, Volvandi ex Ord. Præd. & S. Faustini crucem perpetuò in se gestavit. c. 5. n. 3.
Coronæ spineæ variæ figuræ & exempla. c. 36. n. 4. & seq.
Cor contritũ semper Deum placavit, ut patet in variis figuris. c. 22. n. 5.
Cor mundum esse debet, quod Deum ac Dominum suum in SS. Eucharistia suscipit, ubi plures figuræ. c. 25. n. 1. & seq.
Cordis humani exacta descriptio in dedicatione ad Sereniſſimum.
Crucifixus auream coronam impositam rejicit, & spineam ultrò sibi imponit. cur? c. 36. n. 7.
Crucifixus Mediator inter cœlum & terram. c. 38. n. 2. & seq.
Crux duplex Christo imposita & cur? c. 37. n. 1.
Crux lectulus Christi & animarũ sanctarum semper floridus. c. 37. n. 2.
Crux cur à SS. Corde JEsu pro redemptione mũdi electa? c. 38. n. 1. & sq.
Crux post lapsum Adami jam tunc à Christo notata fuit. cur? c. 38. n. 2.
Cygnus antequam comedit, se lavat, typus Comunicantium. c. 25. n. 2.

D.

David puer cum leonibus & ursis dimicans, typus Christi & quomodo? c. 5. n. 5.
David SS. Cor JEsu desideravit videre non ut puteum, sed ut fontem, cur? c. 6. n. 6.
David Sauli dormienti inimico parcens pulchra figura Christi. c. 16. n. 6.
David cur pennas habere optaverit? c. 21. n. 1.
Davide orante, cur Angelus mox gladiũ recluſit in vaginam? c. 22. n. 4.
Davidis cura ingens de Templo ædificando. c. 25. n. 4.
David cur citharam in mediis angustiis pulsaverit? c. 32. n. 3.
David à Semei provocatus, cur non reciproco igne vindictæ succensus? c. 34. n. 4.
David moriens adhuc memor acceptæ ab hostibus injuriæ. c. 39. n. 4.
David cur columbinas & non corvinas pennas petierit? c. 43. n. 1.
David licèt mansuetus sed & justus Vindex. c. 49. n. 2.
David cur ad montem Oliveti in angustiis & persecutionibus confugit? c. 32. n. 1.

David

UVA. BHSC. BU 00661

David conqueritur de corde arido, & cur? c. 17. n. 1.
Denudatio Christi in flagellatione & cruce per varias figuras adumbrata. c. 34. n. 4.
Denudatio SS. Cordi JEsu quàm maximè pænosa fuit. c. 35. n. 4.
Deus finis noster unicus & ultimus. c. 30. n. 7. (n. 8.
Desiderium Cordis JEsu quale? c. 35.
Diabolus Monacho alapam infligit & cur? c. 4. n. 8.
Dismas latro quare tam citò canonizatus? c. 40. n. 7.
Divites quomodo possunt salvari & per foramen acûs intrare in cœlum? c. 47. n. 4.
Dolor non minimus SS. Cordis JEsu fuit per novem mēses in utero Matris Virgineæ recludi. cur? c. 5. n. 2.
Dux bonus in prælio sibi aliquas copias pro complemento victoriæ reservans, typus Christi & quomodo? c. 43. n. 6.

E.

S. Edmundus Ep. osculans SS. Cor JEsu Crucifixi expirat. c. 28. n. 8.
Elisæus filium Sunamitidis ad vitam revocans typus Christi. c. 6. n. 1.
Elisæus latrones pane reficiens figura Christi Eucharistici. c. 23. n. 7.
Elias quomodo ad se traxerit cor Elisæi agricolæ? c. 45. n. 2.
Eliezer ad fontem lassus sedens typus Christi. c. 17. n. 1.
S. Elzearius sub missâ totam Christi passionem renovatam vidit. c. 24. n. 5.
Emblemata varia de corde contrito & pœnitente. c. 22. n. 2. & passim alibi.
Epulo dives nunc miserrimus in inferno cur tantùm unicam aquæ guttam petierit? c. 50. n. 8.
S. Epictetus Sacerdos cor suum penitùs in omnibus tormentis cum SS. Corde JEsu conformat. c. 32. n. 6.
Esther mirè ornata, priusquàm ad Regem ingressa. cur? c. 25. n. 5.
Ethai quomodo Davidem in omni tribulatione secutus? c. 45. n. 2.
Eva de latere Adami dormientis cur creata? c. 46. n. 2.
SS. Eucharistia per varias figuras adumbrata. c. 23. n. 2.
SS. Eucharistiæ institutio summus amor SS. Cordis JEsu & cur? c. 23. n. 3. & seq.
SS. Eucharistia per favum mellis in ore occisi leonis à Samsone inventum, adumbrata. c. 23. n. 7.
SS. Eucharistia cor mundum requirit. c. 24. n. 1. & seq.
SS. Eucharistia quomodo frequentanda? c. 25. n. 8. & 9.
SS. Eucharistiæ varia symbola. c. 25. n. 8.
SS. Eucharistia in qua fornace parata? c. 24. n. 4.

SS. Eu-

UVA. BHSC. BU 00661

SS. Eucharistia cur à Christo vespere instituta? c. 24. n. 2.
SS. Eucharistia cur sub speciebus panis & vini instituta? c. 24. n. 5.
SS. Eucharistia immensi amoris SS. Cordis JEsu in nos argumentum. c. 26. n. 2.
SS. Eucharistia cultu latriæ cur à fidelibus colenda? c. 26. n. 2.
SS. Eucharistiæ effectus mirandus in corde S. Catharinæ Sen. & Ursulæ Benincasæ. c. 25. n. 9.
SS. Eucharistia à pluribus jumentis cognita & adorata. c. 26. n. 8.
SS. Eucharistia cor S. Bonaventuræ mirabiliter intravit. c. 26. n. 9.
Eunuchus Reginæ Candacis quomodo ex consideratione Agni Divini conversus? c. 11. n. 9.
S. Euphemia V. Nativitatem JEsu pio affectu recolens, miro beneficio donatur. c. 6. n. 8.
Ezechias ægrotans, quàm mirabiliter & cur fuerit sanatus? c. 6. n. 5.

F.

Favus mellis in ore leonis occisi quid significet? c. 46. n. 5.
Ferculũ Salomonis in medio charitate constratum SS. Cor JEsu. c. 2. n. 4.
Ferdinandus 2. Imp. quomodo in re turbulentissima insperatum à SS. Corde JEsu Crucifixi auxilium obtinuerit? c. 45. n. 6.
Filius prodigus quomodo typus hæreticorum? c. 26. n. 5.
Finis ad quem intentio cordis nostri referenda, est SS. Cor JEsu. c. 30. n. 7.
Flagellatio Christi quomodo & qualiter facta sit? c. 35. n. 6.
Flagellationis Christi variæ figuræ. c. 35. n. 7.
Flagellatio Christi horrendum spectaculum, mundo, Angelis, hominibus. c. 35. n. 9.
Fons in medio paradisi SS. Cor JEsu. c. 40. n. 1.
Fons variè cum SS. Corde JEsu assimilatus. c. 40. n. 2. & seq.
Fons Aquilæ Austriacæ. c. 40. n. 5.
Fons Crucifixi in Beritho. c. 40. n. 8.
Fons Siloë typus SS. Cordis JEsu. c. 17. n. 3.
Fontes varii medicinales. c. 17. n. 4.
Fons saluberrimus SS. Cor JEsu. c. 17. n. 5.
Fons ex attactu SS. Eucharistiæ medicinalis. c. 17. n. 6.
Formica typus Verbi Incarnati & quomodo? c. 4. n. 6.
SS. Francisci Salesii & Xaverii pietas erga SS. Cor JEsu. c. 50. n. 8.
Fugere adinstar leporis cur Christus voluit? c. 12. n. 2.
Funiculus coccineus Rahab quid? c. 48. n. 7.

G.

Gaudium singulare Angelorum est SS. Cor JEsu in cœlo. c. 50. n. 2.

UVA. BHSC. BU 00661

Gemma adamas in SS. Corde intinctus, quid sibi velit? c. 16. n. 7.
Gallinæ cor pullos vivaciores reddit. c. 20. n. 7.
S. Gertrudi cur Christus in forma Pelicani apparuerit? c. 24. n. 5.
Gladii duo cur in ultima cœna? c. 27. n. 4.
Gloria summa SS. Cordis JEsu crux fuit & quomodo? c. 7. n. 4.
Gloria Sanctorum Omnium SS. Cor JEsu in cœlo est. c. 50. n. 1. & seq.
Godefridus Dux Bullonius & alii cur spinis voluerũt coronari? c. 36. n. 7.

H.

Hœdus tenellus cur olim non poterat in lacte matris coqui? c. 12. n. 2.
Heliotropium typus SS. Cordis JEsu & quomodo? c. 32. n. 2.
Homo cur oculos in capite & non in pedibus jubetur habere? c. 20. n. 3.
Horti diversi infelices. c. 31. n. .& sq.
Hortum cur SS. Cor JEsu pro sua passione elegit? c. 31. n. 3.
Hortus cur tantam tristitiam SS. Cordi JEsu causaverit? c. 31. n. 3. & sq.
Hostia pacifica Davidis tempore pestis Deum iratum placans typus SS. Cordis JEsu. c. 11. n. 6.
Humilitas SS. Cordis JEsu. c. 7. n. 6.

I.

Jacob & David pastores typus Christi boni Pastoris. c. 19. n. 1. & seq.
Jehu quare cor à Jonadab postulaverit? c. 42. n. 6.
Jephtias quomodo in voluntatem Dei fuerit resignata? c. 34. n. 4.
JEsus sanguinem sudans, quomodo pulset ostium cordis tui? c. 33. n. 2.
JEsus moriens inclinato capite, Cor suum monstravit, ut aperiretur. c. 47. n. 2.
Ignis sacer in aquam crassam mutatus reaccenditur, quomodo? & cur? c. 2. n. 3.
Ignitum chronum cur Deus toties voluit eligere? c. 2 n. 1.
Ignis in altari cur ab Angelo non potuit commensurari? c. 39. n. 7.
Incarnatio Verbi quomodo facta? c. 4. n. 2.
Inflammatum Cor JEsu cur voluit apparere? c. 2. n. 2.
Incus typus Christi flagellati. c. 35. n. 1.
Intentionis puræ varia symbola. c. 30. n. 3.
Innocentes MM. cur Deus permisit occidi? c. 12. n. 7.
Joanna de Cespedes agonizans unam sanguinis guttam de SS. Corde JEsu impetrat. c 47. n. 6.
Joannes Baptista Faventius à SS. Corde JEsu saucio confortatur. c. 43. n. 7.
S. Joannes Ap. supra SS. Cor JEsu deliquium passus est. c. 23. n. 9.
S. Joannes à SS. Corde omnes gratiarum thesauros haurit. c. 17. n. 5.

S. Jo-

UVA. BHSC. BU 00661

S. Joannes in amore Dei & proximi excellens. c. 21. n. 7.
P. Joannes Cardin. S. J. victima amoris & proximi? c. 21. n. 8.
Jonas cur in mare turbulentum projectus? c. 34. n. 3.
Job in quali nidulo mori desideraverit? c. 47. n. 1.
Jonathas optimus sagittarius. c. 30. n. 1.
Jonathas se expolians vestimentis, typus JEsu. c. 44. n. 7.
Jordanis cur ad adventum arcæ adeò timuit, & conversus est retrorsum, & non ad præsentiam JEsu? c. 16. n. 4.
Joseph à Patre ad fratres missus, typus JEsu. c. 7. n. 5.
Joseph exprobrans fratribus perfidiam typus Christi Judicis. c. 49. n. 5.
S. Joseph cur à Christo in Nutritium electus? c. 13. n. 6.
Joseph ab Arimathæa cur Sindone munda Corpus JEsu involvit, illúdque cum aromatibus sepelivit? c. 25. n. 7.
Joseph ab Arimathæa cur tam audacter ad Pilatum introivit, & Corpus JEsu petiit? c. 27. n. 8.
Joseph quomodò omnia in voluntatem divinam resignavit? c. 34. n. 4.
Isaac moribundus cur pro Esau nullam benedictionem habuit? c. 23. n. 8.
Israëlitæ tempore belli ad Davidem in cavernis montium latentem confugiunt, cur? c. 43. n. 4.
Judæi cur in jejunio à Deo non fuerunt exauditi? c. 34. n. 3.
Judæi quomodò in coronatione Jesu sicut apes in spinis? c. 36. n. 3.
Judicis Christi varia symbola. c. 49. n. 3.
Judex Christus in qua forma judicabit? c. 49. n. 4.
Judas cur à Christo amicus & Petrus Satanas appellatus fuerit? c. 19. n. 4.
S. Jutta SS. ex Corde JEsu optionem obtinet, quidquid placeat eligendi. c. 41. n. 7.

L.

Lacedæmones quomodo ex filiis suis optimos sagittarios effecerint? c. 30. n. 1.
Lacrymæ in Christo signum immensi amoris. c. 30. n. 7.
Lavacrum regenerationis SS. Cor JEsu & cur? c. 46. n. 1. & seq.
Lepusculus fugiens typus Christi Infantis & quomodò? c. 12. n. 1. &c.
Librum cur Christus nullum in hac vita conscripserit? c. 1. n. 1. & seq.
Liber Ezechielis amarus & dulcis? quomodò? c. 1. n. 1. &c.
Liber scriptus intus & foris SS. Cor JEsu. c. 1. n. 2.
Liber optimus medicorũ est corpus humanũ anatomizatum. c. 1. n. 3.

UVA. BHSC. BU 00661

Liber S. Pauli Ap. S. Philippi Benitii C. & S. Bonaventuræ D. fuit Christus Crucifixus. c. 1. n. 4.

Liber optimus Laicorum est SS. Cor JEsu. c. 1. n. 5. & seq.

Liber universalis & Pastoribus & Concionatoribus, & Religiosis ac sæcularibus est SS. Cor JEsu. c. 1. n. 7. 8. 9.

S. Lucianus M. & Ep. super altare cordis sui missam celebrat. c. 24. n. 4.

S. Lutgardis per SS. Cor JEsu ostensum mox ad vitam meliorem revocatur. c. 41. n. 7.

Lysius puer mirabiliter Romæ pacem inter cives reconciliat. c. 11. n. 7.

M.

B. Magdalena de pazzis cor habuit, aureis litteris insignitum: *Verbum Caro factum est. &c.* c. 5. n. 5.

SS. Magi per tres amicos Jobi designati, & quomodo? c. 10. n. 6.

SS. Magi primi ex gentilibus Christiani, forte exemplum nobis præbent SS. Cor JEsu colendi & adorandi. c. 10. n. 7.

Magnes cordium humanorum SS. Cor JEsu c. 45. n. 1. & seq.

Magnetica virtus etiã naves clavis ferreis cõpactas ad se trahit. c. 45. n. 3.

Malum punicũ seu granatum est SS. Cor JEsu & quomodo? c. 29. n. 3.

Marcus Aquilius pectus vulneratum exhibens Romanos Judices in suam sententiam flectit. c. 45. n. 4.

Margarita pretiosa in agro abscondita SS. Cor JEsu. c. 29. n. 8.

Maria Maldonata agonizans, & sitim extremam patiens à SS. Corde Jesu recenti haustu reficitur. c. 45. n. 6.

Marius Imp. proprio quem fecit, gladio occiditur. c. 34. n. 1.

SS. Martyrum exemplar SS. Cor JEsu sancium. c. 38. n. 6.

Meditandi modum docet Centurio stans ad crucem JEsu. c. 20. n. 4.

Medium efficax impetrandi aliquid à Deo est SS. Cor JEsu. c. 41. n. 3.

S. Mechtildis in SS. Corde JEsu omne bonum & pignus futuræ gloriæ invenit. c. 42. n. 7.

Misericordia SS. Cordis JEsu superexaltat judicium. c. 15. n. 4. & seq.

Misericordiam & non vindictam inclamat SS. Cor JEsu, de quo mira historia. c. 39. n. 6.

Misericordia & Veritas, Justitia & Pax quomodo in SS. Corde JEsu sibi invicem obviaverint? c. 42. n. 4.

Manlius ad mortẽ damnatus, pectus saucium publicè ostendit c. 49. n. 6

Moyses infans in scirpea fiscella expositus, typus Christi nati. c. 7. n. 1.

Moyses infans aurum & diadema contemnens figura Christi. c. 10. n. 4.

Moyses cur duas pretiosas decalogi tabulas confregit? c. 21. n. 4.

Moyses cor mansuetissimum habuit. c. 39. n. 5.

Moyses

UVA. BHSC. BU 00661

Moyſes in caverna petræ gloriam Dei videt. cur? c. 47. n. 3.
Mundus comparatur cum paraclytico & quare? c. 4. n. 1.
Myrrha cur à Chriſto præ auro electa? c. 10. n. 2. & ſeq.

N.

Naboth eliminatus ex urbe, typus Chriſti. c. 37. n. 4.
Nabuchodonoſor Rex pueros ſine macula eligit. cur? c. 25. n. 5.
Nativitas Chriſti quomodo ſit facta? c. 6. n. 3.
Nativitas Chriſti, cur priùs paſtoribus quàm Regibus inſinuata? c. 6. n. 7.
Nidulus & quies animæ eſt SS. Cor JEſu. c. 47. n. 1.
Noëmica columba pacis Symbolum. c. 42. n. 1.
Novitius quomodo ſpinas comederit? c. 36. n. 5.
Novitius alius per SS. Cor JEſu ab interitu ſervatus. c. 41. n. 6.
Nubecula Eliæ typus S. Cordis JEſu. c. 6. n. 7.
Nubes Eliæ in pluviam effuſa figura SS. Cordis Jeſu in Oliveto. c. 33. n. 1
Nulla mera ſunt omnia in mundo, quidquid extra SS. Cor JEſu quæritur. c. 30. n. 3.

O.

Obedientiam etiam inſenſatæ creaturæ Deo exhibent. c. 13. n. 3.
Obedientiæ exemplar perfectiſſimum SS. Cor JEſu. c. 13. n. 4.
Obedientia ardua militum. c. 13. n. 7.
S. Oreſtes crucem in pectore portans, cur? c. 38. n. 6.
Oſtium laterale in Arca Noë typus SS. Cordis JEſu. c. 18. n. 1.
Oſtium amici illius de nocte clauſum, ſed non oſtium SS. Cordis JEſu. c. 47. n. 5.
Ovi immolandæ cur pellis cum lana detracta? c. 35. n. 2.
Oza cur ſubitaneâ morte ad attactum arcæ punitus? c. 27. n. 2.

P.

Palumbes in foraminibus petræ & caverna maceriæ, cur? c. 43. n. 1.
Panis Chriſto in lignum quomodo miſſus? c. 24. n. 3.
Paſſer profugus in pectore Xenochratis refugiũ invenit. c. 43. n. 3.
S. Paulus Apoſtolus cor manſuetum habuit. c. 39. n. 5.
Peccatores ad SS. Cor JEſu redeant, c. 41. n. 1. & ſeq.
Peccator converſus ad aſpectum Chriſti lacrymantis. c. 37. n. 6.
Peccator reus eſt Sanguinis Chriſti in Oliveto profuſi. c. 33. n. 6.
Peccatum onus graviſſimum SS. Cordi JEſu impoſitum. c. 33 n. 3.
Perdix clypeo ſe contra milvum defendens typus animæ tentatæ. c. 9. n. 7.
Peregrini anonymi cor ad radices crucis diſrumpitur. c. 47. n. 6.

UVA. BHSC. BU 00661

Petra Mosaica in latere percussa typus SS. Cordis JEsu. c. 29. n. 6.
S. Petrus cur se in mari ad adventum Christi tunica præcinxit. c. 27. n. 10
S. Petrus cur adeò à Christo in horto increpatus propter gladiũ. c. 34. n. 1.
S. Petrus cur tria tabernacula in mõte Thabor voluerit ædificare? c. 43. n. 2
Petra sequens populũ per desertum typus SS. Cordis JEsu. c. 26. n. 3.
Phares & Zaram cur pro primogenitura adeò decertârunt? c. 4. n. 7.
Philomela contra bufonem quomodo se defendere soleat? c. 43. n. 5.
Pictor priùs umbra pingit, dein ad vivos transit colores. c. 23. n. 1. & in proloquio.
Pictura pia Alexandri Farnesii Card. c. 49. n. 7.
Pignus futuræ gloriæ S. Mechtildi præbetur SS. Cor JEsu. c. 50. n. 7.
Pilatus qualem sententiam tulerit in Christum flagellandum. c. 35. n. 5.
Piscinæ probaticæ descriptio, & quid adumbravit? c. 48. n. 5.
Primogenita cur olim Deo oblata? c. 11. n. 1.
S. Policarpus quomodo in omnibus volũtati Dei se resignaverit? c. 34. n. 4
Pontifex Maximus cur crucem in pede & Imp. in capite gerat? c. 38. n. 4
Porta cœli, quam Jacob cum scala vidit, typus SS. Cordis Jesu. c. 18. n. 4.
Porta olivæ & porta aurea in templo figura SS. Cordis JEsu. c. 18. n. 6.
Præsentia realis & physica Christi in SS. Eucharistia. c. 26. n. 6.
Propitiatorium nostrum SS. Cor Jesu. c. 2. n. 6.
Puteus Machabæorum, in quo sacer ignis latebat, typus SS. Cordis JEsu c. 17. n. 2.
Purgatorium ex S. Scriptura probatur. c 48. n. 1.
Purgantes animæ per SS. Cor JEsu liberatæ. c. 48. n. 2.
Puritas cordis ad SS. Eucharistiam recipiendam, ex variis figuris adstruitur. c. 25. n. 1. & seq.

Q.

Quies & centrum animarum sanctarũ est SS. Cor JEsu. c. 44. n. 1. & seq.

R.

Rachel cur in partu perierit? c. 34. n. 3.
Raphaël Urbinas uno die fit pictor celeberrimus & quomodo? c. 20. n. 5.
Rationale Aaronis typus SS. Cordis JEsu. c. 50. n. 7.
Rhamnus cur Rex arborum electus? c. 36. n. 2.
Rex quomodo Christus in utero Matris coronatus? c. 5. n. 4.
Regnum Christi quomodo in cruce. c. 7. n. 3.
Robertus Bellarminus S. R. E. Card. quàm piè mortuus? c. 47. n. 6.
Rubus ardens SS. Cor JEsu præsignavit, cur? & quomodo? c. 36. n. 2.
Ruth imitanda in auditione missæ. c. 24. n. 8.

S. Sa-

UVA. BHSC. BU 00661

S.

Sacerdotes Tabernaculum Dei ingredientes, cur se priùs lavabant? c. 24. n. 3.

Sacrificia qualia à gentilibus olim erant oblata? c. 45. n. 5.

Sacrificium vespertinũ quid? c. 24. n. 2

Sacrificium cordis à probis requirit Deus. c. 22. n. 1.

Sacrificii altaris dignitas. c. 24. n. 6.

Sacramenta omnia ex SS. Corde Jesu promanârunt. c. 29. n. 6. & seq.

Sagittarii quinam optimi? c. 44. n. 3. &c.

Sagitta salutis Domini quænam sit? c. 44. n. 5.

Sagittandum SS. Cor Jesu & quomodo? c. 44. n. 4.

Sanctius Garzias ex vulnere laterali matris natus. c. 46. n. 3.

Salomon cur infantem vivum dividi præcepit? c. 12. n. 6.

Sanguis incẽdium extinguit. c. 48 n. 4

Sanguis JEsu ab animabus purgantibus primariò requiritur. c. 48. n. 7.

Sanguineus sudor pluvia saluberrima. c. 34. n. 5.

Sanguis JEsu meliùs loquitur, quàm Abelis & aliorum. c. 39. n. 3.

Sanguis victimarum cur olim Deum placavit? c. 39. n. 1.

Sanguis Uriæ cur non vindictam clamavit? c. 22. n. 3. & seq.

Saul quare à Deo rejectus? c. 34. n. 3.

Speculum triplex SS. Cor JEsu. cur? c. 3. n. 1.

Speculum ante fores tabernaculi. cur? c. 3. n. 2.

Speculũ S. Catharinæ Senensis. c. 3. n. 2

Speculum Caroli V. Imp. c. 3. n. 3.

Speculum S. Rosaliæ V. c. 3. n. 3.

Speculum Tigridis. c. 3. n. 5.

Speculum Hippolyti. c. 3. n. 6.

Speculum basilisci. c. 3. n. 7.

Signum prædestinationis SS. Cor JEsu amare. c. 30. n. 6.

Spelunca refugium Davidi, Prophephetis & aliis. c. 43. n. 4. & seq.

Sodalis fugiens ad SS. Vulnera JEsu vincit in agone. c. 43. n. 5.

Sol manè rubens & vespere pluens SS. Cor JEsu. c. 8. n. 1.

Sponsi cor quomodo in uno oculo à Sponsa vulneratum? c. 44. n. 2.

Sponsa petit, ut à Corde JEsu exaltato in cruce attrahatur. c. 45. n. 2.

Stratho non infeliciter solem orientem in occidente quæsivit. c. 8. n. 2.

Status omnes ad SS. Cor Jesu invitantur. c. 41. n. 8.

S. Symphorianus M. quomodo in agone confortatus. c. 37. n. 8.

T.

Templum Dei quàm multis sceleribus nunc solet impleri? c. 14. n. 7.

Terra cur post mortem JEsu adeò fuerit concussa? c. 41. n. 2.

Thesaurus optimus SS. Cor JEsu. c. 29. n. 1.

Theo-

UVA. BHSC. BU 00661

Theodorus adoleſcens ex aſpectu Chriſti in oliveto Sanguinem ſudantis mirabiliter convertitur. c. 31. n. 6.

Tiberius Imp. ſub cruce magnum theſaurum invenit. c. 29. n. 4.

Tobias in carcere typus Chriſti & quomodo? c. 5. n. 1.

Tobias ſemper reſignatus in voluntatem Dei. c. 41. n. 5.

S. Thomas in SS. Corde JEſu in vitam novam renatus. c. 41. n. 1.

Tribulationes cordis noſtri ad Deum nos ire compellunt. c. 15. n. 3.

Thuribulum aureum SS. Cor Jeſu. c. 2. n. 5.

Thymiama ſuaviſſimum SS. Cor JEſu. c. 2. n. 5.

Vaſthi ſpernens convivium Aſſueri figura Synagogæ. c. 26. n. 4.

Vellus Gedeonis quomodo B. Virgo? c. 4. n. 1.

Vermis in corde Juvenis inventus, quid ſibi velit? c. 22. n. 7.

Vermi SS. Cor JEſu diverſimodè comparatur. c. 7. n. 7.

Victimæ coronatæ olim Deo erant oblatæ? c. 36. n. 1.

Virga Moyſis aquas omnes in ſanguinem mutat. c. 33. n. 4.

Virga Corylacea explorat fontes & theſauros. c. 29. n. 7.

Virgæ variegatæ Jacob quid? c. 20. n. 1.

B. Virginis cor ſemper in voluntatem Dei reſignatum. c. 32. n. 4.

B. Virgo aurora ſolem Chriſtum parturiens. c. 6. n. 2.

B. Virginis uterum cur Chriſtus non abhorruit? c. 4. n. 8.

Virgines 5. fatuæ cur è cœlo fuerunt excluſæ? c. 21. n. 6.

Voluntas Dei in omnibus ſequenda. c. 32. n. 4.

Voluntatis propriæ varia ſymbola. c. 34. n. 2.

Voluntatis propriæ diverſæ Sacræ figuræ. c. 34. n. 3. & ſeq.

Voluntas propria Phariſæorum non meretur ſignum. c. 34. n. 3.

Voluntatis divinæ miranda hiſtoria. c. 32. n. 6.

Urias omnibus mortalibus imitandus, & cur? c. 7. n. 8.

Uva à pincerna ſuper calicem expreſſa, typus SS. Cordis Jeſu. c. 28. n. 4.

Uva itidem à Jacob filiis prædicta. c. 28. n. 5.

Uva expreſſa timidos elephantes ad pugnam acuit. c. 28. n. 6.

Z.

Zelus ingens SS. Cordis JEſu in prophanatores templi. c. 14. n. 1.

Zelus Dei ob arcam prophanatam. c. 14. n. 2.

Zelus Phinees à Deo commendatur. c. 14. n. 3.

FINIS.

UVA. BHSC. BU 00661

UVA. BHSC. BU 00661

UVA. BHSC. BV 00661

UVA. BHSC. BU 00661

UVA. BHSC. BV 00661

BU
Biblioteca de Santa Cruz
661

UVA. BHSC. BU 00661

U. A. BHSC. BU 00661

UVA. BHSC. BU 00661

UVA. BHSC. BV 0065